UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vita Et Doctrina Christi Domini

More, Henry

Antverpiae, 1649

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-56545

Visual Library

Th.
L. I
9
4456.

VITA
ET DOCTRINA
CHRISTI DOMINI

Bibl. Coll. Soc. Jesu Paderborne 1672.

Notationibus, quæ quotidianam diuina meditantibus materiam suggerere possunt, explicata:

Iuxta quatuor Partes anni Ecclesiastici in Capita distributa

PER

HENRICVM MORVM
E SOCIETATE IESV.

ANTVERPIÆ
Apud IACOBVM MEVRSIVM.
ANNO M. DC. XLIX.

PRÆFATIO.

HVmanorum ingeniorum ea est varietas, & dissimilitudo, eloquiorum verò diuinorum tam mira fertilitas, vt facilè apud se quisque existimare possit nihil ab humanis aut diuinis rebus alienum fieri quando aliæ & aliæ de eisdem sub vna atque eadem Fidei Regulæ prodeunt Commentationes: Quotidianus etiam vsus diuina Meditandi nullo potest satis laudari præconio, & nullis satis fulciri adiumentis: in quorum fusiore explicatione plurimi magna cum legentium vtilitate posuerunt operam; alij studuerunt eadem Compendio commendare: Diuina disponente Prouidentia vt nouis semper ingeniis noua suppetant incitamenta, nec cuiquam id desit quo in tam necessario Pietatis exercitio promoueatur.

Quod verò iter agentibus est familiare, vt abundè sibi de pecunia ad sumptum prouideant, & ne grauis illa sit curent, id in isto etiam genere plerisque omnibus in votis est; vberem videlicet Meditandi materiam paucis comprehensam nanciſci. Et quidem sacram Euangelij Historiam vnam esse, quæ cuncta breuissimè complectatur non ægrè quisque concedet, qui Christum Dominum VIAM, VERITATEM & VITAM, *agnoscit, atque eius sibi* DOCTRINÆ *atque* EXEMPLO *vnicè insistendum persuaserit: & quidni sibi vnusquisque id persuadeat? Cùm ipsum nobis Pater æternus, ipse etiam se nobis Ducem atque Doctorem proposuerit; is nos purgandos, illuminandos, Patri vniendos susceperit.*

Ioan. 14. 6. Matth. 11. 27. Ioan. 14. 23. Nemo, *inquit*, venit ad Petrem nisi per me; *& iterum*: Neque Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. *&*, Si quis diligit me,

me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.

Huic igitur VIÆ, *vt rectissimæ notissimæq; insistendum summi post Christum Magistri docuerunt: In hac* VERITATES *maximè necessarias maximeq; vtiles dare se obuias duxerunt: per hanc denique ad* VITAM *(quæ in Vnione cum Deo consistit) censuerunt certissimè atque sine errore peruenirri. In Historia tamen Doctrinæ huius ac Vitæ (quod non omnibus æquè sit aperta) elucidanda, sicut & in ceteris adorandum adiumentis, alij plura, alij pauciora, pro ingeniorum, spirituq; ducentis varietate desiderarunt, animaduerteruntq;, quibus aditus ad mysteria passim recondita pateret: quæ mysteria cùm in singulis propè verbis occurrant non pauca, infinitum esset omnia velle*

complecti : neque quemquam arbitror id conari, Puteus altus est; *etsi quo hauriamus detur, exhaurire non datur: sed vt in familiarium conuiuio quisque quod domi habet optimum liberaliter confert, ita quibus hoc in genere aliquid Christus ipse subministrarit, illud meritò ad eius laudis & gloriæ amplificationem isti contulerunt.*

Boni igitur consulat Lector, quòd cùm mihi ex munere semel atque iterum impositò necessitas quædam incubuerit hæc tractandi, quæ inter priuatos parietes præter expectationem meam pluribus placuerunt, ea publici iuris fiant. Occurret enim fortasse varietas illa cum breuitate coniuncta, quæ à pluribus expetitur. Nam sacrosancti Euangelij textu pænè integro recitato paucula paucis suggero, ad quæ animum aduertere opportunum fuerit, reliqua numeris appositis signo, plura relinquo cogitanti.

tanti. Etenim huius modi methodum plerumque à peritis laudari animaduertere est; & S.P.N. Ignatij (quem meritò Magistrum sequor) hanc fuisse sententiam verba ipsius palàm faciunt; cùm in omni mentis exercitio obiter attingenda docet puncta consideratione proposita, declarationem verò debere esse succinctam: '' vt is qui meditaturus accedit, accepto veritatis fundamento, discurrat postea atque ratiocinetur per seipsum: ita enim fieri, vt cùm aliquid inuenerit quod elucidationem aliquanto maiorem præbeat, gustum delectabiliorem, & vberiorem fructum percipiat. Annotat. 2. & 20.

Ordinem Mysteriorum secutus sum illum plerumque quem quadriga Euangelij à R. P. Ioanne de la Haye Seruio concinnata demonstrat: sanctorum Patrum sententias inspersas ex illo vt plurimum fonte desumpsi; quorum verbis cùm licuit, eò libentius vsus sum, quò

sciat Lector rerum consimilem significationem applicationémve quærere in iis etiam quæ per ipsos non semper licuit explanare. In quatuor autem partes distinctum est Opus illas quas Ecclesia sequitur ab Aduentu ad Septuagesimam, ab hac ad festum Paschatis, à Paschate ad Pentecosten, atque postremò à Dominica SS. Trinitatis ad Aduentum: cui parti postremæ cùm plures sint quàm sufficiunt Notationes, eæ in tempus & annum alterum vt seruentur non abs re erit.

Quæ quidem siue ad meditationem quotidianam, siue ad annuas Recollectiones adhibeantur, cùm permagni referat ad fructum intelligere qui Affectus ex vnoquoque Mysterio hauriendi, & quæ varietate miscendi veniant, operæ pretium duxi præmittere & summatim explicare Methodũ quam S. P. N. Ignatius nobis velut hæreditariam reliquit;

ex

ex qua in numquam satis laudatis eius Exercitiis tradita, elucebit quo lacte, quo cibo educandos nutriendosq; suos existimarit sanctus Pater, qui fructus ex arbore Vitæ (qui Christus est) nobis in primis, singulisq; pro suo modulo carpendi sint, & quantum denique thesaurum pietatis paucis præceptis ille occuluerit, vt seipse occultaret, Christum Dominum super omnia & in omnibus exaltaret..

Aspiret bonus IESVS, *qui vt Auctor est* VITÆ, *dator est Scientiæ, Intellectus, Pietatis, & Timoris domini, sine quibus nec verba sonant vt oportet, neque scripta prosunt. Adsit Mater sanctissima, quæ* omnia conseruans & conferens in corde suo, *nos instruit: & Ioseph sponsus, tacitus vbique Admirator & Adiutor; vt Trium testimonio comprobata, Sacrosanctæ, atque Individuæ* TRINITATI

Luc. 2. 19.

accepta veniant, quam ter Trinus Angelorum Chorus laudat per ſecula. Amen.

INTRODVCTIO

De Instituto S. P. N. Ignatij in Exercitiis spiritualibus.

SAnctus Pater noster Ignatius cùm adhuc rudis esset literarum, arderet autem zelo animarum Deo lucrandarum, abducendarumque ab mundi illecebris quibus se irretitum cognouerat dolueratque, & ad omnem Perfectionem promouendarum, illa secutus quæ Deum in se operantem accuratè obseruarat, proprio regionis suæ idiomate Exercitia quædam spiritualia conscripsit. in quibus animum ad Finem, ob quem creatus est homo, intendens, per gradus eum quosdam deducit ad intimam illam cum Deo Coniunctionem, in qua omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesv, summam huius vitæ vnicamque collocant felicitatem. Itaque libro in quatuor partes distributo, (quas Hebdomadas vocat) Primam (tacitis consuetis apud

Contemplatiuos nominibus) Purgationi à Peccatis, atque inordinatis animi Affectibus, seu VIÆ PVRGATIVÆ accommodat; Secundam, Virtutibus ad Christi exemplum comparandis assignat; seu VIÆ ILLVMINATIVÆ. In Tertia, partim easdem Virtutes confirmat consolidatque, partim per Affectus vehementiores, tenerioresque ad intimiorem cum Christo & Deo Coniunctionem sternit viam: Ac Quartam denique in VNITIVA concludit. Quæ breuiter sic elucidari possunt, vt quisque quid in iis (cùm vsus erit) præcipuè spectandum sit, sequendumque intelligat.

§. Primus.

Partes Viæ Purgatiuæ.

Consideratio finis.

1. IN Prima igitur Hebdomada, initio ducto à fine ad quem creatus est Homo (cuius diligens consideratio fundamentum est totius Ædificij spiritualis) collimat ad tollenda ea quæ arcent ab hoc fine rectè persequendo; *Intemperantiam* scilicet Affectuum, qua præ-

ceps

pites in quælibet obiecta ruimus, & *Peccata*. Ad *Intemperantiam* corrigendam proponit cogitanti quàm necessarius sit omnibus, & ad omnia Animus *Indifferens*, & quasi pendens, neque se nisi ex fine considerato ad obiecta demittens: quam mentis sinceræ solutæque dispositionem, tamquam maximè idoneam ad motus è cælo diuinitùs illabentes admittendos fouendosque, & oppidò necessariam, retinet, reuocatq; in reliquis Hebdomadibus sæpiùs, & sine illa nihil certi solidique statui posse docet; vt facilè patebit animum aduertenti.

2. *Consideratio Peccatorum & Nouissimorum,*

Ad *Peccata* auferenda, &, quantum per humanam fragilitatem licet, propensionem ad ipsa peccata extinguendam succedit ipsorum delictorũ Consideratio, quàm in se fœda sint, & quanta inferant mala; tum eorum memoria, quæ vnicuique extrema accidere. vel accidere possunt, *Mors*, *Iudicium*, *Infernus*.

& indenata Contritio.

Et quidem in Exercitiis de peccatis disponit hominem ad veram *Contritionem* ex Dei bonitatis, & amoris con-

sideratione prouenientem, dirigitque ratiocinationem ad eliciendum *Pudorem, & Confusionem*, quod peccauerim ego Angelis tanto inferior; & cùm mihi parcitum sit, non tamẽ destiterim; quod non egerim pœnitentiam, quod tam multa, tam grauia, tam sæpe commiserim contra tam bonum Deum; quod licet Christus pro me passus sit, non solùm nihil pro eo egerim, sed multa contra eum.

Ne verò multitudo, fœditas, malitia peccatorum, & iusta indignatio aduersum me omnium creaturarum, ob offensum communem omnium Creatorem, opprimat cogitantem, & in desperationem agat, in secundo deinde Exercitio ducitur consideratio per colloquium ad extollendam infinitam Dei misericordiam, & agendas gratias pro viribus, quod vitam ad hunc vsque diem prorogauerit, dederitque locum pœnitentiæ, & emendationi. Atque in tertio, Intercessores etiam adhibentur B. Virgo, & Christus Dominus, cum non modica fiduciâ; & similiter in quarto. Ac demum in quinto, in mediis

Infe-

Inferis, ac pœnis damnatorum quas commerui, Gratiæ aguntur Christo Domino quòd in tale exitium non permiserit me corruere: sed etiam nunc expectat quid facturus sim.

Atque si quis rursus ordiatur à fundamento, perspiciet conari sanctum Patrem *sui cognitionem* perfectissimam, atque inde consequentem profundissimam *humilitatem* ingenerare, ac stabilire in anima, tamquam radicem omnis boni, & omnis profectus nostri munimentum. Hinc suggerit quod ex nihilo creati; quod deteriores diabolo sæpiùs gratiam reijciendo; quod magis corrupti quàm primi Parentes; quod magis digni pœnis quàm multi qui damnati sunt; quod nihil egerim pro Christo Domino; quod sim tamquam vlcus & apostema, ex quo sanies & lues peccatorum continuo defluit, quâ & bona opera sæpissimè inficiuntur, quod dignus sim contra quem omnes creaturæ insurgant, dignissimus Inferno, cùm vnus homuncio cõtra infinitum Deum leuauerim manum. 3. *sui cognitio & humilitas*,

Ex his iterum stabilitur *indifferentia*, atque 4.

rerum mũdanarum abſtinentia,

atque affectus erga pœnitentiam, & mortificationem, & omnium rerum mundanarum abſtinentiam, quod indignus illis ſim, vel quod incitent ad noua peccata, vel reuocent à melioribus; Excitatur *Amor Dei*, qui tam indignum reſpicere dignatur; denique augetur amicus dolor & *contritio*: ac diſponitur animus ad *quietem*, & delectationem in ſolo Deo tam bono, tam patienti, tam miſericordi, &c. ſed *quietem actuoſam* quæ ſimul exquirat, "quid egerit, quid agat, quid agere debeat, pro tãtis beneficiis," quomodo peruerſum ordinem corrigat, & eo correcto, ſe quiſque ſecundum Deum rectè ordinet.

5. *Amor inchoatus*

in Colloquio 3. Exercitij.

Perfectiſſimi familiares ſunt huius Viæ actiones.

Ex quibus apparet quanta cum ratione & profectu perfectiſſimi quique exercent ſe frequenter in commentationibus, actionibuſque ad Viam Purgatiuam pertinentibus, tum vt recentem earum rerum memoriam & affectum retineant, quæ ſunt fundamenta perfectionis, atque vt quò altius figit radices arbor, eò creſcat firmius, latiuſque, & fructus ferat incorruptos; tum

vt

vt communicatione quadam actuum vnius viæ cum alterâ, & *dolor* sit ex *amore* dulcior, & *amor* ex causis ritè perpensis iusti *doloris* securior & incitatior; neque enim in mediis Inferis impedimur ab eo summè amando, qui nos hucusque eò non deuoluit; neque in tertium rapti cælum prohibemur, quò minus Timorem etiam seruilem, qui foras missus est, habeamus deinde in promptu ad auxilium quandoque nostrum introducendum; quæ eadem variatio mixtioque affectuum in aliis etiam hebdomadibus vsu venit; vt patebit.

§. Secundus.

De Illuminatiuâ, seu vitæ Christi Domini consideratione.

STabilito enim per Exercitia Primæ Hebdomadę fine hominis, odio peccati, & occasionum eius; *Amor Dei* inchoatus, & vitæ melioris proposita veniunt in secunda Hebdomada confirmanda: nullo meliori incitamento aut exemplo, quàm Christi Domini nostri, Dei- *Consideratio Vitæ Christi.*

Dei-hominis, Regis Regum, Domini Dominantium. Hunc igitur habere docemur assiduè præ oculis, inspicere quis & quantus sit, quid egerit, quid dixerit, quid pertulerit pro nobis redimendis, instruendis, iuuandis, animādis; si enim æquum est subditos Regem terrenum audire, & sequi, & paria cum illo pati, quantò iustius Christum Dominum exhortantem audire, præeuntem sequi, præliantem in tam iusto, tam necessario bello comitari, & eius vestigiis inhærere?

eius considerationis vtilitas & gradus.

Et omnium quidem est, qui saluari volunt, hæc aliquousque facere; ij verò qui *se obsequiis illius prorsus duxerint mancipandos*, præter labores & contentiones, quæ necessariæ sunt omnibus ad peccata vitanda, " *maiora quadã & præclariora munera oblaturi sunt, vt penitus expugnetur, Caro, Sensus, Amor proprius, & mundanus*; semper alioqui rebellis. *Maiora* autem hæc & *præclariora* sunt, inprimis vt renouato, & aucto *Indifferentia* proposito (quod indicant illa verba, *Me tibi penitus offero, meaq; omnia tua subijcio voluntati*) offeramus nos ad

De regno Christi §. 3. iudicandũ.

ample-

amplectendam, prosequendamque impensius " *veram spiritus, tum etiam rerum paupertatem, ad ferendas etiam iniurias, & aduersa omnia, dummodo in maiorem laudis sua, & obsequij mei prouentum cedat & sanctissimæ Maiestati sua placuerit me ad tale vitæ institutum eligere, atque recipere,*) Quid autem in particulari vnicuique faciendum sit, discendum proponit ex mysteriis Infantiæ Christi Domini primùm; deinde ad alia & alia pedetentim progrediendo, singulos scalæ huius mysticæ gradus premendos insinuat; in singulis proponendo, *&*" *petendo etiam pro affectu, quem in me sensero, quidquid ad maiorem iuuet imitationem Domini mei* IESV *Christi.*) neque enim totâ hac hebdomadâ sanctus Pater (postquam se quis in genere obtulit ad sequendum quàm proximè Christum Regem) quidquam speciatim suggerit; persuasus illâ dispositione retentâ, fructum vberrimum, ex tanti Regis ac Magistri spectatis actionibus, dictisque perpensis ad singulos prouenturum.

Ad hanc verò animæ obsequentis dis- *Impedimen-*
posi- *ta vitanda.*

positionem fouendam animandamque magis ponit ob oculos, "*fraudes, insidias, laqueos & catenas, infestissimi hostis humani generis quibus nos pertrahere conatur, 1. ad Amorem rerum terrenarum: 2. ad honoris mundani æstimationem: 3. ad meliorem de nobis ipsis quàm meremur opinionem, id est ad superbiam, ex quibus in alia vitiorum genera omnia præceps fit decursus:*) contra quæ cùm exemplo Christi & Sanctorum ipsi militantium præcipuè & sedulò pugnandum sit, ea omnia recolenda esse monet quæ ad virtutes contrarias nos incitare possunt, & tamquam à Christo pro concione in sequentibus mysteriis dictata auscultanda, perpendenda esse etiam pericula & damna quæ subsequentur, si consentiamus Aduersario; vnde patet quàm necessaria sit memoria eorum quæ in prima hebdomada transcursa sunt, vt has inimici fraudulentas suggestiones euitemus, vt *humilitatis* virtutem, vt *contemptum* respectuum humanorum, terrenarumque rerum in nobis confirmemus; vt quò nos indigniores omnibus æstimamus, eò alacrius nos

in medit. de tribus Vexillis.

offe-

offeramus ad Christi exemplum perfectè sequendum, "*per omnimodam etiam expoliationem rerum, (siquidem ad eam nos vocare, & admittere dignabitur) per abiectionem, & ignominiam, per opprobrij, & contemptum desiderium, vnde humilitatis virtus enascatur*) & altas agat radices.

Duo alia impedimenta in Meditatione de tribus Classibus.

Tum cauendnm monet à segnitie eorum qui vel hærent in solis desideriis bene agendi, neque adhibent media necessaria; vel 2. mordicùs tenere volunt aliqua, etsi specie tenùs bona, & Deum trahere ad votum proprium; & hortatur 3. vt affectum insincerum abijcientes, simus æquè parati ad omnia, prout ad Diuinum cultum commodiùs fore, vel ex Diuino instinctu, vel ex rationis dictamine exemplo doctrinaque Christi Domini illustrato animaduerterimus. Et quoniam nullibi desunt aut deerunt difficultates, addit quod vbi affectum sentimus aduersantem, v.g. Paupertati, & ad diuitias inclinantem (quod & de honoris æstimatione ceteriſque vitiis intellige) cõferet petere à Deo, licèt carne renitente, vt ad paupertatem, &c. nos eligat,

eligat, (sic enim ad *Indifferentiam* in omni deliberatione necessariam propius accedemus) " seruata interim libertate ad amplectendum quod magis ex Diuino obsequio futurum perspexerimus.

Ac demum in *tribus modis humilitatis*, siue dicas subiectionis, vtramque hebdomadam ac viam connectit, & tribus quasi gradibus per Meditationes prædictas, de peccatis, de Nouissimis, de vita Christi Domini, stabilitis, ad culmen viæ Illuminatiuæ contendere docet; cùm nimirum " *ne mundi quidem totius oblato dominio, vel extremo vitæ discrimine obiecto, peccatum mortale committere statuimus:*) 2. ne veniale quidem; atque vbi est æqualis Diuina laus indifferentes nos exhibere decernimus ad quælibet; ac postremò vbi esset Dei etiam æqualis laus, præeligimus cum Christo paupere, spreto, illuso, pauperiem, contemptum, & insipientiæ titulum, pro opibus, honoribus, & sapientiæ æstimatione. Qui modus subiectionis seu verius dicas exaltationis illustrari potest exemplo militis gnaui, cuius

Culmen Viæ Illuminatiuæ.

cuius partes sunt in pugna mori præeligere, quàm contra præceptum Ducis, & belli leges in re graui peccare: Ac 2. ad omnia expeditum esse, ac ne in minimo à Ducis sui voluntate discedere: Ac denique difficillima, Duce saltem præeunte, expetere, atque in eius imitatione gloriam suam atque voluptatem omnem collocare.

Vsus Electionum.

Ea autem quæ traduntur de spiritibus discernendis, vel de Electione ritè facienda ad hæc omnia stabilienda conferunt, & vsu veniunt, non tantùm in vitæ genere deligendo, sed etiam cùm facta est eius Electio immutabilis, quando multa in vnoquoque statu occurrunt ordinanda, licèt ipse status mutari non possit. Itaque siue officium aliquod, siue negotium difficile intra limites status suscepti, siue functio, siue virtus, siue actio alia obijcitur animo, ad has Regulas recurrendum est; etiam licèt variarum Consolationum experimento, atque Motionibus ac Inspirationibus à Deo immissis incitari vehementius trahique videamur (quod ad secundum tempus propositum Electioni spectat.)

Non

Non enim est omnino securum, se regere per motus tantùm voluntatis, & sensus quosdam interiores non adhibendo Considerationem debitam.

In quibus illud diligenter aduertendum cùm nihil nos mouere debeat ad aliquid eligendum aut reijciendum, nisi diuinæ laudis & nostræ salutis ratio propter quam creati sumus, quàm altè infixus hærere debeat animo hic finis atque constans propositum illius solius spectandi, & (quod ad media attinet) ex parte nostra summa *Indifferentia* (de qua vbique est sermo & vsus) nisi enim duo hæc ducant agmen Considerationum & motuum animi, nihil non præposterè agetur, ac tota denique structura vacillabit.

§. Tertius.

De Christi Passione considerandâ, & quid in eâ spectandum.

HVc igitur promotis in superiori Hebdomada, vt præeligamus cum Chri-

Christo paupere pauperiem, &c. (Pauperiem, &c. intellige, vel illam quæ communis est omnibus Deum ritè colentibus, atque in affectu (vt vocant) consistit, vel eam quam amplectuntur qui à mundo se penitùs & re ipsa segregarunt.) Ad hunc affectum augendum, confirmandumque, succedunt Considerationes quæ in tertia Hebdomada proponuntur, de vniuersâ Christi Passione, in quibus eò collimandum est, vt iam non libeat de opibus, honoribus, aut sui æstimatione cogitare; cùm videam eum cui omnia debeo, lugentem, afflictum, humiliatum, omnia flocci habentem præ voluntate Patris; neque id sine summâ difficultate, quam tamen superat. Itaque *affectibus* hic plusculum indulgendũ. *Admirationi*, videlicet, quo se pacto abscondens Christi Diuinitas conculcari sinat hominem-Deum; *dolori*, item & *fletui*, tum compassionis causâ, tum contritionis, *confusioni*, *indignationi* aduersùm peccata, & similibus iuxta punctum quod meditandum suscipitur; & id reducendum in opus quod sanctus Pater docet de Colloquiis

Affectibus piis indulgendum.

in prima Hebdomada : vt fiant, *ſicut Amici ſermo ad Amicum, vel ſerui ad dominum*; ſicut enim omnium gradibus & differentiis materia maximè accommoda eſt Paſſio Chriſti Domini, ita omnium ſtatuum *affectus* ſunt induendi, *Incipientium, Proficientium, & Perfectorum*, & eò diligentius vſurpandi, quò pleniora ſunt cuncta doloribus, ignominiis, opprobriis, id eſt Amoris infiniti teſtatiſſimis indiciis.

non tamen nudis affectibus.

Neque tamen nudis *affectibus* inhærendum, ſed perquirendo, & ſtatuendo, quid agere debeam, aut pati eius causâ, & quo pacto ad id perueniam quod in Conſiderationibus antecedentibus, primæ ac ſecundæ hebdomadæ cõceptum & agnitum eſt; vel etiam vlterius (quod

1. Cor. 2. 2. monet Apoſtolus) *vt nihil ſciam niſi Chriſtum* IESVM *& hunc Crucifixum*, & cum eodem dicere verè poſſim, *Mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri* IESV *Chriſti*. Vnuſquiſque verò in eâ re *gloriatur* in qua ſe reputat magnũ; alia, ne ſcire quidem ſe agnoſcet, inquit D Thomas hìc. itaque quemadmodum

Eſther 6. 7. vt Mardochæus honoraretur, *indutus*

eſt

est vestibus Regiis, &c. æquum est nos non solùm non erubescere ad ea quæ Christus induit, sed patienter, sed libenter, sed glorianter ferre, id est amare, & amplecti.

Ac denique Considerationibus, & affectibus huic parti conuenientibus faciendus est gradus ad vnionem intimam cum Christo Domino, Redemptore, Medico, Amico nostro qui se totum effudit in nos, vt nos raperet ad se, & quemadmodum Paulus loquitur, *Exinaniuit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, idq; cùm peccatores essemus & inimici, vt reconciliaret nos Deo per mortem suam, mortem autem crucis.* Philip. 2, 7. Rom. 5. 8. Charitatem enim hanc penitùs inspiciendo, quâ nemo maiorem habet, aut habere potest, ferreos prorsus & lapideos esse oportet si non reciprocâ charitate liquescamus.

§. Quartus.

De Viâ Vnitiuâ & reliquis Mysteriis vitæ Christi.

Duo effectus Amoris.

HÆc charitas, hic Amor, hæc vnio in sequentibus perficitur : sicut enim sunt duo præcipui effectus amoris, *dolor* scilicet de incommodis Amici, & de commodis *gaudium & gratulatio*, ita duo sunt præsertim quæ amorem nostrum in Christum incitant atque accendunt, Consideratio eorum quæ pro nobis aut egit aut passus est, vt imitemur & compatiamur ; & eorum quæ per actionem & passionem est adeptus Gaudiorum, vt vnà gaudeamus & lætitiâ communi afficiamur. Hæc igitur connectens sanctus Pater, Considerationi Passionis Christi subiungit Considerationem Resurrectionis & Apparitionum, vt " de *eluceſcente Diuinitate, qua tempore paſſionis videbatur abſcondita, & de gaudio Domini cum ſuis, ſtudeamus & nos exhilareſcere.*)

Duæ Amoris ſinceri proprietates.

Cùm autem *incommoda* Amicorum considerata, fortius Amantis animum exci-

excitent, non ad compatiendum solùm affectu, sed & cum effectu agendum quidquid possit esse solatio Amico, & auxilio, aut etiam patiendum; *commoda* verò vel languidius feriant, vel citius deriuentur ab Amici rebus ad id quod cuique est proprium, & in *inauuosam* declinent *quietem*, vt S. Petro accidit cùm diceret, *Bonum est nos hîc esse, faciamus hic tria tabernacula*, &c. Ideo S. Pater initio Contemplationis ad Amorem spiritualem excitantis (quæ forma est, & idæa eorum quæ in quarta Hebdomadâ seu Viâ Vnitiuâ appetuntur) duo statim reducit nobis in mentem, totâ hac Hebdomadâ, & vero per vitam reliquam recolenda. "1. *quod Amor ab operibus magis quàm verbu pẽdet. 2. quod hic Amor consistit in mutua facultatum, rerum, & operum communicatione.*) Cuius Amoris exemplar cùm ipse proponat in Deo *largiente* de thesauris suis tot *beneficia* primùm, quot per Creationem & Redemptionem proueniunt generatim in omnes, atque in me priuatim; deinde non *seipsum* solùm per creaturas quasi per vestigia seu effectus Diuinitatis,

Matt. 17. 4.

Hæ duæ quomodo in Deo & Christo reperiantur.

nitatis, sed *seipsum* verè in illis *existentem*, neque existentem modò, sed etiam *operantem* & quasi *laborantem*, iuxta id quod Christus ait, *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor*, atque adeò *ministrantem* nobis manibus suis; ex quibus deducit, ipsum esse *Fontem* indeficientem bonorũ omnium internorum & externorum, à quo multo perfectiùs quàm à Sole Radij, aut à fonte aqua dimanant; eadem in Christo Domino apparente & communicante se discipulis suis totâ hac Hebdomadâ (atque adeò in totius vitæ Christi altiori Contemplatione) reperire satagendum est, & nostra vicissim, nos, nostrique labores cum ipso communicãdi, & ipsius causâ impertiendi vbi, quomodo, & quando ipsi visum fuerit.

Ioan. 5. 17.

Et quomodo per eadem homo transformetur?

Et ad id denique connitendum, vt quemadmodum ex Nobis sumus Tenebræ, putredo, sanies, & origo malorum (sicut in prima Hebdomada dictum est) ita ex ipsius Colloquio consortioque (sicut de Moysi in simili perhibetur) efficiamur & nos *ex ipso, & per ipsum, & in ipso*, scaturigo, vel saltem riuus pietatis, fouen-

Exodi 34.

fouentes in nobis ipsis cogitationum, sermonum, actionumque piarum Aquas viuas, & ad alios cum Deo, & pro Deo deriuantes: vt per ea quæ ipse gessit in corpore effecti ipsi & Patri eius quàm simillimi, Dei-formem quandam in terris cum Gaudio Spiritus exerceamus vitam, & eam quam in æternum speramus, hîc inchoemus. His igitur cogitationibus armati, ipso Christo auspice, rem tantam fidenter simul ac humiliter aggrediamur. Ad quam sequentibus etiam Considerationibus iuuari poterimus.

§. Quintus.

Meditationes aliquot fundamentales quæ ad Institutum S. Patris in prima Hebdomada Exercitiorum illustrandum spectant.

FVndamentum vitæ spiritualis S. Pater noster Vnicâ Finis nostri Consideratione complectitur: ea tamen pro minus exercitatorum directione sic breuiter poterit illustrari.

Meditatio prima fundamentalis.

1. CRede & ratiocinatione confirma, atque omnino per omnia quæ scripta sunt & tradita, penitùs & inconcussè apud te statue verissimum esse quod" Creatus est homo ad hunc finem (vltimatum & transcendentem) vt Dominum Deum suum laudet ac reuereatur, eique seruiens, tandem saluus fiat:) eaque quæ huc non referuntur, funditus perire.

2. * " Reliqua verò super terram sita, creata esse hominis ipsius causâ, vt eum ad finem Creationis suæ persequendum iuuent.)

3. Vide quàm bonus in vtroque Deus: quàm liberalis; tum in ordine naturæ, tum etiam in ordine Gratiæ.

4. Quàm ex aduerso Homines mali & ingrati, vt & Deum esse obliti sint, conuersi ad Idola, vel obliuiscantur, conuersi ad vitia.

O Domine, Nouerim me, Nouerim Te, nec aliquid Cupiam nisi Te. Amen.

Medi-

Meditatio secunda.

* SEquitur "vtendum Creaturis vel abstinendum eatenus esse quatenus ad prosecutionem finis vel conferunt vel obsunt.

1. Quàm istud conforme Rationi! quàm in ordine ad Æternitatem planè necessarium! si Deum, Datorem ac Dominum, spectes, quàm æquum!

2. Ego verò nónne pro appetitu potiùs aut auersione me in plerisque, vel in omnibus duci passus sum!

3. Quàm certè spiritualibus adiumentis parcè, quàm largè Temporalibus vsus, cùm licuit, & plusquam licuit!

4. Quid hinc consequitur? *Homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Audi igitur Ecclesiasten: *Deum time, & mandata eius obserua: hoc est omnis homo.* Psal. 48. 13. Eccles. 12. 13.

Meditatio tertia.

1 CRreatus est homo. Igitur de se nihil est; nihil vnquam fuisset; in nihilum

hilum recideret; nihil etiam nunc potest.

2. *Ad hunc finem*, &c. Non vt cognoscat solùm aut præcipuè; sed *vt laudet*; non vt laudet ore solùm aut cogitatione, sed *opere & veritate*, id est, verè *reuereatur*; neque id leuiter & perfunctoriè, sed quantum potest ac debet; id est enim *seruire*.

3. Quâ mercede seruiet? *Tandem saluus fiet*. Illa merces est magna. Sublimius tandem aliquid cogitandum, & seruiendum Creatori quia Creator est; quia beneficus est, & dat omnia; quia Bonus est, & conseruat omnia; quia Potens est, & fecit omnia, & omnia potens in nihilum conuertere: denique quia Deus est.

Quantum potes, tantum aude
Quia maior omni laude
Nec laudare sufficis.

Meditatio quarta.

1. CReatus est homo ad hunc finem, &c. Seculares quasi mediatè & longius; dixit enim, *Faciamus hominem*, &c. Gen. 1. 26.

&

& præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis, vniuersæq; terræ. Religiosi, & Clerici immediatè & propiùs: *vt cantem gloriam tuam* (inquit Psalmista) *tota die magnitudinem tuam.* Si reliqua deinde tractare necesse est, id secundariò faciunt. Psal. 70. 8.

2. Vide quales Angeli in Cælo, tales enim vt in terra sint Religiosi facti sunt; *Omnes Administratorij spiritus*, vt seruiant tantò accuratius, quantò vicinius. Hebr. 1. 14.

3. Vide quam curam de populo Israël habuit olim Deus: eamdem de te habuit, vt de Ægypto liberaret, duceret superatis fluctibus, per Columnam nubis & ignis, potando de petra, Cibando de Cælo, & c. de te etiam dicet, *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Hunc igitur ama, lauda, reuerere: hîc finem dicendi, quærendiq; facito; neque facito diligendi. Ioan. 15. 14.

Meditatio quinta.

* QVa propter debemus absque differentia nos habere circa res omnes creatas, & c. ita vt non quæramus sanita-

nitatem magis quàm ægritudinem, neque diuitias paupertati, honorem contemptui, vitam longam breui præferamus, &c,

1. Nisi istud inducamus in animum nullus appetituum erit finis, nullus modus, aut vlla victoria. Difficulter mandata, difficilius Consilia seruabimus. " *Ac praterea* consentaneum est ex omnibus ea demum quæ ad finem ducunt (cuius gratia conditi sumus) eligere ac desiderare.)

2. Ex hac Indifferentia tot Heroici spiritus, quot in nostra Societate per Dei gratiam vidimus, prodierunt; vtrumque orbem ex obedientia & zelo amplectentes, & quælibet ministeria.

3. Hinc Sancti vbique admirandi, gratias ex animo agentes, in aduersis æquè ac in prosperis. Hinc Christus Dominus dicebat, *Meus cibus est vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius.* Ioan. 4. 34.

Perfice in nobis, Domine, Cognitionem finis, vt perficiamus opus. Amen.

Medi-

Meditatio sexta.

De Peccato Angelorum.

* POsitis præludiis & exercita memoria circa primum omnium peccatorum quod fuit ab Angelis commissum, adhibito statim discursu intellectus & voluntatis motu, instigante me ad voluenda & intelligenda ea per quæ erubescam totus, factâ vnius tantùm peccati Angelorum cum tot meis comparatione, considerabo

1. Quales Angeli à natura fuerint creati, & qualis ego! quales etiam illi à Gratia, qualis ego! à neutrâ illi securi, quantò minus ego!

2. Ex vtraque illi superbi, & inde Inobedientes, vt vtrumque ego caueam.

3. In vtraque illi æternum, & irremissibiliter puniti, vt confundar ego.

* Colloquium fiet imaginando IESVM Christum coram me adesse in Cruce fixum, & in eum intuens ea proloquar quæ suggeret mens & affectus.

Meditatio septima.

De peccato Primorum Parentum.

* POsitis iisdem Præludiis, & exercita memoria circa peccatum primorum parentum. Considerabo

1. quod sicut primum peccatum Angelorum infecit singulos, sed innumeros sed vltra cogitationem nostram præstantes, hoc secundum primorum parentum infecit vnum, sed per vnum omnes; quantũ igitur virus! *quanta corruptio*! Si in vno tanta, quanta in pluribus! quanta in grauioribus!

2. Iste Dei misericordia resipiscens, *quantam egit* pœnitentiam nongentorum annorum in illis mundi cunabulis, ac deinde limbo inclusus ad tot secula! & ego quid refugio? ô pudor!

3. Vnus, ac deinde pauci ex pòst lapsis resipuerunt: " *quot millia hominum ad Inferos deturbata sunt*!

Colloquium fiet vt in præcedenti; voluendo ea per quæ erubescam totus.

Medi-

Meditatio octaua.

De particulari quolibet peccato mortali.

1. SVme vnum aliquod peccatũ quod tu fortè commisisti, vel prope commisisti, " *pro vno tali vel semel dumtaxat commisso, fortè detrusi sunt multi ad Infernum.*) Cur obsecro? *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Tibi* enim *soli* Bono infinito contrarius *peccaui, & malum coram te feci*, vel feciſſem. O Domine, non faciam.

2. * " Memoriâ versa quanta sit peccati 1 grauitas, & 2 malitia 3 Deum 4 omnium 5 Conditorem atque 6 Dominum offendentis.)

3. * " Ratiocinandum quoque est, supplicium æternum iustè peccato irrogari, vtpote aduersus infiniram Dei bonitatem perpetrato.)

Colloquium fiet vt in præcedenti * " perconctans quid hactenus dignum egerim pro Christo; quid agam tandem, aut agere debeam; petendo consilium & auxilium.)

Adiuua

Adiuua me Domine Deus in bono proposito & sancto seruitio tuo, & da mihi nunc hodie perfectè incipere, quia nihil est quod hactenus feci. *Thom. Kemp. l. 1. c. 19. n. 1.*

Meditatio nona.

De peccatis prædictis.

*'' IMaginando Iesum Christum coram me adesse in Cruce fixum, & rationem quâ Creator ipse infinitus fieri Creatura, & ab æterna vita ad temporaneam mortem venire pro peccatis meis dignatus est exquirens,) perpendam

1. Quanta sit malitia peccati, quæ aboleri non potuit nisi tanta Bonitate!

2. Quanta Infectio quæ curari non potuit nisi tanta Medicina!

3. Quanta seruitus quæ redimi non potuit nisi tanto litro!

4. Quàm enormis superbia & inobedientia quæ reduci non potuit nisi tanta Humiliatione, &c.

*'' Et in eum intuens proloquar quæ

quæ ſuggeret mens & affectus.

O Bonitas! ô Medicina! ô pretium! ô humilis IESV! quid egi? quid agam? quid agere debeo!

Ego Superbus, Putris, Captiuus, & ſuper omnes malos malus, niſi tu Conſilium & auxilium ſuggeras, Bone IESV.

Meditatio decima.

De Peccatis iuxta ſecundum Exercitium.

INter peccata totius vitæ numera plurima venialia quæ commiſiſti; & cogita ſeriò quod fortè propter pauciora derelicti ſunt multi, ita vt poſtea ruerint in infernum.

1. Perpende eorum in ſuo genere fœditatem, &c. Cogita quis Tu ſis, & quantulus; vnus, ſolus, homuncio, &c. ex peccato verò, vlcus inſanabile, fœdum, pernicioſum aliis, tibi, Chriſto Domino; deinde Corpus ipſum quid eſt!

2. Compara te iam Deo tam bono cui Tu tam malus, tam Potenti tam infirmus, tam Sapienti tam inſipiens, tam

Recto.

Recto tam tortuosus, &c. ausus es te opponere.

3. Quid deinde si Creaturæ omnes egissent mecum pro meritis aut quemadmodum ego cum Deo? Si recessissent sicut recessi; si neglexissent sicut neglexi; si contempsissent sicut contempsi; si insurrexissent sicut insurrexi; si renuissent sicut renui!

* '' Terminanda erit Meditatio per Colloquium extollendo infinitam Dei Misericordiam; gratias agendo quod ad hunc diem prorogauerit vitam, & proponendo emendationem recitabo semel Pater noster.)

Domine Deus meus, omnia bona mea tu es: & quis ego sum vt audeam ad te loqui, &c. *Th. Kemp. l. 3. c. 3. in fine.*

Meditatio vndecima.

* NOn erit aliud quàm Repetitio præcedentium cum tribus Colloquiis: Notatis scilicet punctis in quibus maiorem sensimus Consolationem, Desolationem, aut aliam quamcumque spiritualem affectionem; ac illis diutius dili-

diligentiusque immorandum erit. Deinde occurrente nobis spirituali motu ad Colloquia quæ sequuntur tria veniemus: ad Virginem Matrem, ad Deum Filium, ad Deum Patrem, vt impetremus gratiam necessariam, vt

1. " Intimam criminum nostrorũ Cognitionem & detestationem sentiamus,) ad quam iuuabit ex prædictis recolere
   - *Odium* inter Deum & peccatorẽ quem ita punit.
   - *Fœditatem* peccatoris ex amissione gratiæ & virtutũ.
   - *Infectionem*, quia peccatũ causa est omnium malorũ.

Infinitatem ex iisdem & Passione Christi; ac denique *Meritum*; quia adhuc Deus punit infra condignum, &c.

2. " Vt operum nostrorum agnoscentes abhorrentes
   - Ne, qui aliis pepercit, mihi non parcat.
   - Ne, diu differendo impleatur mẽsura peccato-

que ordinem perueſum, correctò eo nos ſecundùm Deum rectè ordinemus.)

catorum.

Ne diu reſpuendo veniatur ad vltimam Gratiarum.

Ne ex amore mei perdam Amorem Dei qui me expectat.

3. " Vt perſpecta & damnata mundi prauitate, à rebus mundanis & vanis nos recipiamus.)

Quàm celerrimè, propter pericula.

Quàm longiſſimè, propter Infectionem.

Quàm perfectiſſimè, propter obligationem meam erga eum, qui ex tam multis me inter paucos ſelegit, &c.

Meditatio duodecima.

De Morte.

1. MOrs eſt *Terminus rerum* omnium, itaque Ego rebus, res mihi omnes paulatim emoriuntur: nihil fixum, nihil ſtabile,

ſtabile, nihil proinde in rebus mundanis niſi inanitas quâ non repletur animus, aut beatur.

2. Mors eſt *Separatio*: itaque à dilectiſſimis abeundum eſt, à pretioſiſſimis; à commodiſſimis, &c. quidni hoc perſpecto recipiamus ab his affectum noſtrum, & in firmioribus collocemus!

3. Mors eſt *Corruptio*; per quam oſtenditur quid res olim in ſe & ſemper fuerint; quo perſpecto, habeo quid de Corpore meo ſentiam; quid de ceteris rebus quæ blandiuntur; itaque damnata mundi prauitate me ab eo diligentius recipiam.

4. Mors eſt *Certa*; Hora incerta; ſemel tantùm tranſigenda. Itaque terminus rerum certus, ſeparatio certa eſt, & Corruptio eorum quæ videntur. Ad ea igitur quæ non videntur adijciendus animus, & à mundanis & vanis rebus recipiendus.

Ad hæc iuuabunt tria Colloquia ſuprà dicta.

Meditatio decimatertia.

De iis quæ in Morte affligunt.

1. AFfligunt *Præterita*: Peccata scilicet, Omissiones, Negligentiæ, ac præcipuè Tempus & Occasiones bene faciendi irrecuperabiles; & Vanitas huius mundi non antea satis perspecta.

2. Affligunt *Præsentia*: Dolores scilicet Corporis, somnus fugiens, ipsa medicamenta, phantasiæ variæ, socij etiam & circumstantes, licèt aliàs gratissimi.

3. Affligunt *Futura*: Incertitudo ipsa Vitæ, quæ non sine desiderio relinquitur: Quid deinde post futurum, Successus Iudicij, Timor Inferni, horror dæmonum, &c.

4. Quantò satius nunc prouidere his omnibus, præteritis per *Pœnitentiam*; præsentibus per *Diligentiam*; futuris per *Præcautionem*!

Iuuabunt tria Colloquia.

Ad B. Virginem: vt impetret dolorem de peccatis & omissionibus, veram etiam & sinceram emendationem.

Ad

Ad Christum Dominum: vt animet ad dolores & difficultates tempestiuè superandas.

Ad Deum Patrem: Vitam animamque illi committendo & humiliter petendo vt commendet Filio nunc Aduocato, pòst futuro Iudici.

Meditatio decimaquarta.

De Iudicio Extremo.

1. COnsidera 1. coram quibus comparendum? Coram Christo Domino veniente cum potestate magna & Maiestate; coram Angelis & Sanctis; coram hominibus & dæmonibus omnibus.

2. Quid acturus? Redditurus rationem de Verbo leuissimo; de cogitatione secretissima; de opere turpissimo, de Talentis; de Villicatione; de veste nuptiali; de non condonatis iniuriis: de omissa Misericordia; de omni re quam fecerit, aut non fecerit homo.

3. Quis? Ego solus: Accusatore & teste libro Conscientiæ aperto coram omni-

omnibus: Actore diabolo; Auditore vniuerso; defensore tunc nullo.

4. Quo euentu? Tu nunc videris.

Colloquium fiet cõuersis precibus ad B.V. Matrem; Ad Christum Dominum nunc Aduocatum: & ad Deum Patrem qui illum nobis dedit propitiatorem,

Meditatio decimaquinta.

De Inferno.

1. SPecta locum vastum, horridum, tenebrosum; Personas: Homines scilicet, & malos dæmones innumeros; flammas & genera varia tormentorum.

2. Audi planctus, eiulatus, vociferationes, blasphemias in Deum, execrationes in seipsos.

3. Olfacito sulphur, sentinam, putorem, graueolentiam peccatorum, & puredinum.

4. Gusta fumum, lachrymas ardentes, vermes, amaritudinem Conscientiæ, & rancoris.

5. Tange ignes æternos: Compressionem corporum ardentium, ictus flagello-

gellorum, iactationes brachiorum, &c. O æternitas! Neque otiosè his interſis; ſed recurre identidem ad Chriſtum Dominum gratias agendo quod hactenus ſeruatus ſis ad miſericordiam: Clama ad illum, *De profundis*, &c.

Meditatio decimaſexta.

De Purgatorio.

1. SPecta locum Inferno non valde abſimilem.

2. Eſt ibi pœna damni, incertum quamdiu duratura: illa acrius ſentitur quo cognitio eſt maior & Charitas in Deum.

3. Pœna etiam ignis, Inferorum non impar. Patientia quidem magna, ſeu ſenſus acerrimus.

4. Puniuntur noxæ leuiſſimæ, etiam Amicorum.

5. Redimuntur pœnitentiis, Indulgentiis, actibus ardentibus Charitatis; frequentatione accurata Sacramentorum, & aliis adiumentis.

Colloquia vt suprà.

Vt detur sentire hîc quid pœnæ sit, vt ibi non sentiam, &c.

§. Sextus.

Paradigma Meditationum secundæ Hebdomadæ Exercitionum ac deinceps reliquarum.

AD Meditationes secundæ, reliquarumque hebdomadarum introducit nos S. Pater, vt vidimus, per Contemplationem Regni Christi. Huius Considerationis specimen Christus ipse dedisse videtur in ea quam proposuit parabola Lucæ 19. capite, de Homine Nobili: eam igitur hîc subijciemus ad rem præsentem accommodatam.

De Regno Christi Meditatio.

Luc. 19. 12. *Homo quidem Nobilis abijt in regionem longinquam accipere sibi regnum & reuerti.*

1. QVis nobilior Christo Domino? quis Regno dignior? præsertim cùm

cùm in regionem hanc longinquam venerit illud accipere, tot titulis sibi debitum quot vel cogitari possunt: *& reuerti*, non onustus terrenis spoliis, sed animabus, ad ipsarum æquè felicitatem ac gloriam atque suam, vt regnum ipsum cum illis partiatur.

* In animo mihi est (inquit) regiones infidelium vniuersas ditioni meæ subijcere, &c.

2. In hac sua peregrinatione & nostra, non grauat nos oneribus non ferendis; non aufert nostra inuitis, iuxta ius Regum, & mundi consuetudinem; sed dona sua gratiasque distribuit, quibus *negotiemur dum veniat* nostro commodo. Et licèt exhorretur vt terrena, tamquam impedimenta, vltrò proijciamus, & iugum ipsius tollamus, illud ipsum multis modis alleuiat gratia sua & exemplo, *vnicuique* præbens & dona & munia, *secundùm propriam virtutem*. 1. Reg. 8. 11.

* Quicumque comitari me voluerit, paratus sit oportet non alio vti victu, vestitu, rebusque aliis quam me vtentem conspexerit, &c.

3. Conditiones negotiationis & re-

gni sunt 1. fidelitas in opere: 2. Immensitas in præmio: *quia in modico fuisti fidelis eris potestatem habens super decem civitates*, &c.

* In eisdem laboribus persistendo, particeps erit, &c.

Hîc igitur Considera quidnam respondere debeant Regi amantissimo, & liberalissimo fideles subditi, &c.

Sequuntur Meditationes de Infantia Christi Domini vsque ad Annum 30. quæ ex iis quæ in 1. Capite Notationum positæ sunt, desumi poterunt.

Quoniam verò ad perfectionem tendentibus, non solùm incitamenta ad virtutem, sed fraudes etiam inimici, atque impedimenta diligenter attendenda sunt, intermiscet S. Pater (vti diximus) meditationes de duobus vexillis & de tribus hominum Classibus, quo astus dæmonis, & hominis imbecillitas & inconstantia clariùs ob oculos ponatur: His itaque lucem etiam afferēt sequentes ex sacrosancto Euangelio Considerationes.

Medi-

Meditatio de duobus vexillis.

Pars I.

1. POst loci compositionem in libello Exercitiorum positam Concipiendum est ingens odium aduersus Principem tenebrarum, *Regem super omnes filios superbiæ*: ex loco regni, Campo scilicet Babylonico, origine omnis confusionis: ex Cathedra ignea & fumosa, ab horribili figura, vultu terribili, animo cruento, truculentoque, Intentione supra omnem modum fœda, pestifera, crudeli, atque ab horum omnium Causâ, Superbiâ, & odio in Deum inueterato. Iob. 41. 25

2. Tum auscultandum quid ore pestilenti euomat quid mandet, quid suadeat: *In cælum*, inquit, *conscendam; super astra Dei exaltabo solium meum*, &c. &, *Venite insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem, deglutiamus eum sicut infernus viuentem*, &c. *Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras*, &c. *fruamur bonis quæ sunt, vino pretioso & vnguentis.* Is. 14. 13. Prou. 1. 11. Sap. 2.

3. Quo præmio! *Tenent tympanum* Iob. 21. 12.

& cytharam, & gaudent ad sonitum organi: ducunt in bonis dies suos & in puncto ad Inferna descendunt.

4. Conuertam deinde me ad Incomparabilem Ducem Christum, sedentem in monte Oliueti, monte pacis & compassionis, ac suauissimo, tenerrimoque amore in istum concepto ab aspectu amabili, forma speciosa, ac præcipuè ab iis quæ intus latent virtutibus, potentia, diuinitate, sanctisque, atque mihi & vniuerso orbi vtilibus cogitationibus audiam diligenter quid mandet, quid consulat, quid promittat.

Matth. 5. *Beati*, inquit, *Pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cælorum*, &c. *Ego dico vobis non resistere malo*, &c. Matt. 11. 29 *Discite à me quia mitis sum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris.* & similia multa, quibus acre bellum indicitur mundo, eiusque Axiomata penitùs subuertuntur, fraudes, fallaciæ, mendaciaque Principis mundi, veritatis luce detegunturque, prosternuntur nequitiæ potentia pietatis.

* Colloquium denique formandum erit, &c.

De

De duobus vexillis. PARS 2.

1. QVoniam verò non noſtram tantùm perniciem ſitit machinaturque Dux hic Impiorum, ſed omnium eo maiori odio in illum exardeſcam quo in plures illius diffunditur; Compatiar itaque quantum poſſum Ignorantiæ, fragilitati, inclinationi plerumque ad malum, ruinæ, ceteriſque miſeriis hominum, eorumque dolebo vices. In incitantem verò dæmonem, protrudentem, & ſannis acerbiſſimis irridentem miſeros in peccata, & in Inferna prolabentes, toto inſurgam zelo, & omnem conatum meum ad eius conatus euertendos meritò deuouendum eſſe decernam.

2. Atque ex aduerſo Chriſti Domini miſericordiam benignitatem, Amorem erga genus humanum extollens, vt qui non vitæ, non ſanguini, non laboribus pepercerit ad miſeros iuuãdos, eripiendoſque, atque in tuto collocandos, vehementi excitato deſiderio me illi, illiuſque Apoſtolis quoquo modo iun-

gendi, prorumpam in Colloquia tria prædicta, &c.

De Tribus hominum Classibus.

Et hæc quidem à dæmone, mundo, & carne tentamenta procedunt, quæ autem hominis ipsius infirmitas obijcit impedimenta sequenti meditatione de Tribus hominum Classibus comprehenduntur: in quorum primam Classem rectè quadrat illud Phariſæorum apud Matthæum, *Magister volumus in te signum videre.* Iam manum aridam restituerat, iam mutum, surdum, à dæmone vexatum curauerat, & signa plura fecerat: Hæc fuerant calumniati, *In Principe*, inquiunt, *dæmoniorum ejcit dæmonia.* Alij alia dictitabant nimirum videmus mala nostra, inuiti ea relinquimus; ideo excusationem quærentes, maiores gratias, clariora lumina requirimus. *Generatio incredula*, &c. *Et signum non dabitur ei nisi signum Ionæ Prophetæ*, &c. Christus ipse, eiusque vitæ, mortis, resurrectionis attenta cõsideratio. "Domine IESV, quia arcta est vita tua; & mundo despecta, dona mihi Te cum mundi despectu imitari: (Nõ enim, &c.)

1. *Classis.*

Matth. 12. *vide etiam* Marc. 3. 22.

Th. Kemp. l. 3. c. 56. n. 3.

2. *Classis.*

Secundam autem Classem Esaias describit,

scribit, cùm populum Israëliticum introducit quærentem, *quare ieiunauimus & non aspexisti?* &c. & deinde respondentem Deum; *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis.* &c. * '' Deum scilicet potius trahere volunt ad votũ suũ.) Es. 58. 3.

Quid verò suggerit Saluator Christus Dominus? *A diebus Ioannis Baptistæ vsque nunc regnum cælorum vim patitur & violenti rapiunt illud,* &c. 3 *Classis.* Matt. 11. 12.

'' Domine Iesv, sicut dixisti & promisisti, sic vtique fiat; & mihi promereri contingat. Suscepi, suscepi de manu tua Crucem; portabo, & portabo eam vsque ad mortẽ sicut imposuisti mihi.) Th. Kemp. ibid, n. 4.

Ad hanc alacrius post Iesv portandam iuuant mirum in modum Meditationes de Passione Domini in tertia Hebdomada propositæ; de quibus aliisve deinceps nihil attinet dicere, cùm abundè ex Notationibus sequentibus apparear quis ex illis fructus porrò colligi possit ac debeat; quem amplissimum opto voueoque, ad Domini Iesv perennem laudem, cui gloria, honor & Imperium in sæcula. Amen.

DISTRIBVTIO

Mysteriorum Infantiæ Christi Domini Considerandorum Ab Aduentu ad Septuagesimam.

DOminica 1. Aduentus. De vtroque Christi Aduentu, Amabili, & Terribili: Ex Synopsi primi Capitis, *Hoc sentite in vobis*, &c. & Euangelio Dominicæ quod tibi alter Index monstrabit.

Feria 2. 1. & 2. Punctum primi Mysterij.	1. Christi Æterna Generatio.
3. Punctum 3. eiusdem.	
4. Eiusdem Mysterij repetitio.	
5. & 6. 2. Mysterium.	2. Nuntiatur Ioannes Præcursor nasciturus.

Sabbato recolendus erit fructus præcedentium Considerationum.

Dominica 2. Aduentus.	Euangelium Dominicæ.

Feria

Feria 2 & 3. 3. Mysterium.	3. Nuntiatur Christi Incarntio, *Pars* 1.
Feria 4 & 5. 4. Mysterium.	4. Superioris, *Pars* 2.

Feria 6. Repetitio.

Sabbatho Consideratio fructus.

Dominica 3. Aduentus.	Euangelium Dominicæ.
Feria 2. 5. Mysterium.	5. B. V. Visitat Elizabetham.
3. Canticum Magnificat.	Ex eodem.
4. 6. Mysterium,	6. Ioseph de Virgineo conceptu instruitur.
Feria 5. 7. Mysterium.	7. Nascitur Ioannes Baptista.

6. Repetitio : vel Canticum *Benedictus.*

Sabbatho Consideratio fructus.

Dominica 4. Aduentus.	Euangelium Dominicæ.
Feria 2. 8 Mysterium.	8. Munus ad quod destinatus Ioan.
3. 9. Mysterium.	9. Expectatio Aduentus Christi.

3. 9. Mysterum.

4. 10. Mysterium.

5. Repetitio præcedentium.

6. Et sabbatho seu in Vigilia Natiuitatis.

9. Expectatio Aduentus Christi, *Pars* 1.

10. Expectationis *Pars* 2.

11. Mysterium de itinere IESV, Mariæ, Ioseph in Bethleem.

* Cùm fuerint pauciores dies Aduentus, vel omitti poterunt aliquot Repetitiones; vel consideratio Euangeliorum Dominicalium in alias commutari.

Die Natiuitatis Domini.

12. Myster. Christus nascitur.

Die 26. Repetitio.

Die 27. 13. Mysterium.

13. Angeli nũtiant Pastoribus gaudium, *Pars* 1.

Die 28. 14. Myst.

Superioris, *Pars* 2.

Die 29. Repetitio.

Die 30. 15. Mysterium.

Pastores transeunt in Bethleem.

Die

Die 31. Repetitio vel Consideratio fructus.

Die 1. Ianuarij 16. Mysterium. 16. De Circumcisione Domini.

Die 2. 17. Mysterium. 17. De Nomine IESV imposito.

Die 3. Repetitio vtriusque.

Die 4. & 5. fiet Recapitulatio Mysteriorum à Natiuitate Domini consideratorum per viam applicationis sensuum, vel aliter.

Die 6. & 7. Ianuarij 18. Myst. 18. De Apparitione stellæ.

Die 8. & 9. 19. Mysterium. 19. De Aduentu Magorum Hierosolymam.

Die 10. & 11. 20. Mysterium. 20. De Itinere Magorum in Bethleem.

Die 12. & 13. 21. Mysterium. 21. De Adoratione Magorum

* Si supersint dies ante Dominicam 2. post Epiphaniam fieri poterit repetitio Mysteriorum Circumcisionis Domini & vocationis Magorum, aut etiam aliorum.

Dominica 2. post Epiphaniam. Euangelium Dominicæ.

Feria 2. 22. Mysterium. 22. De Purificatione B. M. &c.

3. 23 Mysterium. 23. De lege Purific.

4. Repetitio præcedentium.

5. 24. Mysterium. 24. De occursu Simeonis, *Pars* 1.

6. 25. Mysterium 25. De occursu, *Pars* 2.

Sabbatho Repetitio vel Consideratio fructus.

Dominica 3. post Epiphaniam. Euangelium Dominicæ, vel superiorum duorum Mysteriorum Repetio applicata ad Communionem.

Feria 2. 26 Mysterium. 26. De occursu, *Pars* 3.

3. 27. Mysterium. 27. Annæ Prophetissæ occursus.

4. Repetitio præcedentium.

5. & 6. 28. Mysterium. 28. Fuga in Ægyptum.

Sabbatho recolatur fructus.

Dominica 4. post Epiphaniam. Euange-

ge-

gelium Dominicæ.

Feria 2. 29. Mysterium.	29. De Cæde Infantium.
3. 30. Mysterium.	30. Reditus ex Ægypto.
4. Repetitio præcedentium.	
5. & 6. & Sabbatho Recapitulatio Superiorum à Purificatione cum recollectione fructus.	
Dominica 5. post Epiph.	Euangelium Dominicæ.
Feria 2. & 3. 31. Myst.	31. Christus ascendit in Templum Anno 12. *Pars 1.*
Feria 4. & 5. 32. Myst.	32. Superioris, *Pars 2.*
Feria 6. & Sabbato 33. Mystarium.	33. Vita Domini IESV ad Annum 30.

* Si sint pauciores Dominicæ inter Epiphaniam & Septuagesimam contrahi poterunt Meditationes omissis repetitionibus, &c. vt ante Natalitia dictum est: si supersit adhuc 6. Dominica, Addi poterunt aliæ vt cuique visum fuerit ex §. §. Introductionis vel aliunde sumptæ.

Quod

Quod ad fructum verò ſpectat qui plerumque diebus Sabbatinis conſiderandus proponitur, ſic accipe, vt quemadmodum à S.P.N. poſt 1. & 2. Exercitium 1. Hebdomadę inſtituitur repetitio prę-
» cedentium " Notatis punctis ſeu locis
» in quibus maiorem ſenſerimus Conſo-
» lationem, Deſolationē, aut aliam quam-
» cumque ſpiritualem Affectionem, quo
» illis diutius diligentiuſque immoremur,
» fixius tractando illas partes, in quarum priore tranſcurſu (aliquid Illuſtrationis, Conſolationis, vel Deſolationis acceperimus) Ita ex totius Hebdomadæ tranſactæ Myſteriis, lumen aliquod ſeu axioma, aut etiam virtutem ſeligentes, in illam accuratius intēdamus animum; exquirentes quid in ea egerimus, quid porrò agemus, aut agendum cenſeamus Auctoritate, ratione, exemplo, aliiſque modis nos ad eam amplectendam incitantes, ac demum Deo per Colloquia tria conſueta quidquid in Domino occurrerit offerentes. Ad quæ vſu venient Regulæ ad electionem ſinceram faciendam præſcriptæ, vt dictum eſt)

CA-

CAPVT PRIMVM.

Continens Mysteria Infantiæ Christi Domini:

Ab

Aduentu vsque ad Septuagesimam considerandæ.

SYNOPSIS.

Sequentium Primi Capitis Notationum.

HOC [3] sensite in vobis quod & in Christo IESV; *qui cùm in forma [2] Dei esset, non [3] rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed [4] semetipsum [5] exinaniuit, formam [6] serui accipiens; in similitudinem [7] hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit [8] semetipsum* Philip. 2. 5.

1. Ad Coniunctionem cum Natura humana.
2. Ad Carcerem nouem mensium.
3. Ad Præceptum inferioris.

4. Ad

4. Ad ſtabulum ac Præſepe.
5. Ad Pannos & ſtramen.
6. Ad Ætatem Infantilem.
7. Ad ſocietatem Paſtorum.
8. Vt Circumcideretur vt Noxius.
9. Vt offerretur velut obnoxius.
10. Vt Redimeretur vt pauper.
11. Vt Cederet iræ tamquam imbecillior.
12. Vt fugeret tamquam Timidior.
13. Vt Vagaretur tamquam nullius loci Dominus.
14. Vt lateret tamquam Homo nihili.
15. Vt Negligeretur tamquam fabri filius.
16. Vt ſileret tamquam Ignorans.
17. Vt Obediret tamquam Subditus.

Th. Kemp. l. 3. c. 8. n. 1.

Si me amplius reputauero, Ecce Tu ſtas contra me, &c.

Chryſoſtomus hom. 18. in Gen.

Nihil temerè vel fortuitò loquitur Scriptura, ſed & ſyllaba, & apiculus vnicus reconditum habet theſaurum.

Et hom. 15.

Spiritus ſancti Verba ſunt, & propterea magnum in his theſaurum inuenire licèt, etiam in vna dictione.

CAPI-

CAPITIS PRIMI

De Infantia Christi Domini

MYSTERIVM PRIMVM.

Christus in forma Dei & Aeterna eius Generatio. Ioan. 1.

1. IN [1] *principio* [2] *erat* [3] *Verbum*, & *Verbum erat* [4] *apud Deum, & Deus* [5] *erat Verbum; hoc* [6] *erat in principio apud Deum.* Mundus in principio factus est; Verbum iam erat; neque loco distabat, neque tempore, neque naturâ aut essentiâ; nam & erat, & apud Deum erat, & Deus erat, & hoc in principio erat, antequam & cùm non esset vlla Creatura. ''Ne dimittas illud *Erat* (inquit Basilius) non relinquas *in principio*; Principij summitas nequaquam deprehenditur.) Dicetur & de Te aliquando, *fuit*: sed non, *erat in principio*. Vide vbi fueris: vbi futurus sis: & tuo modulo conare esse apud Deum. Hoc vtinam in principio! vtinam vel in fine vitæ! *In die Natiuitatis Domini.* Gen. 1. Basilius hom. 16.

2. *Omnia* [1] *per ipsum facta sunt, & sine* [2] *ipso factum est nihil.* Dixerat de Essen-

Essentiâ. de Personâ, de Æternitate, nunc Potentiam explicat, *Omnia per ipsum*; & Bonitatem se liberaliter communicantem, simul Infirmitatem nobis nostram insinuans: vnde & postea dicit nobis & omnibus, *Sine me nihil potestis facere.* Hunc igitur Paternæ Potentiæ Bonitatis Operationis consortem liberalem Tu humiliter liberaliterque adi, dando & petendo; fortè reperies multa quæ sine Te Ipse non volet facere

Ioan. 15. 5.

3. *Quod factum est* [1] *in ipso Vita erat, & Vita erat* [2] *lux hominum; & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam* [4] *non comprehenderunt.* Ambrosius." Caro facta est in ipso, Vita est: Infantia facta est in ipso, Vita est; Illusio facta est in ipso, Vita est; Vulnus factum est in ipso, Vita est; Iudicium factum est in ipso, Vita est: Mors facta est in ipso, Vita est; Sepultura facta est in ipso, Vita est; Resurrectio facta est in ipso, Vita est; Vide quanta in ipso facta sunt in quibus Vitæ nostræ facta conuersio est, quia ipse qui erat in principio, natus est ex Virgine v t esset vita morituris) Hanc vitam, hanc lucem apprehende modis omni-

Ambr. in epist. 36.

omnibus, vt non te *tenebræ comprehendant*; si omnia per ipsum, & omnia vita, quia ab ipso; quid hæres? quid deijceris? quid ni in ipso semper fidas, semper sis?

II.

Nunciatur Ioannes Baptista nasciturus. Luc. 1.

1. *FVit in diebus [1] Herodis Regis Sacerdos nomine Zacharias, & vxor eius Elizabeth; erant autem [2] iusti ambo [3] ante Deum, [4] incedentes in omnibus [5] mandatis, & [6] iustificationibus Domini, [7] sine querela, [8] & non erat illis filius, eò quòd esset [9] Elizabet sterilis, & ambo [10] processissent in diebus suis.* [11] Dum dicitur sub quo Rege quis sacerdos sit, temperantur mala, adest semper in mœrore solatium; Incedit autem qui non stat in triuiis peccatorum, qui peregrinum se hoc sentit in sæculo, qui asperas virtutum intrat intrepidus mansiones.) Vide singulas viri pij proprietates, neque tamen ab afflictione liber est; præciqua laus iustum esse ante Deum. [12] Vbi sæpe mul-

In Vigilia S. Ioannis Bapt.

Chrysolog. ser. 5. 86.

Greg. 35. mor. c. 4.

multorum vita displicet, quæ foris hominibus placet. non est secura laus, Iustos ante homines apparere.)

2. *Factum est autem dum sacerdotio fungeretur* [1] *in ordine vicis suæ, &* [2] *incensum poneret,* [3] *apparuit illi Angelus Domini, stans à dextris Altaris Incensi, & ait, Ne* [4] *timeas,* [5] *exaudita est oratio tua, & vxor tua pariet tibi filium, &* [6] *vocabis* [7] *nomen eius Ioannem, &* [7] *multi in natiuitate eius gaudebunt, &* [8] *erit magnus* [9] *coram Domino, &* [9] *vinum & siceram non bibet, &* [10] *Spiritu sancto replebitur ex vtero matris suæ, &* [11] *multos conuertet: &c.* [12] *parare Domino plebem perfectam.* Ordinem amat Deus; in ordine fungentes vice sua exaudit, alloquitur; & eos quorum oratio est tamquam incensum. Chrysost. hom. de Eccl. "Cogita cum quibus Deum sis inuocaturus, cum Cherubim, cum Seraphim, &c.) Et" Chrysol. serm. 88. si quamuis bene conscius pauet, quo pauore trepidabit, &c.

3. *Et dixit Zacharias,* [1] *Vnde hoc sciam? Et respondens Angelus, dixit,* [2] *Ego sum Gabriel, &c. &* [3] *eris tacens vsque in diem qua hæc fient.*" Chrysol. serm. 42. Quid quod à silentio,

tio, & sterilitate, & senectute vox pro- Isidor. Pel.
creata est?) bene hoc totum feciſſe Do- lib. 1. ep. 131.
minum confitentur. O quanto silentio
vox nascitur!) "In silentio & quiete
proficit anima deuota, &c.) Th. à Kemp. Th. Kemp.
Elizabeth verò occultabat se mensibus lib. 1. c. 20.
quinque, dicens, quia sic mihi fecit Domi- n. 6.
nus, &c. "Nam qui spiritualis, & fortis
in bono opere nondum est, ea quæ agit,
sapienter abscõdit.) Greg. 1. Reg l. 4. c. 4.

III.

Nunciatur Christi Incarnatio.

Luc. 1. 26.

1. IN *mense autem sexto* (post nuntiatum Baptistam) [1] *missus est Angelus Ga-* *In Annunt.*
briel à Deo [2] *in ciuitatem Galilea, cui* [3] *no-* *B. V. & fer.*
men Nazareth, ad [4] *Virginem* [5] *desponsa-* *4. quat. tẽp.*
tam viro, cui nomen erat [6] *Ioseph,* [7] *de do-* *Aduent:*
mo Dauid, & nomen [8] *Virginis* MARIA.
"Bene Angelus ad Virginem, quia sem- Hieron.
per Angelis cognata Virginitas; vtrum-
que tamen Diuini muneris non huma-
ni. Ad desponsatam autem quia "Opor- Ambr. hîc.
tet sanctos & ab iis testimonium habe-

re

re qui foris sunt.)" Nominat verò nuncium (inquit Bernard.) qui mittitur, Dominum à quo mittitur, Virginem ad quam mittitur, Sponsum quoque Virginis, amborumque genus; etenim plena sunt omnia supernis mysteriis si diligentem habent inspectorem.)

Bernard. ser. 1. super Missus.

2. *Et ingressus* 1 *Angelus dixit,* 2 *Aue gratia plena,* 3 *Dominus tecum,* 4 *benedicta tu in mulieribus.*" Bene plena, cui simul se infudit tota gratiæ plenitudo; bene plena per quam largo sancti Spiritus imbre superfusa est omnis creatura.) *Quæ cùm audisset turbata est in* 1 *sermone eius, &* 2 *cogitabat qualis esset ista salutatio.* " Disce humilitatem, disce verecundiam, disce prudentiam; turbata est, non in vultu, sed in sermone; benedictionis nouam formulam mirabatur.)

Hieron. ad Paulam & Eust. de Assumpt.

Ambros.

Bernard. hom. 4. super Missus.

" Mauult tamen humiliter tacere, quàm temerè loqui quod nesciret.) Bernar.

3. *Et ait Angelus, Ne* 3 *timeas Maria,* 2 *inuenisti enim* 3 *gratiam apud* 4 *Deum,* 5 *ecce concipies in vtero,* 6 *& paries filium, & vocabis nomen* 7 *eius* IESVM; *hic erit* 8 *magnus, & filius* 9 *Altissimi vocabitur, & dabit* 10 *illi Dominus Deus sedem Da-*

uid

uid patris eius, & regnabit, &c. Prohibetur timere Maria futura Dei Mater, Cæli Regina; quin & illi prohibentur qui vtuntur eius patrocinio: *Gratia* verò quia datur vt amplior quæratur, quid mirum quod non inuenis, si non quæris? quære per Virginem, vt & tu sis Virginis filius, *hic enim erit magnus*, &c. Offer illi & Filio cor tuum *sedem*; non recusabit hic *Magnus* cor paruum, hoc est humile, *in altis enim habitans humilia respicit*. Felices animæ in quibus regnat Christus." Veni Domine IESV vt regnes tu qui debes; venit enim Auaritia & vendicat in me sedem, Iactantia cupit dominari mihi, &c.

Luc. 1.

Psal. 112. 6.

Bernard. hom. 4. super Missus.

IV.

Nunciatur Christi Incarnatio.

Par. 2.

1. DIxit autem MARIA *ad Angelum, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*" Ioseph, Sponsum noui, virum non cognosco; carnem Deo consecratam intactam oportet præsta-

Nyssenus orat. de Natiuit.

 Christi.

re, neque temere vsurpare Diuina.)" Licèt è cælo venias, inaudita generatio prius audiri debet, quàm credi; quia Virgo conciperet, Propheta reuelauit; modus non hominis fuit, sed Angeli nunc ore promendus est: non dubito faciendum, modum quo fiet, edissere.)

2. *Et respondens Angelus, dixit ei,* [1] *Spiritus sanctus superueniet in te, &* [2] *virtus Altissimi obumbrabit tibi,* [3] *ideoq; & quod nascetur ex te Sãctũ,* [4] *Filius Dei vocabitur.* Benè superueniet; supergreditur enim hæc res virtutẽ omnẽ creatam, & intellectum: benè superueniet; vt supra omnes homines te euehat in filiam Patris, in Matrem Filij, Sponsam Spiritus sancti: & quidem " licèt solus Filius nascatur, adest tamen & Altissimus, & virtus Altissimi Spiritus sanctus. Hæc est Trinitas vbique latens, vbique apparens; sed in te superueniens.)" Ideoque quod Virgo genuit singulariter sanctum fuit.

Ruffinus in Symb.

Bernard. serm. 4.

3. *Et ecce Elizabeth cognata tua,* [1] *& ipsa concepit filium in senectute suâ, &c. quia non* [2] *erit impossibile apud Deum omne verbum.* " Miraculum miraculo addi-

Bernard. ibid.

additur, vt gaudium gaudio cumuletur; & ne Mater Dei à consiliis Filij videretur amota: non est autem impossibile apud Deum omne verbum, quia tam facile est Deo facere, quàm loqui. O Domina responde verbum, quod terra, quod inferi, quod expectant & superi: ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captiuorum, &c.

4. *Dixit autem* MARIA, *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secũdùm verbum tuum.* "*Vide humilitatem, vide deuotionem; Ancillam se dicit Domini qua Mater eligitur, nec repentino exaltata promisso est.*) Quis gaudium, quis venerationem explicet Angelorum? quis Dei infinitam misericordiam? Dei-hominis humilitatem? Matris exaltationem? impossibile est apud homines & ineffabile verbum; concipiamus quod possumus fide; opere exequamur quod dicimus: fidelibus superueniet Spiritus; nec erit impossibile nobis apud Deum, quod per Deum fuit possibile nasci in nobis: virtus Altissimi obumbrabit dicentibus *fiat*: hoc est obedientibus Verbo: fiat igitur, Ambros. 1.

Domine IESV, mihi secundùm verbum tuum, non secundùm meum.

V.

Beata Virgo visitat Elizabetham. Luc. 1. 39.

In Visitatione B.V. & fer. 6. quat. temp. Adu.

1. [1] *EXurgens autem* MARIA *in diebus illis abijt in* [2] *montana cum* [3] *festinatione in ciuitatem* [4] *Iuda: & intrauit in domum Zachariæ, &* [5] *salutauit Elizabeth.* Festinat Virgo Mater, Spiritu sancto plena, & Domina, ad officia humilitatis, & charitatis: surge qui torpes, montana conscendenda sunt, & cum festinatione: quid enim ventura pariat hora nescis: ciuitatem illam quæ sursum est cogita: intra in domum tuam, visita cognatas tibi infirmitates, vt te iuues: MARIAM accipe subsidio.

2. *Et factum est vt* [1] *audiuit salutationem* MARIÆ *Elizabeth,* [2] *exultauit infans in vtero eius, &* [3] *repleta est Spiritu sancto Elizabeth, &* [4] *exclamauit* [5] *voce magna, & dixit:* [1] *Benedicta tu inter mulieres, &* [6] *benedictus fructus ventris tui*

Felix

Felix qui audit MARIAM salutantem, saluta, vt resalutet, exulta cum Ioanne, & fortè in infante datur tibi exemplum, vt in innocentiâ exultes, & in silentio, & de carcere huius mundi gestias exilire tanquam ex vtero. Repleta est Elizabeth & exclamauit; & voce magnâ prorupit in laudes non suas; sed

3. *Vnde* [1] *hoc* [2] *mihi vt veniat* [3] *Mater Domini mei ad* [4] *me*; *& beata* [5] *quæ credidisti, quia* [6] *perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino*. Quod enim nihil est non habet *vnde*, nisi à Deo. Et tamen Deus venit ad hoc nihil: vide quâ reuerentia, quâ admiratione, quâ gratitudine, quâ fide, quo profectu accipiendus est cùm venit: vbi est Matris integritas, Virginis humilitas, Ancillæ diligentia, Mariæ conatus vt perficiantur in te tanta quæ dicta sunt tibi à Domino.

4. *Magnificet* igitur *anima tua Dominum*, cum MARIA, & in auctorem donorum omnium, vniuersa refunde per singula, *quia respexit*, &c. "O verè gloriosa Mariæ humilitas, quæ porta paradisi efficitur, scala cæli cõstituitur, per quam descendit Deus in terras, &c. Aug ser. 35. de SS.

VI.

Ioseph de Virgineo conceptu instruitur. Matth. 1. 18.

In Vigilia Natiu. Domini & in festo S. Ioseph.

1. *CVm esset* [a] *desponsata Mater* IESV MARIA *Ioseph, antequam conuenirent,* [b] *inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto; Ioseph autem vir eius cùm esset* [c] *iustus, & nollet eam traducere, voluit* [d] *occultè dimittere eam.* Mirum MARIÆ de Dei dono silentium; lateret & Elizabetham nisi infans prodidisset: cùm iam latere non posset, Dei patrocinium expectat, non suum: Inspice affectus vtriusque. ''Ioseph cùm accusare Innocentem Iustus non posset, neque prægnantem apud homines defensare anciputi cogitatione torquetur)'' Ne igitur aut mentiri aut diffamare cogeretur innoxiam, voluit occultè dimittere eam. '' Disce quid facere debeat Iustus cùm probrum alterius deprehenderit.

Chrysol. serm. 175.

Bernard. hom 2. super Missus. Ambr. hîc.

2. *Hæc autem eo* [a] *cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere* [b] *accipere*

pere MARIAM *coniugem tuam: quod enim in ea natum*[3] *est, de Spiritu sancto est, pariet enim*[4] *filium, &*[5] *vocabis nomen eius* IESVM, [6] *ipse enim saluum faciet populum*[7] *suum à*[8] *peccatis eorum.*[9] *Meritò responsum subuenit mox Diuinum, cùm humano deficiente consilio iustitia non defecit.*) Chrysol.i.

Noli timere accipere peregrè redeuntem, quam fides coniugalis & puritas vbique comitata est. Illa testimonium Elizabethæ proferre posset, sed pro Domina Angelorum æquum est *Angelum* loqui, pro Spiritu sancto Spiritum, pro filio famulum à Patre missum; expecta euentum, videbis fructum benedictum; & pro eo quod voluisti eam *occultè dimittere*, tu publicè *vocabis nomen* filij *eius* IESVM; præmium silentij, prophetia; merces iustitiæ, saluatio: vide vt per hæc sis de populo eius, quò particeps fias salutis eius.

3. *Hoc autem totum factum est vt adimpleretur quod dictum est: Ecce Virgo in vtero habebit & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* [1] *nobiscum Deus. Exurgens autem Ioseph à somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, &c.*

Chrysol. sup. *& non cognoscebat eam*, &c. " Sanctus animus, quicquid non assequitur, expauescit.) Sed quandoquidem *nobiscum Deus* dignum est *exurgere*, & facere sicut præcipit, siue per se, siue per Angelos, id est, ministros suos.

VII.

Nascitur Ioannes Baptista. Luc. 1. 57.

In Natiu. S. Io. Bapt. 1. ELisabeth [1] *impletum est tempus pariendi, & peperit* [2] *filium, & audierunt vicini & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illâ, &* [4] *congratulabantur ei.*" Plenitudinem Iusti vita habet, inanes dies sunt impiorũ.) Pleni sunt qui masculos fœtus gignunt; de his congratulantur Angeli, & omnes fidelium cœtus, quos solos *vicinos & cognatos* habere decet: nam *longè à peccatoribus salus:* quamuis & ab his virtus laudem extorquet, & vt Dei misericordia magnificetur, euangelizanda est *pax iis qui longè & iis qui propè.*

Ambr. sup.

Ps. 118. 155.

Ephes. 2. 17.

2. *Et factum est in die octauo* [1] *venerunt circumcidere puerum &* [2] *vocabant eum nomine patris sui Zachariam; &* [3] *respondens mater eius dixit,* [4] *nequaquam,*

sed

sed vocabitur Ioannes. Sic naturâ filij iræ in iram destinamur & peccatum, sed occurrit Mater gratiæ, Mater misericordiæ. Tu etiam quoties vicini, quoties cognati ad mores antiquos reuocant, eò quòd nemo in cognatione tuâ vocetur hoc nomine; respondè, nequaquam: Innue Patri misericordiarum, vt in te scribat quid velit; præbe te pugillarem tersum, politum, candidum: mirentur boni, mirentur mali, mirentur vniuersi, modò benedicatur Deus.

3. *Apertum est autem* [1] *ilicò os eius, & lingua eius, & loquebatur* [2] *benedicens Deum, & factus est* [3] *timor super omnes vicinos eorum, & posuerunt* [4] *omnes qui audierant in corde suo dicentes,* [5] *Quis putas puer iste erit; etenim* [6] *manus Domini erat cum illo.* Vide Heroici actus effectus; mirantur vniuersi, aperiunt ora in laudem Dei; timent mali aggredi in posterum constantem; reuerentur perseuerantem; diuulgatur fama boni operis; præferuntur malis boni, velut montes excelsiores montibus: hærent animo exempla bona: eriguntur corda ad futura præmia cogitanda: *quis putas puer*

iste erit? iste contemptibilis in oculis suis: iste cuius vitam æstimabamus insaniam; *etenim manus Domini erat cum illo*, &c.

VIII.

Munus ad quod destinatur Ioannes Baptista, Ioan. 1. 6.

1. *Fuit*[1] *homo*[2] *missus à*[3] *Deo cui*[4] *nomen erat*[5] *Ioannes.* Homo homini ad quanta adiutor factus, & cuius? Vide vt nomen tibi bonum sit tuo muneri congruum: & res, quæ est gratia: illa inquam quæ gratos efficit Deo, magis quam homini: si mitteris, sume animos à Deo, cuius causam agis.

2. *Hic venit in*[1] *testimonium, vt testimonium perhiberet de*[2] *lumine, vt*[3] *omnes crederent per illum.* Lux non eget testimonio; quantæ nostræ sunt tenebræ, vt apud nos egerit! quanta ipsius dignatio, qui ne nos splendore suo obrueret lumen suum, & se occultauit in homine simili nobis. Agnosce te in omnibus non esse lucem, sed vt testimonium perhibeas

hibeas de lumine: & perhibe diligenter, perhibe amanter, vt omnes, si fieri possit, credant: quàm glorioſum tibi futurum est in cælis si per te quàm plurimi credant, seruiantque Deo tuo!

3. *Erat lux[1] vera quæ illuminat[2] omnem hominem venientem in hunc[3] mundum.* Quàm falsa multa sunt lumina in hoc mundo! Honores lumen esse volunt, diuitiæ lumen esse volunt, scientiæ lumen esse volunt, axiomata plura istorum lumen esse volunt: sed *erat lux vera* Christus, & eius doctrina sola; sola hæc ducit ad lucem incommutabilem, sola lux pura & defæcata: conuerte te ad istam, vt ab istâ illumineris, & calefias, & accendaris. [2] *Illuminat omnem hominem*, qui se hominem agnoscit, inquit Ambros.) qui se ratione duci finit, non sensu: ab illa luce sola illuminantur qui veniunt. Tu gratias age quòd illuminatus, ora vt magis illumineris: gratulare Ioanni, atque ipsi etiam age gratias. Ambros. in psal. 36.

IX.

Expectatio Aduentus Christi.

Ioan. 1. 10. *Pars* 1.

1. IN [1] *mundo erat, &* [2] *mundus per ipsum factus est, &* [3] *mundus eum non cognouit, in* [4] *propria venit, &* [5] *sui eum non receperunt.* Quantum thesaurum suâ inadLuc. 12. 21. uertentiâ occulit mundus & miser est, cùm posset esse *in Deum diues*, eum per quem factus est agnoscendo, colendo, amando, sua vtiliter distribuendo! tu agnosce quod expectas: fatere te eius esse, & esse velle: profitere gratum tibi fore vt ad te & in te veniat: præpara illi habitaculum, quod sit ipsi *proprium*; venientem recipe cum honore. Nam

2. [1] *Quotquot receperunt eum, dedit illis* [2] *potestatem* [3] *filios Dei fieri, iis qui* [4] *credunt in nomine eius.*" Siue serui siue liberi (inquit Chrysostomus) siue sapientes, siue insipientes, siue nobiles, siue ignobiles, siue pauperes, siue diuites, siue Principes, siue priuati; quid huic humanitati par? & iterum, " quemadmodum

Chrysost. hom. 9. in Ioan.

modum ignis si metallorum terram attigerit, eam quamprimùm aurum reddit, sic & longè magis pro luteis aureos eos Baptisma facit quos abluerit, cùm Spiritus sanctus tanquam ignis illa ipsa hora animos nostros ingrediatur, & terrena assumpta similitudine, cælestem illam nouam & claram tanquam de fornace fulgentem referat.) Præterea "nemo hanc nobis auferre potest potestatem nisi priùs nobis ipsis abstulerimus: neque violentum, aut coactum, sed voluntarium nobis ostendit arbitrium.) Idem.

3. "Quid non dicis nobis, Ioannes, eorum etiam supplicium qui eum non receperunt? & quodnam maius supplicium esse potest, quàm si in eorũ ponatur arbitrio filios Dei fieri, & nolint, sed sponte sua tanta se nobilitate, tanto honore indignos efficiant? Vnigenitus Dei filius, neque Publicanos, neque Magos, neque manco, & distorto, & sordido corpore in filios accipere dedignatur, tanta gratiæ exuberantia est.) Idem.

X.

Expectatio Aduentus Christi.

Ioan. I. 13. *Pars* 2.

1. *QVi non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.*" Non sufficit ad custodiam puritatis baptizari, sed multo studio opus est, vt imago adoptionis incontaminata perseueret.) Hinc recensentur hic inimici hominis, Caro & sanguis: simul vt ostendat Iudæos ad hanc generationem non posse aspirare per naturam quia semen carnale Abrahæ, &c. sed *qui ex fide sunt, ij sunt filij Dei.*

Theoph. hic.

Gal. 3. 7.

2. *Et Verbum* [2] *caro factum est &* [3] *habitauit in nobis.* Beda, "Consideremus fratres, quanta gratia Redemptoris, quàm magna sit multitudo dulcedinis eius. Vnicus ex Patre natus, & noluit remanere vnus, descendit ad terram, vt fratres sibi, quibus regnum Patris sui dare posset, acquireret.)" Habitauit autem in nobis quia in Christo vera totaque permanet Diuina humanaque sub-

Beda hîc.

Fulgen. l. 1 ad Frat. c. 18

substantia.) Verbum, scilicet, illud quod erat in principio, homo factus est, vnità sibi carne & anima; carnis infirmitatibus se subijciens propter nos, & tanquam hospes & peregrinus, factus in terra sicut nos.

3. *Et vidimus* [1] *gloriam eius, gloriam quasi* [2] *Vnigeniti à Patre plenum* [3] *gratiæ &* [4] *veritatis.* Beati oculi qui hæc sub carne fragili conspiciunt; beati qui *gratiam & veritatem* per ipsum solum in nos deriuari agnoscunt, & se parant recipiendæ. Apostoli & Discipuli viderunt miracula per ipsum patrata, audierunt fundentem eloquia Diuina, operantem comitati sunt virtutes magnas: *beati qui non viderunt, & crediderunt,* Io. 20. 29. non minorem gloriam apud Vnigenitum adepturi. *Diminuta sunt veritates à filiis hominum,* hoc est, vix inter illos inueniuntur, & quæ inueniuntur diminutæ sunt; ille plenus est, ille fons est, ille scaturigo est; accede, ora, flagita, vt de *plenitudine eius accipias*, & quidquid habes agnoscas ab ipso accepisse; *gratiam pro gratia*, hoc est, gratiam super gratiam: gratiam abundantem, exube-

Ps. 11. 2.

rab-

rantem: gratiam secundam pro gratia prima: gratiam vitæ post gratiam viæ: Euangelium pro lege: gratiam propter Christi gratiam.

XI.

De itinere IESV, MARIÆ, Ioseph in Bethleem. Luc. 2.

In nocte Natiuitatis.

1. FACTUM est [1] autem in diebus illis exiit edictum à [2] Cæsare Augusto vt describeretur [3] vniuersus orbis. & ibant [4] omnes vt profiterentur singuli in [5] suam ciuitatem. Sic pleraque agunt homines aliâ quàm Deus intentione, qui *attingit à fine vsque in finem fortiter, & disponit omnia suauiter*: hanc eius prouidentiam vbique admirare, adora, amplectere; & ne sis segnior erga dominantem vbique Deum, quàm homines erga hominem; tuam tamen ciuitatem noli hunc orbem dicere, quia peregrinus; aut dic orbem vniuersum tuum, quia vbique Christus.

Sap. 8. 1.

2. *Ascendit autem & [1] Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam, in ciuitatem*

tem [1] *Dauid, quæ vocatur Bethleem, eò quòd esset de domo ac familia Dauid, vt profiteretur cum* [2] *Maria desponsatâ sibi vxore prægnante.* Lauda obedientiam Ioseph & Mariæ: sed præcipuè infantis IESV, qui descriptus est, [3] hinc velut latâ lege nobis indicens, vt ei qui imperium tenet obediamus, modò nihil ad pietatem detrimenti afferat; nec paupertatis obtentu tributum pendere detrectemus.) Isidor. l. 1. ep. 48.

3. *Et non erat* [1] *eis locus in* [2] *diuersorio.* Fortè non solùm in termino, sed nec in via; vel certè non abundarunt commodis quæ itinerantes, fessi, infirmi desiderant. Quoties Deus quærit, & non inuenit locum? Exclude importunos hospites, negotia non necessaria, non tui fori; conuersare cum MARIA & cum Ioseph: saluta infantem nondum natum, dic cum Ecclesia sancta Dei: *O sapientia quæ ex ore Altissimi prodiisti, veni ad docendum nos viam prudentiæ. O Adonai, dux domus Israël, veni ad redimendum nos in brachio extento. O Oriens, & splendor lucis æternæ, sol iustitiæ, veni & illumina sedentes in tenebris & in vmbra mortis.*

mortis. O expectatio Gentium veni ad salvandum nos, Domine Deus noster, &c.

XII.

Christus nascitur. Luc. 2. 6.

1. *FActum est autem cùm* [1] *essent ibi, impleti* [2] *sunt dies vt pareret, &* [3] *peperit filium suum* [4] *primogenitum.* Vbi tandem? vide locum, horam, anni tempestatem, solitudinem; internam Virginis & Ioſephi dispositionem; vnde Chrysol. " Necessariò via generatur in viâ, vt omnis aditus excluderetur erroris; & viator tandem Cœlum peteret, qui terreni itineris in cassum diu sudores perrulerat & labores.) " Nocte autem nascitur, in nocte lux veritatis futurus, &c.

Chrysol. ser. 175.

Tertull. l. 5. cõtra Marcion. c. 9.

2. *Et pannis eum inuoluit.* Quàm honorata Paupertas! quàm paucis natura contenta! quàm dulcia facta sunt incommoda! quàm humilitas exaltata! quàm Virgo pacifica! " Ipsa inuoluit Infantem; ipsa & Mater, & obstetrix fuit.) Esurientem haud dubiè Deus impleuit bonis, quæ diuites inanes non degustant:

Hieron cõtra Heluid.

gustant: osculare pannos, ne contemne pannosos.

3. *Et reclinauit in præsepio.* Vbi Deus, ibi Cœlum; vbi Rex, ibi palatium; hîc thronus, hic regnum æternum, hanc *sedem* verus *Dauid*, ille *Magnus*, ille *Filius Altissimi* elegit, & prælegit sceptris. ''(In præsepi dignatus est poni, vt esset piorum cibaria iumentorum.)'' Paruus pannis inuoluitur, qui Cœli ambitu pro magnitudine non continetur.) Imitare Virginem adorantem; considera Angelos præsentes; Deum Patrem te hoc munere donantem adora, & sanctum Spiritum cooperantem; para præsepium cordis tui: accipe à Virgine virtutum tapetia mutuo; circumi omnes amicorum Cœlestium mansiones, vt tuam instruas pro dignitate. Augusti ser. 20. de tẽp. Eucherius in homilia.

4. Suscipe Primogenitum Dei & Virginis, cui dictum, & *adorent eum omnes Angeli Dei.*'' Quid enim si Mater illico mortua fuerit, vel, si vlterius filium non genuerit, numquid idcirco Primogenitus ille non erit, qui ex ea iam natus, & post vnum mensem Deo oblatus, ab ipsa lege Primogenitus est vocatus?) Hebr. 1. 6. Eucherius ibid.

XIII.

XIII.

Angeli annunciant Pastoribus gaudium. Luc. 2. 8. *Pars* I.

1. ET[1] *Pastores erant in regione*[2] *eâdem,*[3] *vigilantes, &* [4] *custodientes vigilias* [5] *noctis super gregem* [6] *suum: & ecce* [7] *Angelus Domini stetit iuxta illos.* Beati quod in regione eadem cum Christo: beatiores quod vigilarent super se, ac deinde custodirent etiam vigilias super gregem suum; neque incommodis noctis deterriti: Tales Angelus Domini visitat, Dominus solatur, & adscifcit socios, & mysteriorum suorum conscios facit. '' Pastorum est vigilare ad disciplinam, ad Custodiam, ad preces, & c.)

Bern. sententia 12.

2. *Et ecce Angelus Domini stetit*[1] *iuxta eos, & claritas Dei* [2] *circumfulsit illos, &* [3] *timuerunt timore magno.* Amat Deus simplicitatem, paupertatem, solicitudinem, ordinem: iuxta hos stat, hos illuminat: *abscondisti hæc à Sapientibus & prudentibus* (in oculis suis) *& revelasti ea parvulis:* his meritò dicitur nolite time-

Luc. 10. 21.

re

re; quid enim timeant à mundo? qui ea quæ mundi sunt omnia contemnunt, Concupiscentiam carnis, & oculorum, & superbiam vitæ: quid à Cœlo? qui cœlestia, non terrena meditantur.

3. *Ecce* [1] *euangelizo* [2] *vobis* [3] *gaudium* [4] *magnum quod erit* [5] *omni populo, quia* [6] *natus est* [7] *vobis* [8] *hodie* [9] *saluator, qui est* [10] *Christus Dominus in ciuitate Dauid.* Verè bonum lætumque nuntium, quòd *nobis*, quòd *gaudium*, quòd *magnum*, &c. quisque enim sibi faciet prout volet magnum; & hodie faciet, quia IESVS *Christus heri & hodie, ipse & in sæcula.* Hebr. 13. 8.

XIV.

Angeli nunciant Pastoribus gaudium.

Luc. 2. 12. *Pars* 2.

1. ET [1] *hoc* [2] *vobis signum, inuenietis* [3] *infantem* [3] *pannis inuolutum, &* [4] *positum in præsepio.* " Vobis humilibus, vobis obedientibus, vobis non alta sapientibus, vobis vigilantibus, & in lege Dei meditantibus die ac nocte.) Et bene die ac nocte; in lumine & obscuritate fidei, habemus enim vicissitudi- Bern. ser. 2. in Cant.

tudines nostras in quibus probamur; beati qui quolibet signo à Deo dato obsequuntur, & credunt, neque cum Iudæis & incredulis semper petunt alia & alia: respice Infantem vt te respiciat: cui enim causa est Infans, pannis inuolutus, &c." & cuius rei hoc signum? nisi indulgentiæ, gratiæ, pacis, & pacis cuius non erit finis, &c) Bernard.

Idem ibid.

2. *Et subitò facta est cum Angelo [1] multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum & dicentium: [2] gloria in altissimis Deo & in terra [3] pax hominibus [4] bonæ voluntatis.* Bernar. "Audi & diligenter obserua Angelicam in huius ortu Mediatoris distributionem: Patris semper gloriam quærit, & misericorditer compatitur hominibus.) & serm. 5. in festo omn. SS. "Huius temporis vox est, non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam: quia enim tentatio est vita hominis super terram, merito in terra homini non gloria, sed pax est quærenda; pax cum Deo, pax cum proximo, pax cum seipso. O Custos hominum! quare me posuisti contrarium tibi, & factus sum mihimet ipsi grauis?)

Bern. ser. 2. de Annunc.

3. "Im-

3. "Impudentissimè mihi arrogo vel gloriam absque victoria, vel victoriam sine pugnâ, & iniquæ planè voluntatis est, qui nequaquam pace contentus, nec pacem retinet, nec gloriam apprehendit.) Tu iunge te Angelis canentibus, & laudantibus, &c. vt hoc signum aliquod sit gratitudinis. Bern. ser. 13. in Cant.

XV.

Pastores transeunt in Bethleem.

Luc. 2. 15.

1. ET *factum est vt discesserunt ab eis Angeli in Cœlum,* [1] *Pastores loquebantur ad inuicem,* [2] *transeamus vsque Bethleem, &* [3] *videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus &* [4] *ostendit nobis.* Vnde subita lux orta fuerat, fortè non aduerterant; discedentes in Cœlum iam Angelos venerantur, & inuicem, vt decet, cohortantes dicunt: *Transeamus* à veteri vita ad nouam, à morte ad vitam, à tenebris ad hanc lucem, *vsque Bethleem*, neque enim hac inuentâ, alia quærenda erit, sed isti quotidie firmius In aurora Nat. Dom.

inhæ-

inhærendum, vt *videamus* in dies clarius hoc *Verbum quod factum est*, &c.

2. *Et* [1] *venerunt* [2] *festinantes, &* [3] *inuenerunt* [4] MARIAM *&* [5] *Ioseph, &* [6] *Infantem* [7] *positum in* [8] *præsepio.* Meritò veniunt, meritò festinant; O tarda molimina, quæ nescit Spiritus, auersatur Infans, moræ impatiens, quia amore feruens! Vide si non feruet qui Pastores tam longè positos mediâ hyeme accendit. *Inuenerunt* autem, quem thesaurum? MARIAM *& Infantem positum*, à quo? non à necessitate, sed à charitate; & positum in *præsepio* nunc, pòst in cruce.

Bern. ser. 4. de Natali. [1] Inuenerunt in Infante humilitatem, in Virgine continentiam, in Iosepho viro iusto, iustitiam, &c.

3. *Videntes autem* [1] *cognouerunt de Verbo quod dictum erat illis de puero hoc, &* [2] *omnes qui audierunt mirati sunt, &* [3] *de iis quæ dicta erant à Pastoribus ad ipsos.* Quamdiu videbimus, & nõ cognoscemus? stulti & tardi corde ad credendum; repete animo quanta de eo dicta sunt: & mirare quidem, sed & imitare, & gratias age, &c. & dic aliis: ad hoc enim & Pastores vocati, &c.

4. Ma-

4. [1]MARIA *autem* [2] *conseruabat* [3]*omnia verba* [4]*hæc*, [5] *conferens in corde* [6] *suo.* Tu alia exclude, hæc conserua, &c. nam & [1] *reuersi sunt Pastores* [2] *glorificantes, &* [3] *laudantes Deum in* [4] *omnibus quæ audierant & viderant.* Tot exemplis inuitatus ne tardes.

XVI.

De Circumcisione Domini. Luc. 2. 21.

1. POstquam [1]*consummati sunt dies octo* *In festo Circumc. Dom.*
vt [2] *circumcideretur* [3] *puer, vocatum est* [4] *nomen eius* [5] IESVS, *quod vocatum est ab* [6] *Angelo,* [7] *priusquam in vtero concipe-retur.* Cum anno veteri *veterem hominem exuamus, & induamus nouum, qui secundùm Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis.* O dextra Excelsi fac dignam mutationem. Eph. 4. 24.

2. *Consummantur dies;* volat irreuocabilis hora; quid si hic vltimus futurus esset? quo sensu diceres, Consummati sunt dies mei?

3. Post consummationem dierum non aspirabat Puer hic ad requiem, ad solatia humana, ad fauores, ad libertatem,

tem, sed vt circumcideretur, formam serui accipiens. Quid superbis? quid
Eccli.18.6. indulges? *Non est minuere, nec adijcere, neque inuenire magnalia Dei. Cùm consummauerit homo, tunc incipiet, & cùm quieuerit tunc aporiabitur.*

4. Non sine sanguine obsecutus est legi, qui non tenebatur lege, inchoauit annum non languendo, sed pugnando, *regnum enim Cœlorum* quod venit daturus *vim patitur* & violentis datur, quia
Bern. ser.1. de Circumcisione. *violenti rapiunt.*" Optimè prorsus circumcidit nos, & superflua resecat vniuersa, voluntaria Paupertas, pœnitentiæ labor, regularis obseruatio disciplinæ.) Bernard.

XVII.

De Nomine IESV *imposito.* Ibid.

Bern.ibid. 1. "*Vocatum est nomen eius* IESVS? " Quid sibi vult ista connexio, Circumcisionis & Saluationis? agnosce Mediatorem Dei & hominum, qui Diuina humanis sociat, ima summis. Sed & Circumcisio veritatem probat susceptæ humanitatis: nomen gloriam indicat Maiestatis.) Ideo dicit quod vocatum

tum est, scilicet primum à Patre æterno, qui solus nouit naturam, officium & meritum Pueri. Tu si sis vocandus ex nomine, iuxta naturam, meritum & officij executionem, quonam te appellabit Deus, qui scrutatur corda & renes?

2. *Vocatum est nomen eius* IESVS. [1] *Ipse enim* [3] *saluum faciet populum* [3] *suum à* [4] *peccatis eorum.* Ipse & non alius, neque tamen sine alio; vide vt semper eius esse velis, vt salutis particeps fias, ne dicatur qui olim populus, nunc autem non populus: eius insignia præfer vt agnoscaris. Quàm sæpe salutem aliam petimus magis ardenter, magis sollicitè quàm à peccatis; & '' volumus esse peccatores, nolumus æstimari; erubescimus agere pœnitentiam; magis proni ad vulnera, pcius ad *remedia verecundi.*) Bernard. ibid.

3. *Quod vocatum est*, &c. Angelus, Beata Virgo & Ioseph primi sunt nominis huius præcones: quæ dignitas ipsis sociari, & Paulo, *vt portes nomen eius coram gentibus & Regibus & Filiis Israël?* Dic igitur cum magno Iosue, Iosue 3. *quid faciam magno nomini tuo? & surge;*

Act. 9. 15.

cur iaces pronus in terra! ſanctificamini &c. Ioſue 3. 10. Si inuocas IESVM, ſi vox quidem ſit vox IESV, manus etiam ſint. Vocatum eſt *priuſquam conciperetur*; ſic ante actiones renoua intentionem, offer IESV, &c.

XVIII.

De Apparitione ſtellæ. Matth. 2.

In Epiphania Domini.

1. *CVm ergo* [1] *natus eſſet* IESVS *in* [2] *Bethleem Iudæ, in diebus* [3] *Herodis Regis, ecce Magi* [4] *ab Oriente venerunt* [5] *Hieroſolymam, dicentes, vbi* [6] *eſt qui natus eſt* [7] *Rex Iudæorum,* [8] *vidimus enim* [9] *ſtellam* [10] *eius in Oriente, &* [11] *venimus adorare eum.* Quantum beneficium vocatum eſſe præ aliis ad fidem, ad Religionem, ad morum Reformationem, ad Dei familiaritatem, mediis ſuauibus, proportionatis, efficacibus, à teneris annis, vel ex mediis turbis. Quis iſta præſtat niſi infans iſte, " qui permittit ſe manibus portari in terra, ſed præcepit ſibi Cœleſtia famulari?)

Fulgentius ſerm. 5.

2. Nouis luminibus quotidie illuſtrari, quàm magnum eſt vel vetera conſerua-

seruari, & confirmari; quanto studio, quantoque gaudio suscipienda! & quanta cum gratiarum actione; quàm illis diligenter respõdendum. Vidimus, & venimus. Difficultates domesticæ superandæ. " Quando scientes interrogant, negligentes arguunt, increpant desides, seruum Domino non occurrisse causantur.) Chrysol. s. 156.

3. Si non munera, at certè pro muneribus receptacula paranda, Memoria, Intellectus, Voluntas; manus etiam implendæ actione aliquâ proportionata. *Ambulate dum lucem habetis* (inquit postea Christus) *vt non vos tenebræ comprehendant, & qui ambulat in tenebris nescit quò vadat.* Ioan. 12.

XIX.

De Aduentu Magorum Hierosolymam.

Ibidem.

1. VEnerunt [1] *Hierosolymam dicentes, vbi* [2] *est qui natus est* [3] *Rex Iudæorum?* Hoc est dicere, Cur Rex Iudæorum in præsepe iacet? & non decumbit in templo? Cur non fulget in purpura, sed squalet in pannis, &c.) *Audiens autem* Chrysol. serm. 156.

tem [4] *Herodes Rex turbatus est, &* [5] *omnis Hierosolyma cum illo.* Non verentur Regem de Rege quærentes; neque satis mirari possunt, quod ij turbentur qui lætari debuissent, nam *salus ex Iudæis est*; & non pro Iudæis? Caue ingratitudinem, caue præiudicium: Zacharias primùm mutus, tum loquens, sterilis Elizabeth pariens, Angeli Pastoribus nuntiauerant, & turbatur Rex; turbatur & omnis cum Rege Hierosolyma, "quid mirum si nascente pietate turbatur impietas?) Augustin.

Io.4.22.

Aug ser.2. de Innocentibus.

2. *Et* [1] *congregans* [2] *omnes* [3] *Principes sacerdotum, &* [4] *Scribas populi,* [5] *sciscitabatur ab eis* [6] *vbi Christus nasceretur.* "Magi Regem nuntiant, Herodes Christum requirit, ipsum igitur Regem de quo interrogat confitetur, & cum vbi nasci haberet inquiritur, vtique prænuntiatus ostenditur.) Christum tamen & Regem & prænunciatum vide quo animo quærat, qua diligentia simulet." Si in eum crederes cum eo regnares; & sicut ab illo accepisti temporale regnum, acciperes sempiternum.) Fulg.

Ambr.l.2. in Lucam.

Fulg.ser,5.

3. *At illi dixerunt in* [1] *Bethleem Iudæ,*

sic

sic enim scriptum est per Prophetam, & tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda; ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israël.

" O amentes Iudæi! venisse non creditis quem videtis; venisse non creditis quem dicitis esse venturum.) Si autem non minimus est in Principibus ex quo exiit dux iste; quantus esse potes, in quem intrat vt regat, vt pascat, vt tibi se totum pandat, & suum faciat, si modò velis. Ambr. sup.

XX.

De Itinere Magorum in Bethleem.

Matth 2.7.

1. *TVnc Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis; & mittens illos in Bethleem, dixit, Ite & interrogate diligenter de Puero, & cùm inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum.* Quod alios docemus primò faciamus, ne maius sit iudicium. O Puer! quis te non quærat diligenter. Interroga de Puero diligenter, vt in dies intelligas perfectius, quod est, *Admirabilis, Deus,* Esaiæ 9.6.

Deus, Fortis, Princeps pacis, Pater futuri saculi; & iam Pater, licèt etiamnum Puer; dabit vt Pater, vt Princeps, vt Deus, vt Deus Puer; diligenter roga eum, nec quære simulanter. Roga eos qui de eo norunt, vt renuntient de eo, vt veniens, imò accurrens adores.

2. *Qui cùm audissent regem,* [1] *abierunt:* nullâ interpositâ morâ, *& ecce stella* [2] *quam viderant in Oriente*, non tardat, sed [3] *antecedebat eos*, idque *vsque* [4] *dum veniens staret supra vbi erat Puer.* Quantum est Constantiæ meritum, quâ vincuntur difficultates! Quantum præmium præstantibus in acie, inter aduersa, inter hominum varia iudicia, & censuras, superantibus timorem & respectus humanos! quanta denique perseuerantia in propositis, & cœptis maturo consilio operibus Dei!

3. *Videntes autem stellam gauisi sunt gaudio magno valde.* Stella ab his videtur, & vbi Herodes est non videtur; vide igitur quàm meritò gaudes gaudio magno valde, si tibi detur vt bonum tuum videas.

XXI.

XXI.

De *Adoratione Magorum.* Matth. 2. 11.

1. ET *intrantes* [1] *domum inuenerunt* [2] *Puerum cum* [3] MARIA *Matre eius.* Qualem Puerum? Qualem Matrem? Ecce vbi natus est Rex, vbi inueniendus est Puer cum Matre, quò sequendus est IESVS cum Fidelibus, Regibus, Pastoribusque, *& procidentes adorauerunt eum.*" Fili mi siue me tecum agere quod volo, ego scio quid expedit tibi, &c.) Th. à Kemp. l. 3. c. 17. Hæc vera adoratio qualem quærit Pater & Filius.

2. *Et* [1] *aperiu* [2] *thesauros,* [3] *obtulerunt ei* [4] *munera,* [5] *aurum,* [6] *thus, &* [7] *myrrham.*" Attende quid obtulerint, & agnosce quid crediderint: per ista enim tria, Diuina Maiestas, Regia potestas, & humana mortalitas intimatur.) Vel cum Gregorio vide in auro sapientiam, in thure orationis studium, in myrrha carnis mortificationem: vel cum Maximo, in auro redemptionem à captiuitate: in thure extirpationem cultus Dęmonum, in myrrha resurrectionis incorruptionem.

Fulg. ser. 5.

Gregorius.

Maximus.

nem. Aperi cor tuum ; vide quid inde possis offerre, quid ibi recondidisti? Ambr.lib, de viduis. "An thesaurus tuus sapientia est? an thesaurus tuus castitas est? an thesautus tuus intellectus bonus est?) Offer saltem vt auferat inde quidquid volet, quidquid placet aut displicet: offer, si non aurum, saltem myrrham & thus.

3. *Et* [1] *responso accepto ne redirent ad Herodem, per* [2] *aliam viam reuersi sunt in Regionem* [3] *suam.* Quàm necessarius ad Deum recursus? quot pericula? quot vias hactenus suggessit Dominus ad emendationem? frustra verò noua lumina expectantur, si antiqua negligimus. Amb. ibid. Fulg. sup. "Caueamus Herodem mundanæ ad tempus prælulem potestatis,)" ad Regionem Sanctorum tota cordis deuotione tendamus, nec teneamus viam veteris vitæ, &c.)

XXII.

De Purificatione B. MARIÆ *& oblatione Pueri* IESV. LUC. 2. 22.

In Purificatione B.M. Virg.

1. POstquam [1] *impleti sunt dies* [2] *purgationis eius* [3] *secundùm legem Moysi,*

si tulerunt illum in Hierusalem vt sisterent eum Domino. Vbi excusationes, vbi epieikeiæ? vbi subterfugia & exemptiones? Impletis diebus, implet legem expirantem, latam per inferiorem. (Nobis & hic circumciditur, & illa purificatur.) *Sit igitur fortitudo nostra lex iustitia, quod enim infirmum est, inutile inuenitur.* Sap. 2. 11. Bern. ser. 7. in paruis.

2. *Postquam impleti sunt dies tulerunt eum vt sisterent Domino.* Qualis oblatio? qualis offerens? quàm auidè expectanda, quàm amplectenda alacriter hora, quâ in oratione sistamur Domino! Intra corda singulorum, vide quo spiritu IESVS, MARIA, Ioseph, sistunt se Domino. O beata lex quâ singula ordinantur, vt sine sollicitudine expectare possimus donec impleantur dies, & horæ, & momenta.

3. Dies Purgationis, sunt omnes vitæ huius dies; sicut manus, sicut vestem, sic animam frequenter inspice diligenter expurga, vt sisti possis Domino; nunc siste te Puero & Matri & Ioseph, vt postea sistendus Iudici inuenias gratiam, leuioremque purgationem.

Lex enim est, *Non intrabit in eam ciuitatem* (scilicet supernam) *aliquid coinquinatum.* Apoc. 21. vlt.

XXIII.

De lege Purificationis. Ibid.

1. *OMne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur.* Vide quot titulis sanctus sis & esse debeas Domino; [1] Creatus ad imaginem eius; ad [2] finem tam sanctum vt Dominum Deum tuum laudes, & in æternum cum ipso regnes; [3] Redemptus sanguine sancto, *vt in sanctitate & iustitiâ seruias coram ipso omnibus diebus:* vocatus ad [4] Ecclesiam sanctam, vel etiam ad [5] vota sancta, & vt alios sanctifices; [6] nutritus pane sancto Angelorum; [7] sanctis institutis educatus; [8] sanctis inspirationibus edoctus, cum [9] sanctis conuersans. *Quid est quod Dilectus meus in domo mea fecit* (si non scelera multa) sanctitates paucas! virtutem exerce masculam vt sanctus sis Domino.

Hier. 11. 15.

2. *Et vt darent hostiam par turturum.*

aut

aut duos pullos columbarum, secundum quod dictum est in lege Domini. Quam benignus Dominus! non exigit vltra vires; da secundùm legem; serua mandata; serua regulam; illa hostia est gratissima; caue ne quod ille statuit, leuiter existimes vltra vires. nemo tam pauper vt excusetur ab hostia designata.

3. *Par turturum aut duos pullos columbarum.* Duplicem hostiam pro Matre & Filio; Corpus & Animam; intellectum & voluntatem; Interiora cum exterioribus; intentionem cum opere; sinceram, simplicem, columbinam, non inconstantem, non ad gaudia mundana anhelantem. Par turturum, sensuum cohibitionem, & imaginationis: *risum reputaui errorem, & gaudio dixi cur frustra deciperis?* Eccles. 2. 2.

XXIV.

De occursu Simeonis senis. Luc. 2. 25.

1. ET *ecce* [1] *homo erat in* [2] *Hierusalem* [3] *cui nomen Simeon, & homo iste* [4] *iustus &* [5] *timoratus* [6] *expectans consolationem Israël, &* [7] *Spiritus sanctus erat*

in eo. Quàm rari homines eiusmodi! & in Hierusalem rari, proh dolor! Simeon enim si interpreteris, est *audiens*, ideo iustus, & timoratus; expectans consolationem, non futilem, non cum aurâ huius mundi transeuntem, sed in Spiritu sancto; ita & tu, vt & Spiritus sanctus in te sit, & in te permaneat.

2. *Et* [1] *responsum acceperat à* [2] *Spiritu sancto non* [3] *visurum se mortem nisi* [4] *prius videret Christum Domini.* Quot mandata, quot regulas, tot accepisti responsa à Spiritu sancto non visurum te mortem, si ea obserues, sic enim dictum est, *hoc fac & viues*; &, *Deum time, & mandata eius obserua hoc est enim omnis homo*, siue in eo sita est omnis hominis felicitas, &c. quàm securè videbimus mortem temporalem his armati! euademusque æternam!

Luc. 10. 28. Eccles. 12. 13.

Ps. 26. 20. 3. *Expecta Dominum, & viriliter age, & confortetur cor tuum.* Siue plures adsint visitationes spirituales, siue pauciores; siue in hoc, siue in illo munere colloceris, siue aduersæ, siue prosperæ res succedant; hoc signum Iusti, & timorati, & inhabitantis Spiritus sancti, Spiritus

tus sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilij, & fortitudinis, Spiritus pietatis, & timoris, Amorisque, non nostri, sed Dei.

XXV.

De occursu Simeonis senis.

Ibid. Pars 2.

1. ET [1] *venit in spiritu in* [2] *templum.* Vide quo spiritu, quàm feruidè, quàm sitibundè, vel quàm, heu! tepidè venias in templum, ad orationem, ad examen, ad sacrosanctum sacrificium Angelis tremendum, ad reliquas diei actiones; & ex eo metire successum: venientibus in spiritu occurrit Dominus cum parentibus; adhibe remedium, si quasi senectute quadam deficias; perfice singula, vt in omnibus proficias.

2. *Et cùm inducerent* [1] *Puerum* IESVM *Parentes eius, ipse* [2] *accepit eum in vlnas suas, &* [3] *benedixit Deum.* O quanta benedictio accipere Christum pectore! manibus, ore! O quale est illud *nunc*, quando confidenter dicere possumus cum luctante Iacob: *Non dimittam te nisi* Gen. 32. 26.

bene-

benedixeru mihi. Quid ſeruus à Domino non extorquebit quem habet in poteſtate? Pacem, ſalutem, lumen, reuelationem, gloriam, & quidquid deeſt ad proprium vel proximi auxilium, *Nunc dimittis ſeruum tuum in pace,* &c.

3. *Viderunt oculi mei ſalutare tuum,* &c. *& erant pater eius & mater eius mirantes ſuper iis quæ dicebantur de illo* Meritò de hac viſione, & de aliis multis quæ dici poſſent de ſalutari hoc, mirantur Pater eius & Mater, & quotquot audiunt & intelligunt; meritò vt benedicatur Deus inuitantur & Angeli inuiſibiliter præſentes, & omnes creaturæ huius Domini ſerui. O *Domine ego ſeruus tuus,* &c. *tibi ſacrificabo hoſtiã laudis,* &c. " O inuiſibilis mundi conditor Deus! quàm mirabiliter nobiſcum agis.) Th. à Kemp. l. 4. c. 1 §. 10.

XXVI.

De occurſu Simeonis ſenis.

Ibid. Pars 3.

Dominica infra octauam Natiu. Domini.

1. ET[1] *benedixit illis Simeon, & dixit ad*[2] *Mariam Matrem eius: ecce poſitus eſt hic in*[3] *ruinam &*[4] *reſurrectionem* [1] *mul-*

[b] *multorum in Israël, & in* [c] *signum cui contradicetur.* Lætis miscentur tristitiæ hoc ipsum in hac vitâ, non sors modò, sed benedictio est: itaque etiam quando non admittuntur accersenda cogitatione sunt, ne in superbiam, vel noxiam libertatem degeneremus. *Memento paupertatis in tempore abundantiæ*, &c. & iterum, *homo sapiens in omnibus metuit, & in die delictorum attendit ab inertiâ.* Eccles. 18. 25. 27.

2. Si hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum, quid à nobis expectandum? "Vtinam fiat mihi Christus in ruinam & resurrectionem! vt cadat in me peccatum. Surgat ille qui cecedit exurgente peccato.) Paulin. ep. 8. ad Tec. Quisquis sit rerum futurarum euentus, hunc Deo committamus, interim sincerè, diligenter, imperterritè agamus quod nostrum est; "vanus est qui spem suam ponit in hominibus aut creaturis.) Th. à Kemp l. 1. c. 7.

3. *Et in signum cui contradicetur.* Hoc qui non expectat, qui ad hoc non obfirmauit animum frustra fingit sibi pacem aut gloriam, frustra de imitatione Christi gloriatur.

4. Et

4. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Quid commeruit quæ sine dolore peperit, non tamen sine dolore educauit filium? " Propone nihil esse quod tibi accidere non possit.) Et ne dicas quid commerui, &c. Multæ planè cogitationes reuelabuntur in illâ die, cùm Dominus ad iudicandum venerit, vt reuelatæ sunt etiam in passione. Quis enim nisi Christus passus esset, intelligere potuisset, quid Prophetæ spiritus cogitasset, cùm diceret, *foderunt manus meas*, &c. item, *Ego dormiui & somnum cepi*; vnde in Apocalypsi dictum est Ioanni, *Noli flere, vicit leo de tribu Iuda aperire librum & soluere septem signacula eius.*

Bernard. de inter. dom.

XXVII.

Annæ Prophetissæ occursus.

1. ET erat [1] *Anna* [2] *Prophetissa, filia* [3] *Phanuel de tribu* [4] *Aser, hæc* [5] *processerat in diebus multis, &c. & hæc* [6] *vidua vsque ad annos octoginta quatuor.* Ex nomine disce meritum; disce qualis esse debeas

debeas vt dignè occurras Domino: *Anna gratiosa*, misericors, donans, requiescens; *filia Phanuel*, videntis Deum, seu ante faciem Dei ambulantis: de *tribu Aser*, in istis enim beatitudo. " Et processerat, non decesserat: non enim defecerat, cui accesserant semper incrementa virtutum.) Et huius quidem & adiumentum & signum sequitur. Chrysol. serm. 87.

2. *Et non discedebat* [1] *de Templo*, [2] *ieiuniis* & [3] *obsecrationibus seruiens* [4] *nocte & die.* " Iustè sancta mulier spiritum prophetandi meruit accipere, quia longâ castitate, longisque ieiuniis ad hoc culmen ascenderat.) " Qui autem in Christo, hoc est in lumine semper sumus, nec noctibus ab oratione cessemus.)" Ipsæ tenebræ, multumque silentium ad compunctionem inducere possunt. Orig. hom. 17. Cyprian de orat Dom. c. 15. Chrysost. hom. 42. ad pop.

3. *Et hæc* [1] *ipsâ horâ superueniens*, [2] *confitebatur Domino*, & [3] *loquebatur de illo* [4] *omnibus qui* [5] *expectabant redemptionem Israël.* Felix hora in qua tales inspirationes superueniunt; *omne enim datum optimum, & omne donum perfectum desursum est*, &c. " Confessio autem gemina est, pecca- Iacob. 1. Aug. in psal. 94. & 137.

peccati, & laudis.) Quàm verò ampla laudis materia Christus Infans! omnibus, præsertim verò iis qui expectant redemptionem! *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in saculum misericordia eius*, &c. Psal. 106.

XXVIII.

Fuga in Aegyptum. Matth. 2. 13.

In festo SS. Innocentiũ. Chrysol. ser. 150.

1. [1]*ECce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens,* [2]*Surge, & accipe* [3]*Puerum &* [4]*Matrem eius, &* [5]*fuge in Aegyptum.* Non immeritò præfatur *ecce*, nam [6][7]deuoti militis est Regis sui tacere fugam, referre constantiam, virtutes loqui, timores silere, &c. sed Deus quando fugit hominem sacramenti est, non pauoris; potens quando se subducit infirmo, vult enim in aperto vincere; si autem formidat fortitudo cunctorum, quare humana notatur fuga, formido vulgatur?) Quando scilicet talis est, qualẽ consulit Christus. Matt. 10 23.

2. *Et* [1]*esto* [2]*ibi* [3]*vsque* [4]*dum dicam tibi.* Puer accipit mandatum & fugiendi, & manendi; licèt alienâ aure susceptum;

ptum, vide igitur obedientiam Pueri, Matris, Ioſephi, *& comede fauum cum melle tuo:* hoc eſt, conſidera conditiones obedientiæ cum his exemplis vt dulceſcat; vt humilis ſit, vt ſimplex, vt prompta, vt fortis, vt indefinita quoad tempus, locum, commoda, nationes, opus, ceſſationem; valetudinem, cauſam, ſeu occaſionem, Auctorem, ſeu nuncium, &c. *Qui [1] conſurgens accepit [2] Puerum & [3] Matrem nocte & ſeceſſit [4] in Aegyptum, & erat [5] ibi vſque ad obitum Herodis.* Cant. 5. 1.

3. *[1] Futurum eſt enim vt [2] Herodes [3] quærat [4] Puerum ad [5] perdendum eum.* Cùm futura neſciamus, ad eum recurramus cui cuncta ſunt præſentia, & in eo quieſcamus: ita enim neque Herodes cum omni ſua aſtutia & potentia nocebit. At quem quærimus? & quo fine? "Vide vt Chriſto fugienti locus non deſit, prouincia non deficiat, ſubueniat patria." Chryſol. ſup.

4. Cogita quàm pauperem vitam in Ægypto geſſerint, vbi pro diuitiis obedientiam, pro commodis patientiam, pro conſolatione pietatem coluerunt, omniũ obliti præterquã voluntatis Dei. *Noli timere fili mi, pauperẽ quidem vitam geri-* Tob. 4. 23.

gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus benè. Tob. 4. 23.

XXIX.

De cæde Infantium. Matth. 2. 16.

1. [1]*TVnc* [2] *Herodes videns quod* [3] *illusus esset à* [4] *Magis,* [5] *iratus est valde.* Vidit tunc, cùm malitia eius commerente Deus voluit, & non antè; vidit, vt solent mali & imperfecti, non Deum in omnibus operantem, omnia disponentem, sed sicut canis cùm lapidem insequitur & mordet. O quàm serò vident in oculis suis sapientes, quos & *Dominus irridebit!*

Sap. 4. 18.

2. *Et mittens* [1] *occidit omnes* [2] *pueros qui erant in* [3] *Bethleem & in* [4] *omnibus finibus eius à bimatu & infra, secundùm tempus quod exquisierat à Magis.* "Inextinguibilis ira quam regni zelus accendit, sed fiunt interea Pueri sine Magistro diserti, periti sine eruditione.)"Felicitet nati quibus in ipso nascendi limine æterna vita obuiam venit.)Occidit omnes,

Chrys. ser. de Innoc. Aug. ser. 2. de Innoc.

nes, " & tamen istum Puerum non solùm non invenit, sed nec illis aliquid nocuit) Interim etiam in nobis diabolus " quamdam teneræ fidei velut infantiam tentat extinguere.) Leo. Fulg. ser. 5. Leo ser. 5. de Epiph.

3. *Tunc impletum est quod dictum est per Prophetam, Vox in* [1] *Rama audita est ploratus &* [2] *vlulatus multus, Rachel plorans* [3] *filios suos, & noluit* [4] *consolari quia* [5] *non sunt.* Apostolus meliora suggerens ait, *Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini sicut & ceteri qui spem non habent.* " Credentes enim resurrectionem Christi, & in nostram credimus, propter quos ille resurrexit.) Plorandus sanè exitus impiorum, quia melius illis si non fuissent: ploranda & mors animæ gratiâ deperditâ, & rugitu meliori quàm Esau imploranda benedictio. 1. Thess. 4. 13. Tertull. de Patientia. Matt. 26. 24. Gen. 27. 34

XXX.

Reditus ex Aegypto. Matth. 2. 19.

1. [1] *Defuncto autem Herode, ecce* [2] *Angelus Domini apparuit in somnu* [3] *Ioseph, dicens, Surge & accipe Puerum & Matrem eius, &* [4] *vade in terram Israël,* *In vigilia Epiphaniæ.*

raël, [5] *defuncti sunt enim qui quærebant animam Pueri.* Ita non sunt tribulationes in hoc mundo perpetuæ; potentissimorum potestas saltem cum vita finitur, & vita breui; tum vide quàm humili animo Virgo acceperit mandatum per Iosephum delatum non ad se immediatè, se perpetuò ancillam reputans, & mandatum aliquousque incertum, ait enim in terram Israël indeterminatè. Moriendum est nobis ipsis & mundo, vt Puero isto & Matre in pace fruamur. ** Si essemus nobis ipsis perfectè mortui, &c.) Th. Kemp. l. 1. c. 11. n. 3.

2. *Qui* [1] *consurgens accepit* [2] *Puerum & Matrem eius & venit in terram Israël. Audiens autem quod Archilaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo, timuit illò ire, &* [3] *admonitus in somno secessit in partes Galilea, & habitauit in Ciuitate quæ vocatur* [4] *Nazareth, vt adimpleretur quod dictum est, quoniam Nazaræus vocabitur.* Iterum timore Herodis Filij, exercetur fides, & patientia Electorum; familiare autem videtur fuisse illis habere recursum ad Deum per orationem, vnde tam frequentes de Cœlo monitiones: habet enim

enim Deus suorum curam; quædam tamen nobis relinquit, Diuinis intermiscenda auxiliis.

3. *Puer autem* [1] *crescebat, &* [2] *confortabatur,* [3] *plenus sapientia, &* [4] *gratia Dei erat in illo.* Magna hæc, sed quantilla ad ea quæ intrinsecùs latebant, vel in Puero, vel in Matre, vel in Ioseph? Hìc tamen videre licet, quæ spectanda sint in iis, quos Deus Filij sui quasi vicarios educat, & adiutores, & ad quæ illi collimare debeant.

XXXI.

Christus ascendit in Templum anno duodecimo. Luc. 2. 41. *Pars.* I.

1. ET *ibant* [1] *Parentes eius per* [2] *omnes annos in* [3] *Hierusalem in die solenni Paschæ.* "Neque propter timorem festiui- Aug. l. 2. de tatem solennem prætermittebant.) Sic consensu etiam itur in Cœlestem Hierusalem, c. 10. constanti scilicet legum obseruatione.

Et cùm factus esset annorum duodecim, Dominica ascendentibus illis secundùm consuetudi- infra octa-nem, consummatisq; diebus cùm redirent, uam Epiph. mansit Puer IESVS *in Ierusalem.* Quàm

felices qui à puero incipiunt pietatem! Sic sæpe *consummati in breui explent tempora multa.* Quis non incipiat perseueretque cum IESV, vt consummetur, vt ascendat, vt consuetudine bonâ imbuatur.

Sap. 4. 13.

2. *Et non* [1] *cognouerunt* [2] *Parentes eius* [3] *existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, &* [4] *requirebant eum inter* [3] *cognatos & notos.* Sed qui se Parentibus tam bonis studio propter Deum subduxerat, noluit inter cognatos hærere, vt doceret minoribus non adhærendum mordicùs, cùm maiora contempsimus. Quantâ cum solicitudine quærebant, cùm illud Elizæi experirentur. *Anima eius in amaritudine est & Dominus celauit à me,* &c.

4. Reg. 4. 27.

3. *Et factum est* [1] *post triduum inuenerunt illum in* [2] *Templo.* " Quorum enim vna est maiestas & gloria, horum etiam vna sedes & domus est, neque solum materialis, sed & intellectualis, quæ ad laudandum Deum in æternum construitur, de qua dicitur, ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.} [3] *sedentem in medio Doctorum,* [4] *audien-*

Beda in hom. de hac lect.

dientem illos, & 5 interrogantem; 6 stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentiâ, & responsis eius. Quis illius tridui delicias cœlestes comprehendat? verosimile enim est, quod sicut mansit insciis Parentibus, ita insciis omnibus hęsit in templo diu, noctuque, apparens cùm vellet, celans se cùm vellet. Tu sede, audi, interroga illum quæ suggeret affectus: sede in medio Doctorum humiliter audiens aut interrogans, donec ab illo ipso euoceris, vt loquaris de ipso, & responsis, & prudentia eius. Quàm hæc præ humanis omnibus scientiis & responsis admiranda, & propalanda!

XXXII.

Christus ascendit in Templum anno duodecimo. Luc. 2. 48. *Pars* 2.

1. ET *dixit 1 Mater eius ad illum, 2 Fili quid fecisti 3 nobis sic? ecce 4 Pater tuus & 3 ego 6 dolentes quærebamus te.*

" Non erubuit Paruulus publicè coram Doctoribus compellari à Matre paupercula, à Iosepho artifice, & quasi reprehendi:) quanto iustius nobis ipse & Bern. ser. 3. de Resurr.

Mater eius dicant, *Fili quid feciſti nobis ſic*, & ſic, &c. *Ecce Pater tuus*, &c. Vide etiam Virginem præferentem ſibi humiliter Ioſephum, & Patrem proclamantem. Dic Chriſto tu, *Quærant alij pro ſe aliud quodcumque libuerit, mihi nihil aliud placet, nec placebit, niſi tu Deus meus, ſpes mea, ſalus aterna* Th. à Kemp. l. 3. c. 21. n. 5.

2. *Et ait ad illos, Quid eſt quod me [1] quærebatis, [2] neſciebatis quia in his quæ Patris mei ſunt [3] oportet me eſſe?*" Non ſic ſe volebat eſſe filium illorùm, vt non intelligeretur Filius Dei:) vnde etiam ait, "Quid eſt quod me in comitatu Infidelium, & extra Eccleſiam quærebatis? hic me quærat qui quærere vult, in his quæ Patris mei ſunt, inter illos qui Patris mei voluntatem faciunt,) & in operibus Patris.

Aug. ſer. 63. de diuerſis c. 10. Eucherius in homil.

3. *Et ipſi non intellexerunt verbum quod locutus eſt ad illos.* Per partes enim reuelat Deus Sanctis myſteria; vt igitur intelligamus, continuò verſanda ſunt animo; Pater cœleſtis aſſiduè cogitandus; quot verò modis ille *meus* eſt? & quanta neceſſitate *oportet*, quanta charitate decet,

cet, *esse in eis quæ eius sunt*; & quàm dissimili præmio ab iis qui in mundanis vel sunt ex necessitate, vel propendent esse voluntate.

XXXIII.

Vita Domini IESV *ad annum trigesimum.* Luc. 2. 50.

1. ET [1] *descendit cum* [2] *eis, & venit* [3] *Nazareth.*" Descendit cum ipsis ad inferiora conuersationis eorum; cœpit manere in his quę ipsorum erant, donec proficiēte humilitatis magisterio, quantum omnibus creaturis præferendus esset agnosceretur.) Descende & tu de inflante scientia, de aspirante superbia, & veni Nazareth, vbi habearis vilis & indoctus, & homo nihili; quid agis in Curiâ? in ciuitate Hierusalem? *Intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio.* Esaię 26. 20. Descendit Altissimus: quo? & quomodo? vel potiùs sine modo. Beda 1.

2. *Et erat subditus illis.*" Quis? quibus?)" Audiant hoc subditi, & subditi esse non dedignentur: Audiant Prælati, & Bern. ser. 1. super Miss. Eucher. sup.

intelligant sæpe maioris meriti esse subditos quàm Prælatos.) Et iterum Bernardus. '' Quis non erubescat esse obstinatus in cõsilio suo, quãdo summa sapientia suum ipsa deseruit: Deus se mortalibus credit & subdit, & vos in viis vestris adhuc ambulatis?)

3. *Et* [1] *Mater eius conseruabat* [2] *omnia verba hæc in* [3] *corde suo: &* IESVS *proficiebat in* [4] *sapientia, &* [5] *ætate &* [6] *gratia apud* [7] *Deum & homines.* Meritò conseruanda sunt verba hæc in corde: per hæc enim proficitur sapiẽtiâ & gratiâ eâ quæ necessaria est: verè enim dixit ille,

Th. Kemp. l. 1. c. 4. n. 2. '' Bona vita facit hominem sapientem, secundùm Deum, & expertum in multis.) Quis tot annorum verba omnia colligat & actiones vt eas in corde reponat & conseruet? Inspice Iosephum; inspice MARIAM; inspice dulcem IESVM proficientem, & hauri quem potes fructum.

Cant. 2. 3. *Sub vmbra illius quem desideras sede, & erit fructus eius dulcis gutturi tuo.* Amen.

DISTRI-

DISTRIBVTIO

Mysteriorum Passionis Christi Domini Considerandorum A Septuagesima vsque ad Pascha.

DOminica Septuagesimæ 1. Mysterium.
Feria 2. 2. Mysterium.
3. Repetitio præcedentium.
4. 3. Mysterium.
5. 4. Mysterium.
6. 5. Mysterium.

1. Concilium Iudęorum de perdendo IESV.
2. Iudas Paciscitur.
3. Agnus Paschalis.
4. Lotio pedum. *Pars* 1.
5. Lotio Pedum. *Pars* 2.

Sabbatho Repetitio per Applicationem sensuum.

Dominica Sexagesimæ. 6. Myst.
Feria 2. 7. Mysterium.
3. Repetitio.

6. Notatio Proditoris.
7. Institutio Eucharistiæ.

4. 8. Mysterium.

5. 9. Mysterium

6. Repetitio Sabbatho 10. Mysterium.

Dominica Quinquagesimæ 11. Mysterium.

Feria 2. 12. Mysterium.

3. 13. Mysterium.

4. 14. Mysterium.

5. 15. Mysterium.

6. 16. Mysterium.

8. Contentio inter Discipulos.

9. Mandatum nouum.

10. Prædictio Negationis.

11. Sermonis Christi. *Pars* 1. Solatur Apostolos.

12. *Pars* 2. Promittit Paraclitum.

3. *Pars* 3. vitis vera.

14. *Pars* 4. Post deiectum mundũ promittit Gaudium.

15. Oratio Christi. *Pars* 1.

16. Oratio Christi. *Pars* 2.

Sabbatho recolentur fructus.

Dom. 1. Quadragesimæ 17. Myst.

Feria 2. 18. Mysterium.

17. De Mysteriis in horto. *Pars* 1.

18. De Mysteriis in horto. *Pars* 2.

3. Re-

3. Repetitio per Applicationē ſenſuum.
4. 19. Myſterium. 19. de Myſteriis in horto. *Pars 3.*
5. 20. Myſterium. 20. Chriſtus comprehenditur.
6. Repetitio.
Sabbatho recolentur fructus.
Dom 2. Quadrageſimæ 21. Myſt. 21. Prima Chriſti Examinatio.
Feria 2. 22. Myſt. 22. 2. Chriſti Exa.
3. Repetitio per Applicationē ſenſuum.
4. 23. Myſterium. 23. Negatur à Petro.
5. 24. Myſterium. 24. Tertia Chriſti Examinatio.
6. Repetitio.
Sabbatho recolentur fructus.
Dom. 3. Quadrageſ. 25. Myſt. 25. 4. Chriſti Examinatio.
Feria 2. 26. Myſterium. 26. Mittitur ad Herodem.
3. Repetitio.
4. 27. Myſterium. 27. Poſtponitur Barabbæ.
5. 28. Myſterium. 28. Flagellatur & coronatur ſpinis.
6. Repetitio per Applicationē ſenſuum.

Sabbatho Myst. 29. 29. Ecce Homo.
Dom. 4. Quadrages. 30. Myst. 30. Crucem baiulat.
Feria 2. Repetitio duorũ prȩcedentium.
3. 31. Mysterium. 31. Crucifigitur.
4. 32. Mysterium. 32. Opprobria in Cruce.
5. 33. Mysterium. 33. De Verbis in Cruce. *Pars* 1.
6. Repetitio Superiorum.
Sabbatho 34. Mysterium. 34. De Verbis. *Pars* 2.
Dom. 5. Quadrag. 35. Mysterium. 35. De Verbis. *Pars* 3.
Feria 2. 36. Mysterium. 36. De Verbis. *Pars* 4.
3. 37. Mysterium. 37. De Verbis. *Pars* 5.
4. 38. Mysterium. 38. De Verbis. *Pars* 6.
5. 39. Mysterium. 39. De Prodigiis post mortem.
6. 40. Mysterium. 40. Christi latus aperitur.
Sabbatho Recapitulatio per Applicationem sensuum.

Do-

Dominica Palmarum 41. Mysterium.	41. Ingreditur Christus Hierosolym. triumphans & flens.
Feria 2. & 3. 42. Mysterium.	42. Repet. 1. Mysteriorũ Passionis per stationes.
Feria 4. & 5. 43. Mysterium.	43. Repetitio 2. per dolores.
6. 44. Mysterium.	44. Repetitio 3. per Titulos.
Sabbatho 45. Mysterium.	45. De Christi sepultura.

CAPVT SECVNDVM

Continens Mysteria Passionis Christi Domini,

A

Septuagesima ad Paschæ considerandæ.

SYNOPSIS.

Sequentium Secundi Capitis Notationum.

RECogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem; vt ne fatigemini animis Hebr. 12. 3.

vestris deficientes: nondum enim vsque ad sanguinem restitistis aduersus peccatum repugnantes.

At verò

1. Desudat sanguinem	Dilectus meus.
2. Comprehenditur & ligatur	Deus meus.
3. Deseritur & negatur	Dominus meus.
4. Saturatur opprobriis	Rex meus.
5. Condemnatur	Iudex meus.
6. Illuditur	Gloria mea.
7. Reprobatur	Iustitia mea.
8. Flagellis cæditur	Caro mea.
9. Spinis coronatur	Caput meum.
10. Oneratur ligno	Requies mea.
11. Clauis figitur	Amor meus.
12. In crucem tollitur	Saluator meus.
13. Felle potatur	Dulcedo mea.
14. Moritur	Vita meo.
15. Latus aperitur	Refugio meo.

16. De-

16. Deponitur in brachia SS. V. Matris. Cor meum.

17. Sepelitur Resurrectio mea.

Ambulate in dilectione sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum oblationem & hostiam in odorem suauitatis. Ephes. 5. 1.

I.

Concilium Iudæorum de Perdendo IESV. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Passio Domini nostri Iesu Christi in die Palmarũ, &c.

1. [1] *TVnc cõgregati sunt* [2] *principes sacerdotũ, &* [3] *seniores Populi in atrium* [4] *Principis sacerdotum, &* [5] *consilium fecerunt vt* [6] IESVM [7] *dolo* [8] *tenerent &* [9] *occiderẽt.* Tunc, scilicet post tot patrata miracula, post prędicationem & parabolas de Iudicio, de Talentis, de excidio, &c. Congregati sunt qui maximè debebant, si in rectum finem, sed & qui & vbi maximè non debebant, vt occiderent, &c. aut vt IESVM omnipotentem, &c. dolo tenerent. Conuerte consilium, & conuoca potentias omnes animæ & corporis in atrium secretius vt IESVM fide,

ſpe, & charitate teneas, & viuifices in te, & in alijs, &c. *Quare fremuerunt Gentes*, &c. Pſal. 2.

2. [1] *Dicebant autem non in* [2] *die feſto*, quaſi iſtorum eſſet aut voluntatis, aut poteſtatis, *ne fortè* [3] *tumultus fieret in populo.* Tu pro Chriſto ſta, etſi tumultuentur & obmurmurent, & reluctentur paſſiones, aut ſenſus, die feſto, & non feſto, publicè, priuatim, profitere te eius ſeruum quidquid alij dicant, ſentiant, aut faciant, exequere eius conſilia de mortificatione, abnegatione. *Timebant verò plebem*, viles animas! tu Deum time *qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam.*

3. Quid interim bonus IESVS? *Dixit Diſcipulis ſuis* [1] *ſcitis quia poſt* [2] *biduum* [3] *paſcha fiet, & Filius hominis* [4] *tradetur vt* [5] *crucifigatur.* Non fugit, non turbatur, non celat; ſcíſne an tranſitus tuus futurus ſit poſt biduum? eſto paratus &c. vel vt tradaris, vt crucifigaris, &c.

II.

II.

Iudas paciſcitur. Ibid.

1. [1] *TVnc* [2] *abijt* [3] *vnus de duodecim qui dicebatur* [4] *Iudas, &* [5] *locutus eſt cum Principibus*, &c. [6] *quemadmodum eum traderet*, &c. *& ait, Quid* [4] *vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam*, &c. Conſidera quis, quò abiit, quando, & ad quid? Dicebatur Iudas, confitens Deum & laudans, ſed quid erat intus? *Corrumpunt bonos mores colloquia praua.* Quid vis tu? aut certè quid velle debes dare vt detur ubi Chriſtus? quid reddere quia gratis datus, & taliter; ille vltro abiit miſer, &c. 1. Cor. 15. 33.

2. *Et gauiſi ſunt*, vt ſcilicet mundus de rebus peſſimis: quantò melius gaudium Angelorum in cœlis de vno peccatore pœnitentiam agente, &c. his iungere: illis, & malorum gaudiorum Principe relicto. *Et promiſerunt ei pecuniam ſe daturos triginta argenteos* Quanta promittit mundus! & tamen quàm exilia, quàm ſordida, quàm falsè! quàm non certò, ſicut Tentator ille Chriſtos

Se-

Matth. 4. 8. *Si cadens*, &c. quàm vili sæpè venditur Christus!

3. *Et* [1] *exinde* [2] *quærebat* [3] *opportunitatem* [4] *quomodo illum traderet* [5] *sine turbis.* Exinde, quàm facilè sensus, quàm difficulter animus ad meliora mouetur! quære & tu opportunitates omnes exercendæ virtutis; & illas maximè quære de quibus pepigisti, & quæ ad illas spectant: quære eo modo quo ij maximè cupiunt à quibus regendus es; sine turbis, sine strepitu quære virtutem. *Secretum meum mihi.* Esaiæ 24. 16.

III.

Agnus Paschalis. Ibid.

1. [1] PRima *die Azimorum* [2] *accesserunt discipuli ad* [3] *Iesum, dicentes, Vbi vis paremus* [4] *tibi comedere Pascha?* Non semper expectanda sunt mandata: primo quoque tempore accedendum est ad ea quæ ordinis sunt, & consuetudinis bonæ, idque perseueranter. Non verò dicunt Nobis, sed vbi *Tibi.* Etsi enim & Nobis accessoriè, principaliter tamen feren-

ferenda est in Deum intentio; parandus animus Christo. *Accede cum fiducia ad thronum gratiæ*, &c. Hebr. 4. 16.

2. *At Iesus dixit, Ite* [1] *in ciuitatem ad quemdam, &* [2] *occurret vobis homo* [3] *amphoram aquæ portãs,* [4] *sequimini eum*, &c. *&* [5] *dicite domino domus*, [6] *Magister dicit, Tempus meum propè* [7] *est, apud te* [8] *facio Pascha*, &c. Apostoli non videntur habuisse certam habitationem aut refectionem, neque Christus: prouidit tamen vt Deus & Dominus omnium sine difficultate. Quid verò Amphora aquæ nisi munditiem, nisi lachrymas, & Sacramentorum vtilem frequentationem significat? his introducitur Christus. Dic Domino domus tuæ, id est Animæ tuæ, *Magister dicit*, & exclude aliorum omnium seu mandata seu illecebras.

3. *Apud Te facio Pascha cum discipulis meis.* Quàm lætum piæ animæ nuntium! Veni Domine, & noli tardare: *Vbi est diuersorium? vbi est refectio mea? & ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate.* Circumspice te diligenter: sit grande, sit stratum cœnaculum, sint parata omnia: vel certè para in illum

illum diem, in veſperam, quando certiſſimè veniet cum diſcipulis iudicaturus. Conſidera Modeſtiam diſcumbentis, & accuratã obſeruantiam legis, &c. Qui autem miſſi fuerant vt pararent, erant Petrus & Ioannes: ex illis diſce quibus virtutibus paretur locus Chriſto in te & in aliis.

IV.

Lotio pedum. Ioan. 13. *Pars* 1.

Feria 5. in Cœna Domini.

1. ANte *diem feſtum Paſcha* [1] *ſciens Ieſus quia venit hora* [2] *eius vt* [3] *tranſeat ex hoc* [4] *mundo ad* [5] *Patrem, cùm dilexiſſet* [6] *ſuos qui erant in* [7] *mundo, in finem* [8] *dilexit eos; & Cœnâ factâ* [9] *cùm diabolus iam miſiſſet in cor vt traderet eum Iudas Iſcariotes, ſciens quia* [10] *omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo* [11] *exiuit, & ad* [12] *Deum vadit; ſurgit à Cœna, & ponit veſtimenta ſua, & cùm accepiſſet linteum præcinxit ſe, deinde miſit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes diſcipulorum ſuorum, & tergere linteo quo erat præcinctus.* Quot circumſtantiæ vt commendetur nobis vna

na actio, in qua non vestimenta solùm, sed se videtur deponere: surgit enim vt se demittat & inflectat; accipit linteum, vt se accingat; aquam vt nos lauet, & quia nemo præ stupore cogitare poterat quid esset facturus omnia solus facit, qui solus omnia potest.

2. Veniet etiam hora nostra; sed quando? Transimus quotidie; orandum & conandum, vt non cum hoc mundo, sed ex hoc mundo transeamus ad Patrem, non ad hostem: vt non reperiat hic aditum inimicus in cor, sed diligamus in finem eum qui prior & sine fine dilexit nos.

3. Qui non est ipse lotus; qui fratris non celat, non excusat, non minuit, non tolerat, non lauat culpas, Deum qui omnia videt quomodo poterit placare? *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate: In hoc cognoscimus quoniam ex veritate sumus. Et in conspectu eius suadebimus* (id est, probabimus & secura reddemus) *corda nostra: quoniam si reprehenderit nos cor nostrum, maior est Deus corde nostro, & nouit omnia.* q.d. " Si cor nostrum quod exiguum est latere non 1. Io. 3. 18.

possi-

possimus, quo pacto Deum qui nusquam non adest, latere valeamus?) Oecumenius.

V.

Lotio Pedum. Pars 2.

1. VEnit ergo ad Simonem Petrum, & dixit ei Petrus, Domine, Tu mihi lauas pedes? ") Quid est *Tu*? & quid *mihi*? Cogitanda sunt potiùs quàm dicenda, ne quod concipit anima, non explicet lingua.) *Respondit* IESVS, *Quod ego facio, Tu nescis modò, scies autem postea.* Verè ita est Domine: sed vtinam vel postea sciam! id est, postquam in silentio ponderando & imitando conatus fuero aliquousque experiri. Tu enim per Prophetam dixisti de Iudiciis tuis: *Desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, dulciora super mel & fauum, etenim seruus tuus custodit ea.*

Beda hîc.

Ps. 18.

2. *Dicit ei Petrus*, *Non lauabis mihi pedes in æternum*: & Christus, *Si non lauero Te, non habebis partem mecum.* Si Apostoli eguerunt lotione, quis mundus. Considera Beneficia lotionis, & aperiendæ

riendæ Conſcientiæ; animi quietem; ſecuritatem in futurum; neceſſitatem, cùm omnia Deo ſint aperta; cùm tandem ſit reddenda ratio; item pericula & damna ex obſcuro modo procedendi; & dic cum Petro, *Domine non tantùm pedes, ſed & manus & caput.* Exere pedes fidenter, & turpiſſimas ſordes initio proijce, ceterarum erit facilior abſterſio.

3. *Dicit ei* IESVS, *Qui lotus eſt non indiget niſi vt pedes lauet; ſed eſt mundus totus, & vos mundi eſtis, ſed non omnes; ſciebat enim quiſnam eſſet qui traderet eum.* Quis poſt culpas à Baptiſmo contractas nouit an ſit mundus totus? Igitur & Caput & manus, hoc eſt Intentio & opera continuò diſcutienda, mundanda, perficienda, & ad exemplum Chriſti conformanda.

4. Nam, *Poſtquam lauit pedes* [1] *eorum, accepit veſtimenta ſua, & cùm recubuiſſet iterum, dixit eis,* [2] *ſcitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magiſter, & Domine, &* [3] *bene dicitis, ſum etenim. Si ergo* [4] *ego laui pedes* [5] *veſtros Dominus & Magiſter, & vos debetis alter* [6] *alterius lauare pedes.*

pedes. Exemplum enim dedi vobis vt quemadmodum ego feci vobis; ita & vos faciatis.

VI.

Notatio Proditoris. Matth. 26. &c.

1. CVm hæc dixisset IESVS *turbatus est* [1] *spiritu, &* [2] *protestatus est, & dixit, Amen amen dico vobis, quia* [3] *vnus ex* [4] *vobis tradet* [5] *me, qui* [6] *manducat mecum.* Quàm inexpectata, & quàm acerba vox? vnde meritò [7] *Contristati valdè,* [8] *aspiciebant ad inuicem, hæsitantes de quo diceret, &* [9] *cœperunt singuli dicere, Numquid ego sum Domine? &* [10] *quærere inter se quis esset ex eis qui hoc facturus esset?* Expende singula, aduerte vultus, inspice penitus animos, & Te.

2. *Et Iudas qui tradidit eum, dixit, Numquid ego sum, Rabbi?* O impudentia! ô fraus & simulatio! ô Christi mira patientia, & misericordia, & de aliorum defectibus taciturnitas! *Erat ergo recumbens* [1] *vnus in sinu* [2] IESV *quem* [3] *diligebat* IESVS: *Innuit ergo huic Petrus, & dixit ei, Quis est de quo dicit?* &c. *Respondit* IESVS:

IESVS: *Ille est cui intinctum panem porrexero; & cùm intinxisset dedit Iudæ.* Alij longius, alij propius recumbunt: Alij pro aliis apud Christum intercedunt: Ille precibus & Amore flectitur: Tu vide quid officij tui sit.

3. *Et post buccellam introiuit Satanas.* Paruâ quandoque negligentiâ, omissâ vel commissâ re paruâ quam scimus nos non debere committere, datur aditus inimico: At quid in hoc genere paruum esse potest! *Et dixit illi Iesus: Quod facis [1] fac citius:* q.d. Paratus enim sum. Et *exiuit [2] continuò; erat autem [3] nox. Cùm ergo exisset dixit Iesus: [4] Nunc clarificatus est Filius hominis, & Deus [5] clarificatus est in eo: & Deus [6] clarificabit eum in semetipso.* Gloria Christi fuit, pati voluisse, &c. Nostra verò est citò, continuò, dum dies est, seruire Christo: si quid etiam peccatum est, citò diluere, vt peccati eiectione clarificetur Christus, confundatur diabolus.

VII.

VII.

Institutio Sanctissimæ Eucharistiæ.
Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

1. *DESIDERIO desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar.* Cur tanto desiderio, & tam diuturno hoc Pascha desiderauit? quia scilicet breui diuellendus; quia consummaturus opus ad quod missus; quia plenum hoc Mysteriis reconditis à sæculo; quia actibus tot heroicis glorioſum, quia hostes, mundum, carnem, diabolum debellaturus nouo atque inaudito more: occurre pari desiderio, ad contemplandum, imitandum, fruendum: sic enim & nunc *nouum* manducatur & bibitur *in Regno Dei*. quod est Ecclesia. Dicit enim, *Non manducabo illud, & non bibam de genimine, &c. donec impleatur in regno Dei.* Ibidem.

2. Intuere deinde accipientem panem, benedicentem, & dantem Discipulis; audi dicentē, *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur*, ad effectus scilicet multiplices; & pro quibus tandē? quàm ingra-

ingratis! quàm imparatis! si creditis me hominem-Deum, & hoc credite *Corpus meum*: eadem enim est potentia, eadem voluntas & charitas. *Hoc denique facite in meam commemorationem.*

3. *Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Illud *pro vobis*, hic *pro multis*. Commonitio est vt studeamus esse *de multis*. Quàm multi non in remissionem, sed in augmentum peccatorum sumunt? quàm multi iterum illum sanguinem pretiosum effundunt! tu colligè hunc, & illos. *Empti enim estis pretio magno.*

VIII.

Contentio inter Discipulos. Luc. 22. 24.

1. *Facta est autem & [1] contentio inter [2] illos, quis eorum [3] videretur esse maior.* Nondum sapiebant ea quæ sunt spiritus, sed *secundùm hominem ambulabant, inde zelus & contentio; quare non magis iniuriam accipitis?* cur non potiùs *æmulamur charismata meliora?* vt simus, non vt videamur boni: Dominus enim intuetur cor. vnde & *Reges gentium dominan-*

In die S. Apollinaris.

1. Cor. 3. 3.
1. Cor. 6. 7.
1. Cor. 12. 31.
1. Reg. 16. 7.

minantur eorum, & qui potestatem habent super eos benefici vocantur, potiùs quàm sunt.

2. *Vos autem non sic; sed qui* re vera *est maior* virtute, *fiat sicut minor*; & si potestate maior; *Rectorem te posuerunt? noli extolli, esto in illis quasi vnus ex ipsis*, &c. Eccli. 32. *Ego enim in medio vestrûm sum sicut qui ministrat*, id est, me habeo nõ vt Deum, sed ministrum Patris; & in humilitate me contineo, non vt Dominus, sed vt seruus vester.

3. *Vos autem estis qui permãsistis mecum in tentationibus meis: & ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum; vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo: & sedeatis super thronos iudicantes*, &c. quasi dicat: [1] *Ego* [2] *dispono* [3] *vobis* [4] *regnum*, sed, [5] *sicut dispesuit* [6] *mihi* [7] *Pater meus*: si videlicet [8] *permaneatis* [9] *mecum in* [10] *tentationibus*; & cętera feceritis, quibus *thronos* promisi; vnde & Petro hìc dicit, [1] *Ego* [2] *rogaui pro* [3] *te*, nequaquam vt non tenteris, non [4] *cribreris*, vt paupertatem, humiliationem, &c. non sustineas, sed *vt non deficiat* [5] *fides tua; & tu aliquãdo* [6] *conuersus* [7] *confirma* [8] *fra-*

[8]*fratres tuos*, in hac ipsa sententia; parum enim videbimini æstimare *regnum* quod ego dispono vobis, & viam quâ dispono, si illa pro regnis & viis mundi commuteris; si ab exemplis humilitatis tam recenter datis tam citò discedatis.

IX.

Mandatum nouum. Io. 13. 24.

1. [1]*MAndatum* [2]*nouum do* [3]*vobis, vt diligatis* [4]*inuicem* [5]*sicu dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem.* Inuestigandum igitur quâ in re consistit nouitas dilectionis Christi, vt eam imitemur præsertim cum Iterum, secundo, tertioque hoc repetat, cap. 15. Nouitas autem hæc cernitur

1. *Quoniam ipse prior dilexit nos.* 1. Io. 4. 19. Quod certè nouum est; apud nos enim bonitas rei præexistens prouocat ad amorem.

2. *Omnes* dilexit: *vult enim omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* 1. Tim. 2. 4.

3. *Immerentes:* Non enim quia cunctas Gentes vincebatis, &c. iunctus est vobis Dominus, &c. Deuter. 7. 7.

4. *Ingratos: Memento quòd ad iracundiam prouocaueris Dominum Deum tuum*, &c. Deut. 9. 7.

5. *Inimicos: Nos verò cùm inimici essemus reconciliati sumus Deo.* Rom. 5. 10.

6. *Tanto se inferiores.* Vnde Bernardus: "Vide quomodo, imò quàm sine modo à nobis amari meruerit, qui tantus & tantùm, & gratis, tantillos & tales dilexit.)

7. *Opere & veritate.* Veritate docendo, opere iuuando.

8. *Gratis. Quam gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis?* 1. Thess. 3. 9.

9. *Ad omnia se demittens. Exinaniuit* enim *semetipsum formam serui accipiens.* Philipp. 2. atque ad ipsam mortem.

10. *Perseueranter. Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei.* Rom. 11. 29.

In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis si dilectionem talem *habueritis ad inuicem.*

X.

Prædictio Negationis.

Matth.26. Marc.14. Luc.22. Io.13.

1. *TVnc dicit illis Iesus, [1] omnes [2] vos scandalum patiemini in [3] me in ista [4] nocte* Meritò optabat Iob, *Pereat nox illa*: sed & meritò dixit Psalmista, *Quid est homo*, si Deus non sit perpetuò memor, perpetuò visitet? *Omnes*. Non est qui possit sine præsumptione dicere, *Etsi omnes, sed non ego*: nisi orando vt ex infinita Dei misericordia me indignum respiciat: imò potiùs & si omnes persistent, quid ego? hodie in nocte hac, &c.

2. Expende singula animi præsidentis verba: *Respondens autem [1] Petrus, ait illi, Etsi [2] omnes scandalizati fuerint in te, ego [3] numquam scandalizabor. [4] Quare non possum te sequi [5] modò? [6] paratus sum & in carcerem & in mortem ire, similiter & [7] omnes Discipuli dixerunt.*

3. Et tacitè suggerit in quo habenda sit fiducia: Nam *dixit eis, quando misi vos sine sacculo & perâ, & calceamentis,*

numquid aliquid vobis defuit, at illi dixerunt, nihil. q. d. In me igitur, qui illa prouidi, non in vobis confidite: at si nunc in vobis ipsis (vt videtur) habetis fiduciam, prouidete vobis de sacculo ad necessariam sustentationem circumferendam, & de gladio ad defensionem. *At illi dixerunt, Domine, ecce duo gladij hîc: at ille dixit eis satis est;* quasi diceret, Video vos non intellexisse quæ volui significare, ideo supersedendum sermoni de hac re. At interim confundere tu, quod tam sæpe, & tam multa proponas paruo cum effectu, &c. quòd tantam tui ipsius curam habeas, ac si ad staturam adijcere posses, aut ad vitam, & commoda: age gratias quòd tot annis nihil defuerit alicuius momenti, sacculos & gladios mundi contemne.

XI.

Sermonis Christi Pars I. *Solatur Apostolos.* Io. 14.

In festo SS. Philippi & Iacobi.

1. NOn turbetur cor[1] *vestrum*, his quæ dixi, remedium enim in promptu est;

est; *creditis in*[1] *Deum? & in*[3] *me credite.* Neque contendatis quis maior, *In domo Patris mei mansiones*[4] *multæ sunt*, &c. *Vado parare*[5] *vobis locum*, &c. *Iterum venio &*[6] *accipiam vos ad meipsum, vt vbi ego*[7] *sum & vos sitis; quo ego vado scitis, & viam*[8] *scitis*; hactenus quidem imperfectè; conamini vt perfectè: nam

2. *Ego sum*[1] *via,*[2] *veritas, &*[3] *vita.* "*Via* in forma conuersationis, *veritas*, in expectatione rei certæ, *vita*, in perceptione felicitatis æternæ.) "*Via* per quam itur, *veritas* ad quam peruenitur, *vita*, in qua permanetur; *via* secundùm formam serui, *veritas & vita* secundùm formam Dei.) *Nemo venit ad Patrem nisi per me* ducentem, merentem, imitatum. Leo s. 18. de Pass. c. 3. August. l. 1. de doctrina Christ. c. 34

3. *Dicit ei Philippus, Domine ostende nobis Patrem & sufficit nobis:* scilicet ad fidem quam requiris confirmandam, & ad consolationem impertiendam; sed meritò Christus suauiter eum arguit; [1]*tanto tempore vobiscum sum & non cognouistis me, Philippe qui videt me,*[2] *videt & Patrem meum. Non credis quia ego in Patre & Pater in me est! Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor, Pater au-*

tem in me manens ipse facit opera, &c. q. d. si non creditis verbis, credite operibus, vel meis, vel iis postea quæ ipsi facietis, *quia ego ad Patrem vado, & quodcumque petieris Patrem in nomine meo hoc faciam.*

XII. Pars 2.

Promittit Paracletum. Ibid.

In vigilia Pentecostes.

1. SI *diligitis me*[1] *mandata mea seruate, & ego rogabo Patrem, &*[2] *alium Paracletũ dabit vobis, vt*[3] *maneat vobiscum in æternum, spiritum*[4] *veritatis, quem*[5] *mundus non potest accipere, quia non*[6] *videt eum, nec*[7] *scit eum*, hoc est, non parat se vt videat, nec immersus mundanis hoc curat scire, *vos*[8] *autem cognoscetis eum, quoniam apud vos*[9] *manebit & in*[10] *vobis erit*, valde frigidus enim debet esse, qui ignem in sinu positum non sentit. "Accende lumen sensibus, infunde amorem cordibus, &c.

2. Neque hoc solum; sed ego ipse *non*[1] *relinquam vos orphanos; adhuc modicum, & mundus me iam*[2] *non videt; vos autem*[3] *videtis me*; si creditis in me, *quia ego*[4] *viuo* semper vt Deus, *& vos* in fide vestra,

vestra, [4] *viuetis; in illo die* (resurrectionis) *cognoscetis* clarius, *quia ego sum in Patre meo, & vos* [6] *in me, & ego in* [7] *vobis; qui habet mandata mea*, cordi, *& seruat ea* opere, *ille est qui diligit me*, & experietur hæc quæ dixi; & sequentia, *Paraclitus Spiritus sanctus ille vos docebit omnia.* " Veni sancte Spiritus, &c. *Dominica Pentecostes.*

3. *Pacem* [1] *relinquo vobis, pacem* [2] *meam do* (vel vt Augustinus, dabo) *vobis.* " Pacem relinquit in hoc sæculo, in quâ manentes hostem vincimus; pacem dabit in futuro, *quando sine hoste regnabimus.*) Et Gregor. " *Relinquo transitoriam, do manſuram.*) Et iterum Aug." non potest concordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cũ Christiano.) *Non* (itaque) *quomodo mundus dat ego do* (palliatam, sed veram) *vt cùm venerit Princeps huius mundi, nõ habeat in nobis quidquam.* Felix qui in vita vel in morte hoc dicere possit; attende quid sit illud *quidquam.*" " O lux beatissima reple cordis intima) vt nil quidquam inueniatur; " sine tuo numine nihil est in homine, &c. Aug. hîc. Gregor. 3. past. 23.

XIII.

Vitis vera. Io. 15. *Pars 3.*

In vigilia SS. Simonis & Iudæ.

1. EGo *sum vitis* [1] *vera, & Pater meus* [2] *agricola est.* Beatus qui huic viti insertus, huic etiam agricolæ se totum committit, eique cooperatur putanti, colenti, purganti: *omnem enim* (inquit) *palmitem in me non ferentem fructum,* [3] *tollet eum, & omnem qui fert fructum,* [4] *purgabit eum vt fructum plus afferat. Iam vos mundi* [5] *estis, propter sermonem quem locutus sum vobis*, fide creditum, opere seruatum; [6] *manete in me &* [7] *ego in vobis:* nam *sicut palmes non* [8] *potest ferre fructum*, &c.

In vigilia SS. Apostolorum.

2. Sequitur altera dignitas Discipulorum Christi, *Vos* [1] *amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* quis non ambiret? O inenarrabilis misericordia! Inimicos & infinito interuallo distantes hos amicos & facit & vocat; quid igitur pati non debeamus? pro amicitia hominum sæpe periclitamur, &c.) Chrysost. hom. 25. in ep. ad Hebr. *Vos dixi amicos, quia omnia* [2] *quæcumque audiui à Patre*

tre meo nota feci vobis: quasi dicat, Quod meum erat feci, vt vos & facerem & ostenderem amicos, vos facite quod vestrum est; & eò magis quò *non vos* [3] *me elegistis, sed ego elegi vos, vt eatis* (id est proficiatis vel etiam proficiscamini) *&* [4] *fructum afferatis* multiplicem; *&* [5] *fructus vester maneat* vobis ad coronam, mihi & vobis ad æternã gloriam, *vt* [6] *quodcumque petieritis Patrem in nomine meo det vobis.*

3. Dignitas tertia: non esse de mundo, *si de mundo fuissetis, mũdus quod suum erat diligeret, quia verò de mundo non estis, propterea odit vos mundus.* Et addit incitamenta ad odium istud desiderandum; [1] *priorem me odio habuit*; [2] *non est seruus maior Domino suo*; *hæc* [3] *omnia facient propter nomen meum*; [4] *quia nesciunt eum qui misit me.* Vide vt id quod sequitur nunquam in te conueniat, *si non venissem & locutus fuissem eis, si opera non fecissem quæ nemo alius fecit peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent.* '' Omnia quæ in anima habemus & corpore, &c.) Th. à Kemp. l. 3. c. 22. n. 2.

In festo SS. Simonis & Iudæ.

XIV.

Post deuictum mundum promittitur gaudium. Pars 4. Io.16.

Domin. 4. post Pascha.

1. CVm venerit Paraclitus ille arguet, (id est conuincet verbo veritatis) *mundum de* [1] *peccato*, ita vt sit inexcusabilis, *quia non crediderunt in me; de* [2] *iustitiâ, quia ad Patrem vado*, seu ibo palam in ascensione, quod signum est me iustum, iniustè damnatum; *de* [3] *iudicio* peruerso & obstinato in eo colendo Principe qui *iam iudicatus est*, vt foras mittatur. Vnde Augustinus, "Credant homines in Christum ne arguantur de peccato Infidelitatis; transeant in numerum fidelium famulorũ, ne arguantur quod iustificatos non imitentur: caueant futurum iudicium, ne cum mundi Principe damnentur.)

Serm. 6. de verb. Dom. & in Ioan. hic.

In communi plurimorum Mart. & Domin. 3. post Pascha.

2. *Plorabitis & flebitis* [1] *vos*, [2] *mundus autem gaudebit* quàm inaniter! quamq; fluxè! *sed tristitia* [3] *vestra vertetur in gaudium*; duplex, bonæ conscientiæ in præsenti, felicitatis æternæ in futuro: &

vnde

vnde gaudium? [4]*Iterum videbo vos & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum* [5]*nemo tollet à vobis; mulier cùm parit tristitiam habet, quia venit hora eius; cùm autem peperit puerum iam non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum*; & quis est mundus? & qualis futurus est infans? at *gaudium vestrum erit* [7]*plenum.*

3. Et vnde hæc omnia? *Ipse enim Pater* [1]*amat vos, quia vos* [2]*me amastis & credidistis, quia ego à Deo exiui; exiui à Patre & veni in mundum:* &c. (sed) *ecce venit hora, & iam venit vt* [3]*dispergamini vnusquisque ad propria* (& hoc parum esset, neque ita abhorrendum; at sequitur, *& me solum* [4]*relinquatis*, &c. *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego* [5]*vici mundum.* [6]) Non est magna fiducia ponenda in homine fragili & mortali, &c.) Th. Kemp. l. 2. c. 1. n. 3. *Domin. 5. post Pascha.*

XV.

Oratio Christi. Pars I. Io. 17.

1. ET *subleuatis* [1]*oculis in Cœlum dixit,* [2]*Pater venit hora,* [3]*clarifica* [4]*filium tuum.* *In vigilia Ascensionis.*

tuum, quo fine? *vt filius [5] tuus clarificet te* Hoc est, reuela & confirma per miracula in Passione mea, consilium tuum de Incarnatione, & morte mea, vt per me tibi accedat gloria, & *sicut dedisti ei potestatem omnis carnis*, ita hac glorificatione fac *vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam*, sicut inchoatiuè saltem facit, quia *hæc est vita æterna vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti* IESVM *Christum*. Vtinam ita vt in nouissimo die agnoscamur!

2. Et quidem hactenus *ego te [1] clarificaui super terram*, quasi dicat, non quæsiui gloriam meam, *opus [2] consummaui quod dedisti mihi vt faciam*; [2] *manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo: Tui [4] erant, & mihi eos dedisti, & sermonem meum [5] seruauerunt*. Beati qui ita dantur, per gratiam, non sufficientem solum, sed efficacem: Quot deinde titulis *tui*? Patris primùm & deinde Filij. *Et nunc clarifica me claritate quam habui priusquam mundus esset apud te*. O quàm longa æternitas! quàm beata! si apud ipsum.

3. *Nunc cognouerunt quia omnia quæ dedisti*

dediſti mihi abs te ſunt, ita ſcilicet clarè & candidè profeſſus eſt omnia à Patre ſe accepiſſe vt ſatis intelligerent: *Verba quæ dediſti mihi, dedi eis, & ipſi acceperunt*, &c. Vnde *ego pro eis rogo*, ſpecialiter ſcilicet pro Apoſtolis præſentibus: tu imitare eorum obedientiam, &c. vt particeps efficiaris efficacis huiuſce orationis. 11 Beata anima quæ Dominum in ſe loquentem audit; & de ore eius conſolationis verbum accipit, &c.) Th. à Kemp. l. 3. c. 1.

XVI.

Oratio Chriſti. Ibid. *Pars* 2.

1. QVæ ſunt quæ apprecatur Apoſtolis Chriſtus? 1. *Serua eos in nomine tuo*, in bona ſcilicet voluntate, &c. 2. *Vt ſint vnum*, voluntate ſcilicet & charitate, *ſicut & nos*, naturâ & ſtudiis. 3. *Vt habeant gaudium* non mundanum, ſed *meum impletum in ſemetipſis*, non in rebus inanibus. 4. *Non rogo vt tollas eos de mundo, ſed vt ſerues eos à malo*, peccati per conſenſum 5. *Sanctifica eos in veritate.* 6. *Pater quos dediſti mihi volo vt vbi ego.*

In miſſa ad tollendum ſciſma.

ego sum, & illi sint mecum', hîc scilicet & in Cœlo, *vt videant claritatem meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi.*

2. *Cùm essem cum eis ego seruabam eos in nomine tuo.* Quid ni speremus idem, communicantes eius Carni & Sanguini? &c Illud tremendum *nemo ex iis periit, nisi filius perditionis, vt scriptura impleatur*, sed sequitur consolatio, *pro eis ego sanctifico meipsum*, hoc est consecro & offero in hostiam sanctam & sanctificantem, vt *sint & ipsi sanctificati in veritate*, (& iterum) *non pro eis rogo tantùm, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint, vt credat mundus quia tu me misisti* Nihil concordiæ & mutuæ voluntati æquiparandum: Vnus enim est multiplex: siue enim concordes sint duo, siue decem non amplius erit vnus, sed eorum quisque erit decuplum, & inuenies in decem vnum, & in vno decem.) Chrysostomus hom. 77. in Ioannem.

XVII.

XVII.

De Mysteriis in horto gestis. Pars I. Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. Io. 18.

1. ET *egressus* [1] *ibat secundum* [2] *consuetudinem in montem Oliuarũ, trans torrentem Cedron, vbi erat hortus,* [3] *sciebat autem & Iudas locum,* [4] *& secuti sunt illum Discipuli, & dixit,* [5] *sedete hîc, donec vadam illuc & orem,* [6] *orate ne intretis in tentationem.* Intrando in hortum, intra etiam cogitatione in animum Christi tui, vide quæ versat; neque tamen abrumpit consuetudinem, nec declinat locum notum, sciebat enim iam adesse horam suam; tu saltem ignorans exclude nimiam solicitudinem; oliuam & torrentem tranquillitate animi reconcilians; in hac enim hortus, id est solæ deliciæ solidæ, excita te vt sequaris, sede donec voceris, ora ne tenteris; *& fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.* 1. Cor. 10. 13.

2. Et *assumpto Petro, Iacobo, & Ioan-*

ne

ne [1] *cœpit* [3] *contristari, &* [4] *mœstus esse,* [5] *pauere, &* [6] *tædere, & ait* [7] *illis, tristis est anima* [8] *mea vsque ad mortem,* [9] *sustinete hîc, &* [10] *vigilate* [11] *mecum* Perpende singula, imò ipsis oculis subijce, sequere cum Petro, &c, si amas, tristaberis, & pauebis; si non tristaris, hoc ipsum te contristet. O *anima mea!* Illa [12] debuit dolorem suscipere vt vinceret, non habet fortitudinis laudem stupor.) Tuam si tristitia huiusmodi pertranseat aliquando sustine; vigila cum illo; sustine, vigila, vsque ad mortem, quid enim dignius? &c.

Ambros. Luc. 22.

3. *Et progressus* [1] *pusillum procidit* [2] *super terram in* [3] *faciem suam, &* [4] *orabat, dicens,* [5] *Pater mi, omnia* [6] *tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me; si possibile est transeat, &c.* [7] *sed non quod ego volo, sed quod tu; non sicut* [8] *ego volo, sed sicut tu.* Aduerte ad modum orandi, quanta humilitate, quanta reuerentiâ, &c. [13] Demonstratum est quid possit à trepidante orari, & quid non debeat à medente concedi) *non quod ego (igitur) sed quod tu,* [14] hæc vox omnes fideles instruxit, omnes confessores, accendit, omnes Martyres

S. Leo s. de Pass.

tyres coronauit) Eadem tu vtere, si coronari peroptas.

XVIII.

De Mysteriis in horto. Ibid. *Pars* 2.

1. ET *venit ad Discipulos* [1] *suos (tres scilicet selectos) & inuenit eos dormientes, & dicit Petro,* [3] *sic?* Attende quid hæc breuis dictio significet, & quod ait Origenes, "Qui spiritualiter est, solicitior sit ne magnum bonum ipsius grauem habeat lapsum.) *Non* [4] *potuistis* (quasi aliorum culpa huic quasi superiori, certè fidentiori, imputaretur) *vnâ* [5] *horâ*) duo sunt diminutiua) *vigilare* [6] *mecum*, quem præter anteriora omnia, vidistis modò vsque ad mortem tristem, *vigilate,* [7] *& orate vt non* [8] *intretis in tentationem;* [9] *spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*: quasi dicat cum Hieronymo, "quantum ex ardore mentis confiditis, tantum ex fragilitate carnis æquum est vt timeatis.)

2. *Et iterum* [1] *abiens orauit eumdem sermonem*, non certè lætior ex suorum vigilantia, sed de euentu solicitior, vnde

&

& venit [1] *iterum, & inuenit eos dormientes,* [3] *erant enim oculi eorum grauati, & ignorabant quid responderent ei, &* [4] *relictis illis iterum abijt, &* [5] *auulsus ab iis orauit tertiò, Pater si vis, &c.*" Tertiò, inquit Auguſt. propter trinam tentationem.)

3. *Et factus in agonia prolixius orabat,* hoc eſt extenſius, & intenſius: Agonia autem orta eſt ex contentione vehementi ad ſuperandum timorem quem aſſumpſerat, *& factus eſt ſudor eius ſicut gutta ſanguinis decurrentis in terram.* Hunc venerare; & ſenſu intimo amaritudinem animi Seruatoris tui deguſta. Iunge te Angelo *qui apparuit de Cœlo confortans eum*: perquire ea per quæ illi conſolatio ſubminiſtrari poſſit, & cum erecto humiliter ſermocinare. Veni Domine & ſuſcita dormientem, da poſſe vigilare tecum, vſque ad mortem, da ſpiritum promptum, &c. da ſpiritum orandi, ſemel, iterum, tertiò: da vt ſciam quid reſpondeam, & ne auellere, ſed ſis in fletu ſolatium, &c.

XIX.

XIX.

De Mysteriis in horto. Ibid. *Pars* 3.

1. *TVnc venit ad Discipulos suos & dicit illis, dormite iam, & requiescite;* compassus infirmitati tantillum concedit, licèt tempore importuno, ipse magnis animis stat expectans quam præuidebat horam, vnde paulò pòst addit, [1] *sufficit*, [2] *venit hora*, [3] *surgite*, [4] *eamus* (ex aduerso, seu obuiam) *ecce qui me tradet* [5] *propè est. Et adhuc eo loquente, ecce* [6] *Iudas* [7] *vnus de duodecim*, [8] *antecedebat eos, & cum eo turba* [9] *multa, cum gladiis & fustibus, & laternis*, &c. *dederat autem Traditor eis* [10] *signum, quemcumque osculatus fuero ipse est* [11] *tenete eum, &* [12] *ducite cautè.* " Auaritia furorem immisit; Auaritia omnes qui illi seruiunt crudeles efficit; nam si propriam auarus salutem negligit, quid faciet de aliena?) Chrysostomus apud Corn.

2. *Iesus autem sciens* [1] *omnia quæ venturæ erant super eum,* [2] *processit & dixit eis, quem* [3] *quæritis?* Nos etiam non scientes procedere debemus ad nostram & alio-

rum

rum vtilitatem, quærentes Deum," & si nihil ex admonitione fructus sit redituru m) inquit Chrysost. offerre etiam nos promptos, in pluribus occasionibus; *stabat autem Iudas + cum ipsis.* Heu! quàm ad malum audaces impij, quàm parum constantes boni!

3. *Responderunt ei,* IESVM *Nazarenum:* quot istud prætendunt? & quis non? sed vide quomodo? Christus potiùs illos quærebat, vnde Maiestate quadã Diuina (quod verba ipsa sonant) *Dicit eis, ego sum:* quanta sub his dictionibus latent! ego qui infirmus appareo, sum vobis potentior, imò omnipotens, omniscius, &c. ego contẽptibilis aspectu, sum idem ille Deus, terribilis, honorandus; colendus, &c. qui olim vobis locutus sum, &c. & apparuit ex effectu. *Vt ergo dixit eis, Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram* " Quid poterit Maiestas iudicatura, cuius hoc potuit humilitas iudicanda?) Tu iuxta Gregorium procide antrorsum, adorando & te humiliando, ne retrotsum cadas repentè ex hac vita quò nescis: pone te in manibus eius qui scit omnia ventura, qui scit quando

Leo s. 1. de Pasch. c. 3. Vide Greg. 13. mor. c. 10.

quando vigilandum, quando quiescendum, quando, quibusque armis occurrendum aduersario, quo signo ipse sit cognoscendus; & quibus signis tu ab ipso agnoscendus sis, &c.

XX.

Christus comprehenditur. Ibid.

1. ITerum *interrogauit eos, quem quæritis?* Vt videret an ex admonitione sapientiores. *Illi autem*, eadem obstinatione *dixerunt*, IESVM *Nazarenum*. O cæcitas mentis & corporis! *Respondit eis, dixi vobis*, hoc enim sufficere debuisset, ipse enim est veritas, *si ergo me quæritis, sinite hos abire*, qui timent vos, & fortè detinuerant aliquos ex illis, qui in ingressu horti relicti fuerant: quàm potens verbum ad se tradendum, alios liberandos! *vt impleretur sermo quem dixit* (c. 17. v. 12.) *quia quos dedisti mihi non perdidi ex eis quemquam.*

2. *Et confestim accedens* (Iudas) *ad* IESVM ô qualis accessio! *dixit, aue Rabbi, & osculatus est eum:* intuere vtriusque animum, gestum, mores. *Dixit illi* IESVS, *amice*,

amice, ad quid venisti? & cùm obdurescceret *Iuda, osculo Filium hominis tradis?* & ad turbas, *tanquam ad latronem existis cum gladiis*, &c. *quotidie apud vos sedebam in Templo docens, & non me tenuistis, sed hac est hora vestra & potestas tenebrarum.* O lux beatissima libera nos à tali hora & potestate; sede in templo cordis nostri, & doce nos te tenere, & non dimittere.

3. *Tunc* [1] *accesserunt* & [2] *manus iniecerunt in* IESVM, & [3] *tenuerunt eum.* Quem eum? Et tunc tantùm cùm ipse vellet. *Videntes autem hi qui circa ipsum erant quod futurum erat* (quàm serò?) *Dixerunt ei, Domine si percutimus in gladio, & percussit vnus ex illis seruum Principis sacerdotum, & amputauit auriculam eius dextram.*

4. *Tunc ait illi* IESVS, *conuerte gladium tuum in locum suum*, fortè in teipsum per pœnitentiam *omnes enim qui acceperint gladiũ* (suâ auctoritate) *gladio peribunt. An putas quia nõ possum* [1] *rogare Patrem, & exhibebit mihi* [2] *modo plusquã* [3] *duodecim legiones Angelorum, quomodo ergo* [4] *implebuntur Scripturæ!* &c. *Calicem*

quem

quem dedit [5] *mihi Pater, non bibam illum? & cùm* [6] *tetigisset auriculam sanauit eam. Cohors ergo & tribuni* [7] *comprehenderunt* IESVM, *&* [8] *ligauerunt eum, Discipuli autem* [9] *relicto illo fugerunt.*

XXI.

Prima Christi examinatio, & alapa.

Io. 18.

1. *ADduxerunt eum ad Annam primùm erat enim socer Caiphæ*, particeps consilij debitor Iudæ ex pacto. *Petrus autem sequebatur à longè*," metus enim, naturæ erat (inquit Ambrosius) cura, pietatis:) vide dispares animos Petri, & Iudæ; & compatere bonis simul & malis, his quod in generatione sua nimium, illis, quod parum sint audaces; & ora.

2. *Pontifex ergo interrogauit* IESVM *de Discipulis suis & de doctrinâ eius.* Vide insolentiam & fastum Pontificis & Ministrorum; modestiam Christi IESV: interrogauit quis? quem? de Discipulis, volens Christum arguere vt seditiosum & conuentus illicitos agentem, & No-

uatorem, quia de doctrina: hoc quotidie conatur Diabolus & eius assectæ immittendo dubia de fide, calumniando pietatem, sed quid demum? *Nos* (inquiunt) *insensati vitam illorum æstimabamus insaniam*, &c.

3. Prudenter itaque his respondemus, *quid me interrogas? interroga eos qui* (ante me hæc) *audierũt, quid locutus sum ipsis* sanctioribus, doctioribus, antiquioribus, & quibus id signis probauerim, *Ecce hi sciunt quid dixerim ego; ego palam locutus sum mundo* arguens illum confidenter, *ego semper docui in synagoga & in Templo* conformia legi, non ex capite proprio: *& in occulto locutus sum nihil*, quod videlicet occultum esse desidero; interroga eos, etiam inimicos.

4. *Cùm hæc dixisset, unus ministrorum dedit alapam* IESV, *dicens, sic respondes Pontifici?* Chrysost.'' Exhorrescat Cœlum, contremiscat terra de Christi patientia, & serui impudentia.) En quid faciat præcipitatio, iudicium temerarium, iracundia?

Chrysost. apud Corn.

5. *Respondit* IESVS, *si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo.* quasi dicat ostendat

ostende, *si autem bene*, & non potes ostendere malum, *quid mecadus?* olim dictū fuit, *bene omnia fecit*, & nunquam sic locutus est homo, &c. huic ergo crede & compatere illi, "qui non solùm alteram maxillam iterum percussuro, sed totum corpus figendum præparauit in ligno) Augustin. Aug. tr. 115. in Io.

XXII.

Secunda Christi examinatio & opprobria. Matth. 26. Marc. 14.

1. [1]PRinceps *autem sacerdotum &* [2] *omne Concilium* [3] *quærebant* [4] *falsum testimonium contra* [5] IESVM, *vt eum* [6] *morti traderent.*" Adeò enim munda fuit eius vita, vt nullam verisimilitudinem reprehensionis, licèt mali & astuti, reperirent.) Tales etiam requirit sectatores, & præsertim qui alios sunt docturi; *prouidentes bona, non solùm coram Deo, sed etiam corã hominibus. Et non inuenerunt cùm multi falsi testes accessissent* (vel minis, vel muneribus ducti) *nouissimè venerunt duo*, &c. *& dixerũt, hic dixit, possum* Origenes apud Coru. 2. Cor. 8. 21

destruere Templum Dei, &c. verè *falsi* qui peruertunt & verba, & sensum; *& non erat conueniens testimonium*, vel quia hoc dictum non erat capitale, vel quia inter se non conueniebant de dicto. IESVS *autem tacebat*: quàm nos difficulter in huiusmodi occasionibus tacemus!

2. *Et* [1] *surgens Princeps sacerdotum ait illi*, [2] *adiuro te per Deum viuum vt dicas* [3] *nobis si tu es Christus filius Dei benedicti.* Cùm huiusmodi aliquid insinuasset (Io. 8. 8.) *tulerunt lapides vt iacerent in eum. Iesus autem abscondit se & exiuit de Templo.* hîc palam dicit, *Ego sum*: & præterea, *& videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli:* quàm multa in hoc mundo sincero animo dicuntur & fiunt, & in malam partem accipiuntur! sed veniet in nubibus Iudex: time Deum etsi non appareat sæpe causa timoris: quàm multa hîc putamus liquida, quæ illic examinata sordebunt! neminem quantumuis humilem contemnas, in nubibus fortasse erit te excelsior.

2. *Tunc Princeps sacerdotum scidit* [1] *vestimenta sua, dicens* [2] *blasphemauit, quid adhuc*

adhuc egemus [3] *testibus? audistis blasphemiam, quid* [4] *vobis videtur? at illi dixerũt, reus* [5] *est mortus, tunc* [6] *expuerunt in faciem eius, &* [7] *colaphis eum ceciderunt, alij* [8] *autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes,* [9] *Prophetiza nobis Christe quis est qui te percussit? &* [10] *alia multa blasphemantes dicebant in eum,* & faciebant. Tu è contrà scinde cor tuum, benedic, pronuntia dignum vitâ; conuoca testes orbem vniuersum; venerare faciem, genas, caput, manus, oculos; accusa teipsum quasi sæpius percutientem, &c. & alia quæ suggeret affectus, & intima veneratio, simul & admiratio modestiæ, patientiæ, silentij, &c. & quàm tu dissimilis cùm occasio offert se.

XXIII.

Negatur à Petro. Ioan. 18. *& in aliis, vt suprà.*

1. INgressus Petrus [1] *sedebat cum ministris vt videret finem, &* [2] *calefaciebat se.* Perpende gradus ad lapsum; *secutus fuerat à longè*, nolens notari; tum, *sedit foris in atrio deorsum*, quasi aliud

agens, *ingressus sedit cum ministris calefaciens se*, quasi vnus ex ipsis; tandem rogatus ab ancilla, *Nunquid & tu ex Discipulis es hominis istius? dicit, non sum.* Quis sibi fidat? quis non oret ne fragilitate superatus paria patiatur? quis non videat quàm necessariò præcepit Christus in horto, *Vigilate & orate*, &c. Quis occasionem omittat his armandi se ante conflictum? fuge occasiones, caue remissionem animi, & exercitiorum piorum neglectum. " Leuis omissio exercitiorum vix sine aliquo dispendio eranſit. Th. Kemp. l. 1. c. 17. n. 2.

2. Perpende quo animo tulerit Christus hanc primam negationem, compatiens tamen infirmitati, & ordinans ad humilitatem. *Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi, & hic erat cum* IESV *Nazareno; & iterum negauit cum iuramento.* Vide quomodo punitur grauiori lapsu conatus languidus, de quo Sapiens, *Vult & non vult piger.* Intuere conscientiam Petri, quàm anxia, quàm seipsam damnans, & tamen non se expedit; *Gallus cantat*, & non proripit se, vel non aduertit; quot

similes

similes monitiones immittit animæ misericors Deus studens parcere, & surdi sumus?

3. Tandem *interuallo facto quasi horæ vnius accesserunt qui astabant* (excitati fortasse clamore ancillarum) & inter hos *cognatus eius, cuius abscidit Petrus auriculam; & dixerunt Petro, verè & tu ex illis es, nam & Galilæus es, & loquela tua manifestum te facit; &, nonne ego te vidi in horto cum illo? Ille autem cœpit anathematizare, & iurare quia nescio hominem istum quem dicitis.*" Peccatum quod pœnitentia non deletur, mox suo pondere ad aliud trahit.) Gregorius.

4. *Et continuò illo loquente cantauit gallus*, sed & antea cantauerat, nunc autem *conuersus Dominus respexit Petrum.* mira conuersio! Domini ad seruum, & talem; felix aspectus. *Vsquequo Domine Vide ps. 12.*
obliuisceris in finẽ? vsquequo auertis faciẽ per totum.
tuam à me? &c. *& recordatus est Petrus*
verbi Domini, &c. *& egressus foras fleuit*
amarè." O lachryma humilis! tua est po- Petr. Cel-
tentia, tuum est regnum; Tribunal Iu- lensis l. de
dicis non vereris, vix sola si intraueris, panib. c. 12.
nunquam sola seu vacua redibis.)

XXIV.

Tertia Christi examinatio, & mors Iudæ. Matth.27.Mar.15.Luc.22.

1. VT *factus est* [1] *dies confestim conuenerunt* [2] *seniores plebis, & Principes sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in Concilium suum, dicentes,* [4] *si tu es Christus dic nobis* Quod isti malè, beati nos, si vnquam sat bene; omnem igitur diligentiam adhibeamus quò penitùs sciamus, non *si*, sed quod ipse sit Christus, eiusque omnes perfectiones intelligamus, amemus, &c.

2. *Et ait illis, si vobis dixero non* [1] *credetis mihi, si autem & interrogauero, non* [2] *respondebitis mihi, neque* [3] *dimittetis.* Vide quo gradu tibi ista conueniunt, & memento quod *ex hoc erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei.*

3. *Dixerunt autem* [1] *omnes; tu ergo es Filius Dei? qui ait,* [2] *vos dicitis quia ego sum. At illi dixerunt* [3] *quid adhuc desideramus testimonia? & surgens omnis* [4] *multitudo eorum* [5] *vinctum duxerunt ad* [6] *Pilatum:*

larum: quoties cùm veritas nobis dicitur tumultuamur? &c.

4. *Tunc* [1] *videns Iudas quod damnatus esset, pœnitentia* [2] *ductus retulit triginta argenteos, dicens* [3] *peccaui tradens sanguinem iustum.* Heu quàm serò vidit! quàm non rectè pœnituit! quàm serò detestatus aurum, &c. neque tamẽ fortè seriò; quantum hoc *peccaui* distat ab illo Filij prodigi, *Peccaui in Cœlum & coram te,* &c.

5. *At illi dixerunt, quid ad nos, tu videris:* & hoc postremùm verum est, vnusquisque enim de suo facto respondebit, attamen quomodo nihil ad vos? Ille vobis non est regula, sed iustitia est, sed prudentia est, ne etiam vos seriùs videatis. dæmonis astus est primùm extenuare, deinde aggrauare.

6. *Et proiectis argenteis in Templo, recessit,* à loco vbi se potiùs in genua prouoluere debuerat, *& abiens* à Deo sicut antea à Christo & Apostolorum conuentu, *laqueo se suspendit. Principes autem* deglutientes camelum, & excolantes culicem, *dixerunt, non licet mittere eos in corbonam, quia pretium sanguinis est.*

Et tu animam tuam quò mittis, quæ empta est sanguine Christi? *Et consilio inito emerunt agrum figuli, in sepulturam peregrinorum*, &c. Tu hunc peregrinum susci pe in agrum cordis tui & dic, "O felix mens & beata anima quæ te Dominum Deum suum meretur deuotè susci pere! O quàm magnum susci pit Dominum! &c. Th. à Kemp. l. 4. c. 3. n. 4.

XXV.

Quarta Christi examinatio coram Pilato. Matth. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 18.

1. *Adducunt[1] ergo* IESVM *à Caipha in prætorium, & ipsi[2] non introierunt, vt non contaminarentur; exiuit ergo Pilatus ad eos, & dixit, quam[3] accusationem affertis aduersus hominem[4] hunc*, de quo fortè & ipse multa audierat sicut Herodes, & verosimiliter volebant Iudæi sibi credi, nam responderunt, *si non esset hic malefactor non tibi tradidissemus eum*. O homines integros! & quoties volumus tales videri? vnde meritò indignatus Pilatus:

latus: igitur inquit, *accipite eum vos & secundùm legem vestram iudicate.* At illi, *nobis non licet interficere quemquam*: cur igitur hunc vultis? non quidem manu, sed lingua interficere? *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo.*

2. Cùm igitur persisteret Præses quærere causam *cœperunt illum accusare, dicentes, hunc* [1] *inuenimus subuertentem gentem nostram, &* [2] *prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se* [3] *Christum Regem esse.* De quibus antea non habuerant conuenientia testimonia, hîc congerunt. Quid non faciet passio & pertinacia? Inueniſtis? vbi? quando? *non veni soluere legem, sed adimplere*, &c. Pacificus, iustus, humilis, de contrariis accusatur. Tu similia tolera.

3. Pilatus quod ad ipsum maximè videbatur pertinere arripiens *interrogauit eum, tu es Rex Iudæorum?* nam de cęteris nullum indicium habuerat. *Respondit* IESVS, *à temetipso hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me?* quasi dicat, qua intentione rogas? quo animo? multum enim tuâ interest; nam de me iam scio quid statu-

tum sit. *Respondit* IESVS, *regnum meum non est de hoc mundo, si esset, ministri mei vtique decertarent vt non traderer &c. nunc autem regnum meum non est hinc.* Quid postea erit; interim vide Tu minister eius quid tibi incumbit facere; nam iterum vrgente Pilato, *ergo Rex es tu? Respondit, tu dicis, quia Rex sum ego.* Et vt aduertamus diligenter animum, addit, *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati, omnis qui est ex veritate* (id est, qui sincerè procedit) *audit vocem meam: dixit ei Pilatus, quid est veritas?* neque expectat responsum.

XXVI.

Mittitur ad Herodem. Luc. 23.

1 ITerum exiuit Pilatus, & ait ad Principes sacerdotum & turbas, ego nihil 2 inuenio causæ in hoc homine, & 3 accusabant eum summi sacerdotes in multis, IESVS 3 autem amplius nihil respondit ad vllum verbum, ita 4 vt miraretur Præses vehementer. Et tamen vrgebat eum dicens,

cens, *Vide* [5] *in quantis te accusant; non* [6] *audis quanta aduersum te dicunt testimonia? At illi* [7] *inualescebant dicentes,* [8] *commouet populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsque huc.* Ingens crimen! quid docebat? ad quid commouebat? vnde meritò nunc tacet, iuxta illud, *vbi non est auditus non effundas sermonem, & importunè noli extolli in sapientiâ tuâ.* Eccli. 32. 6.

2. *Pilatus autem audiens Galilæam,* &c. (& volens se, si posset expedire) *misit eum ad Herodem.* vide quo tumultu: *Herodes autem viso* IESV *gauisus est valde, erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audierat multa de illo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.* Quasi verò si verè voluisset vir talis in multo illo tempore non potuisset: sed quàm distrahit à bono mundus, ambitio, superbia, &c. si non vtimur tempore, occasio præteruolat, & meritò punimur. *Nam & interrogabat eum multis sermonibus, at ipse nihil illi respondebat.* Quàm durum, quàm tremendum, cùm interrogatus tacet IESVS!

3. *Stabant autem Principes sacerdotum,*

& Scribæ constanter accusantes eum. Qualis constantia! quàm periculosum suo iudicio stare! *Spreuit autem illum Herodes* (quod foris apparebat attendens) *cum exercitu suo* Regem cæcum facilè sequente in foueam, *& illusit veste alba indutum*, quod tamen signum innocentiæ; *& remisit ad Pilatum* irridendum per plateas, easque per quas cum admiratione incesserat: *& facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipso die*, &c. Quantò satius conspirassent ad eum liberandum, honorandum? &c. quàm facilè errat qui citò iudicat. *Si quis videtur inter vos sapiens in hoc sæculo, stultus fiat vt sit sapiens & nemo se seducat* (vt scilicet mundus seducitur) *sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum.*

1. Cor. 3. 8.

XXVII.

Postponitur Barabbæ. Ibid.

1. *PIlatus autem conuocatis Principibus sacerdotum & plebe dixit, obtulistis mihi hunc hominem quasi auertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans nullam*

nullam causam inueni, &c. *sed neque Herodes*, &c. *emendatum ergo illum dimittam.* Quæ mundus attentat vt sanctos deprimat, seruiunt honorādis. At si nullam causam inuenis, cur de illo, non de te ipso emendando cogitas? cur eos consulis qui Innocentis sitiunt sanguinem?

2. *Est autem vobis consuetudo vt vnum dimittam vobis in Pascha; quem vultis vobis dimittam, Barabbam? an* IESVM *qui dicitur Christus? sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum.* Quæ eò excreuerat, vt nec videre eum, nec nominare sustinerent, vnde clamant omnes, *non hunc sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro* substitutus pro humano genere, filio Patris illius primi qui rapiendo pomum vetitum se obedientiæ subtraxit Diuinæ; vnde & seditiosus & homicida. *Dicit illis Pilatus, quid igitur faciam de* IESV *qui dicitur Christus?* O bone IESV quo deuenimus! Responde anima mea quidquid Amor, quidquid fides suggesserit.

3. *At illi clamabant, Crucifige.* Qui sunt illi? & *instabant vocibus magnis postulan-*

stulantes, & inualescebant voces eorum: quæ sunt istæ voces nisi iniquitatum nostrarum, *quæ multiplicatæ sunt super capillos capitis, Tu autem Domine ne longè facias miserationes tuas à me:* & laua me aqua sinceriori quàm quâ Pilatus lauit manus; ille coram populo, sed beatus qui coram te Domine, vt quoquo modo possit dicere, *innocens ego sum à sanguine Iusti huius.*

Ps. 39.

4. *Sedente autem illo pro tribunali misit ad eum vxor eius dicens, nihil tibi & Iusto illi; multa enim passa sum hodie per visum propter eum.*" In natiuitate mundi vxor ducit virum ad mortem; in Passione Christi vxor prouocat ad salutem.) Quot modis obdurata nequitia tentatur & mollitur! *Concitauerunt turbam vt magis Barabbam peterent.* Quis in homine ponat spem suam aut laudem? *Quid enim mali fecit iste?* quid non boni? *sed videns quod nihil proficiebat* IESVM *tradidit voluntati eorum*, &c.

Aug. ser. 121. de temp.

XXVIII.

XXVIII.

Flagellatur & coronatur ſpinis.

Matth. 27. Mar. 15. Luc. 23. Io. 18.

1. TVnc ergo *apprehendit Pilatus* IESVM, *& flagellauit.* Vide quo animo ſuſcipit ſententiam? quâ promptitudine exuit veſtem, tendit brachia; quo pudore ſtat nudus; qua patientia fert ictus, quot oblationes, quot vota mittit in Cœlum. "Quid magnum ſeruo, ſi ea quæ paſſus eſt Dominus ſubeat; nos cauſa fuimus, vt illi veſtis detraheretur, &c.) Vide pectus Deo plenum ſulcari, vide brachia, &c. audi inſultantes milites, & ex ipſa patientia eius inſolentiores, & conantes exprimere gemitum, &c. prouolue te in genua & adora eum in quem deſiderant Angeli proſpicere, &c. *Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem ſuam,* &c. Pſal. 128. Baſil. orat. 40. Mart.

2. Cùm iam præ effuſione copioſâ ſanguinis fatiſceret, ſolutum, & vix, aut ne vix quidem pedibus hærentem, *induunt eum* [1] *purpurâ, & conuocan-*

tes

tes [2] *totam cohortem, imponunt ei plectentes* [3] *coronam spineam, &* [4] *arundinem in dextrâ eius, & genu* [5] *flexo ante eum illudebant ei dicentes, Aue* [6] *Rex Iudæorum.* Quid tibi vnquam tale impositum est, siue dolorem pœnámve attendas, siue ignominiam? Vide ne tu eum quandoque quasi ludibrio salutes Regẽ Deumque nihil minus cogitans; *adora in spiritu & veritate.* Vide spinas, vide sanguine deturpatam faciem, vide cohortis gestus: nam &

Io. 4. 25.

3. *Expuentes in eum acceperunt arundinem & percutiebant caput eius.* Satis spinis exulceratum; *& dabant ei alapas,* & alia multa haud dubiè indigna gesserunt, sicut & in domo Caiphæ dictum est. Sed hac itur ad regnum illud quod non est de hoc mundo; per expoliationem, denudationemque, per ignominiam; per spinas & tribulos, per sannas & opprobria; si meliora nobis accidant, at sanè non certiora signa futura sunt: hæ vestes sunt quibus vt indueretur, voluit aliis omnibus spoliari: in his, voluit suos cognosci, & volet cognoscere. Graue est hominibus importunis inep-

tisque

tisque subijci, aut sociari; sed hinc discc.

XXIX.

Ecce homo. Io. 19.

1. ET *postquam illuserunt ei, exiuit iterum Pilatus foras & dicit eis, ecce adduco eum foras vt cognoscatis quia nullam inuenio in eo causam; exiuit ergo* IESVS (sequens Pilatum) *portans coronam spineam, & purpureum vestimentum, & dicit eis, Ecce homo.* Quale spectaculum! Pilatus in auro, Christus in scrutis. *Ecce* ille mirandorum patrator quem vix agnoscas hominem, *Homo* tamen & *Deus*, in cuius manu omnes homines arundine infirmiores; in cuius conspectu omnis purpura, sordes; aurum, spinæ; mundi gloria, opprobrium; adducendus sanè erat foras, non damnandus, sed absoluendus, in illo enim non inuenitur causa, sed in me est.

2. *Cùm igitur* [1] *vidissent eum Pontifices & ministri* [2] *clamabant,* [3] *Crucifige, crucifige.* [4] *Nos legem habemus, &* [5] *secundùm legem debet mori, quia filium Dei se fecit.* Quàm indigna hæc omnia! quàm falsa

falsa atque conficta ! quid non faciet passio?

3. *Cùm audisset Pilatus hunc sermonem magis timuit, & ingressus iterum dixit ad* IESVM, [1] *Vnde es tu?* IESVS *autem responsum* [2] *non dedit ei*; tu dic vnde sit, & mirare simul & time silentem, qui tamen hic, [3] quando non respondebat sicut agnus tacebat, quando respondebat sicut Pastor docebat) *Dicit ei Pilatus,* [4] *mihi non loqueris? nescis quia* [4] *potestatem habeo*, &c. *Respondit* IESVS, compatiens ignoranti, tolerans superbientem & instruens, *non haberes potestatem aduersum me vllam* [5] *nisi tibi datum esset desuper.* Expende singula & vide quantò satius sæpe sit non habere potestatem, *propterea qui me tradidit tibi* [6] *maius peccatũ habet.*

Auguſt. hîc

4. *Exinde quærebat eum dimittere*, sed quàm infirmâ voluntate ! Iudæis enim clamantibus, *si hunc dimittis non es amicus Cæsaris; omnis enim qui se Regem facit contradicit Cæsari*; &, *non habemus Regem nisi Cæsarem*: elegit placere Cęsari potiùs quàm Deo; nec placuit tamen. Nos hunc Regem agnoscamus, vt ipsi regnemus.

XXX.

Crucem baiulat. Matth.27. Mar.15. Luc.23.Io.19.

1. SUSCEPERUNT *autem* IESUM, Iudæi, animo præ malitia insolenti; milites Gentiles, vt pergant exequi quæ cœperunt, *& eduxerunt eum vt crucifigerent: & baiulans sibi crucem exiuit.* Vide quo animo præit nobis, in eo quod priùs docuerat; quo tamen dolore corporis propter infirmos humeros teneroſque, effuso sanguine, itinerum fatigatione, vigiliis debilitatos: perpende non tam crucem quàm peccata grauare, & fac onus leuius, quantum potes, tua, aliorumque plangendo, impediendo, &c. sequere præeuntem, & aduerte cum Augustino, "grande spectaculum; sed si spectet impietas, grande ludibrium; si spectet pietas, grande mysterium) *Ducebantur autem & duo nequam cum eo vt crucifigerentur.* Augustin. hîc

2. *Et cùm ducerent eum* (fatiscentem) [r] *apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem venientem de villa,* [s] *Patrem Ale-*

Alexandri & Rufi, & imposuerunt [3] *illi*
Athan. ser. de Cruce. *crucẽ portare post* [4] *eum.* "Vt omnibus notum fieret (inquit Athanasius) quòd non
Ambros. Luc. 23. sua ipsius, sed hominum causa moreretur," vt priùs ipse crucis suæ trophæum erigeret, deinde Martyribus traderet)
Leo ser. 8. de Pass. c. 5. inquit Ambrosius; "vt per hanc translationem (ait Leo) à filiis carnalibus ad filios spirituales omnium sacramentorum plenitudo transiret.) Tantum ne inuiti, ne in angaria portemus, ne villæ maiorẽ curam habeamus quàm crucis;
Gregor. 8. mor. 3. "crucem Christi in angariâ portare est afflictionem abstinentiæ pro alia quàm par est intentione tolerare.

3. *Sequebatur autem illum multa* [1] *turba populi,*" sed non vna eademque mente sequebatur) *& mulierum quæ* [2] *plangebant & lamentabantur eum; conuersus autem ad* [3] *illas* IESVS (non ad turbam) *dixit, filiæ Hierusalem nolite flere super*
Leo ser. 10. [4] *me.*" Volens enim patior) *sed super* [5] *vos ipsas flete, & super filios* [6] *vestros.*" Ordi-
Bern. ser. 2. de Resurr. nem diligenter attende) teipsum inspice, vt alteri noueris compati, &c.
Leo ser. 10. de Pass. c. 3. *quoniam ecce venient* [7] *dies,* &c." Nolite flere pro mundi redemptione morientem,

tem, quem in maiestate Patris videbitis iudicantem) *quia si in viridi* [8] *ligno hæc faciunt, in arido quid fiet*; nolite denique super me solo flere ex compassione, sed super vos ex necessitate, &c.

XXXI.

Crucifigitur. Ibid.

1. ET *venerunt in locum qui dicitur* [1] *Calvariæ locus*, Et fatigato, sitienti, exhausto, collocatoque super duro aliquo lapide, *dabant ei bibere* [2] *myrrhatum vinum cum felle* [3] *mixtum, & cùm* [4] *gustasset noluit bibere*. gustauit, vt quidam obseruant, quia felle mixtum, noluit bibere, quia quamlibet oblatam consolationem admittere recusauit; Tum nudatum summa ignominia & dolore omnibus vestibus, relicta ei corona spinea, retenderunt in terra vt aptarent cruci, & clauis trabalibus crucifixerunt, *& latrones vnum à dextris, alterum à sinistris, medium autem Iesum.*" Noua hostia nouo imponitur altari, vt crux Christi non Templi esset ara sed mundi.) Coram hoc altari atque in hac arâ, immola teipsum

Leo ser. 8. de Pass. c. 3.

teipsum sicut Abraham filium; expia teipsum sicut primus homo expiatus; imitare Virginem Matrem, cæteroſque pios qui circumstant.

2. *Scripsit autem titulum Pilatus, & posuit super crucem* IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM. Et cupientibus Iudęis vt reuelleretur, respondit, *quod scripsi scripsi.* hunc titulum tu accuratè lege & singula verba perpende neque à corde, mente, manu sinas reuelli, vel in minimo immutari." Turpe profectò esset, inquit Nazianzenus, si cùm malum stabile maneat, bonum in deterius flecteretur.)

Nazianz. ser. 40.

3. *Milites ergo cùm crucifixissent eum acceperunt vestimenta eius (& fecerunt quatuor partes vnicuique militi partem) & tunicam, erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum; dixerunt ergo ad inuicem, non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit:* vide qui sint hi quatuor in te qui crucifigunt Christum." Desuper autem texta tunica quid significat nisi vnitatem; hanc tunicam attende quam nec persecutores Christi diuiserunt.) horum vestimentorum

Aug. tr. 113. in Io.

rum partem ambi, amplectere ignominiam si quæ tibi sorte contingat: dissimula si quod verbum acrius aures attigerit: si nudus quandoque rebus necessariis relinquaris haud grauiter feras.

XXXII.

Opprobria in Cruce. Matth. 27. Marc. 15.

1. [1]*PRætereuntes autem* [2]*blasphemabant eum* [3]*mouentes capita sua, & dicentes: vah qui* [4]*destruis Templum Dei, & in triduo illud* [5]*reædificas,* [6]*salua temetipsum: si Filius Dei es, descende de cruce.*" Blasphemabant quia prætergrediebantur viam, & in vero itinere scripturarum ambulare nolebant.) Tu sta & considera qui, quem blasphemabant; & submitte caput tuum ei qui non destruit, sed ædificat te in Templum Dei, & in triduo, hoc est, post breuem huius vitæ moram illud perficiet: saluabit non descendendo, sed ascendendo, & manendo in Cruce, quia Filius Dei est, sed propterea factus filius hominis. Hieron. Matth. 27.

2. Similiter & [1]*Principes sacerdotum,*

[1] *illudentes cum Scribis &* [3] *senioribus, dicebant,* [4] *alios saluos fecit, seipsum non* [5] *potest saluum facere: si Rex Israël est, descendat* [6] *nunc de Cruce, &* [7] *credimus ei.*

Aug. tr. 37. in Ioan. Bern. ser. 1. in die Paschæ.

[2] Quia patientiam docebat, potentiam differebat.) & Bernard. Imò quia Rex Israël est, titulum Regni non deserat, virgam imperij non deponat. Pilatus quod scripsit scripsit, Christus non perficiet quod incepit?) Et tu ne depone insignia Regis tui; quò agnoscaris eius famulus; imò vt familiaris assume potiùs.

3. *Confidit* [1] *in Deo, liberet* [2] *nunc si vult eum, dixit enim quia* [3] *filius Dei sum.*

Iudith 8.

Et tu confide in Deo, sed expecta humilis consolationem, & ne ponas tempus miserationis Domini aut in arbitrium tuum diem constitue. Fige potiùs clauos fortius, vt perseueres donec ipse velit Conuoca Angelos ad laudandum; inuita homines ad benedicendum: trahe quos potes ad agnoscendum, adorandumque Christum Crucifixum, vt inter tot opprobria, quot à mundo in eum conijciuntur, solatij aliquid illi offeras, & honoris.

XXXIII.

XXXIII.

De verbis in Cruce. Luc. 23. Pars 1.

1. IESVS *autem dicebat,* [1] *Pater* [2] *dimitte* [3] *eis, non enim* [4] *sciunt quid faciunt.* Arrige aures ad loquentem IESVM qui hactenus in sua causa tacuerat. Audi dicentem *Pater*, & ipsa appellationis commemoratio te reddat attentiorem, & simul cum illo: similique attentione & intentione, semel iterum, sæpius dic, *Pater dimitte*, &c.

2. *Dimitte illis.* "Vna & summa est probatio charitatis, si & ipse diligitur qui aduersatur.) Non petit vindictam; non pertinaci silentio abstinet a loquendo; non remittit rem Deo; non inclamat Iudicem; sed *dimitte*, quibus? & quæ? omnia." Illis iam petebat veniam, à quibus adhuc accipiebat iniuriam; non enim attendebat quod ab ipsis moriebatur, sed quia pro ipsis.) Tu vide quid attendas in proximo? Greg. hom. 27. in Euang. Aug. tr. 31. in Ioan.

3. *Non enim sciunt quid faciunt.* Quis iam difficilis erit in excusando fratre, vel in acceptando proximi purgatio-

1. Cor. 2. nem? *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Tu ſtude ſcias quid facturus es tam pio aduocato, tam potenti, tam ſolicito, &c. Titus hic. " Nam perinde cum Patre loquitur atque par cum pare, & cum magna libertate, dimitte illis, inquit, non enim dixit, Domine rogo te; ſed ſimpliciter dimitte illis, oſtendit autem per hæc quam Iudæi iniuriam in illum committebant, & vtriuſque naturæ ſuæ ac Patris identitatem, &c. Et Auguſt." Aug. ſup. Nemo de ſui peccati dimiſſione deſperet, quando illi veniam meruerunt, qui Chriſtum occiderunt.)

XXXIV.

De Verbis in Cruce. Luc. 23. *Pars* 2.

1. *VNus autem de his qui pendebant latronibus, blaſphemabat eum dicens, ſi tu es Chriſtus ſaluũ fac temetipſum & nos.* 1. quid huic profuit ſuâ culpâ vicinitas Chriſti? deinde" nõ debet aliquis alterũ Chryſoſt. hom. 24. in Matth. condemnare cùm ipſe ſit reus.) *Qui ſine peccato eſt veſtrûm*, ait Chriſtus, *primus lapidem mittat.* & 3. S. Leo," In ipſa Leo ſer. 4. de Paſſ. patibuli ſpecie monſtratur illa quæ in iu-

dicio

dicio omnium hominum est facienda discretio.) 4.'' Quòd inter duos crucifigi voluit, voluntariam eius ad duos populos præsentiam patefecit; etsi prior beneficium recusauit, & innoxium sanguinem ad suã perniciem depoposcit.) Isidorus l. ep. 256.

2. *Respondens autem alter increpabat eum, dicens, neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es? & nos quidem iustè; nam digna factis recepimus; hic verò nihil mali gessit.*'' Dic tu iniquitates tuas prior vt iustificeris, non est ausus dicere memento mei, nisi confessione peccati sarcinam deposuisset. Inspice quantum præstet confessio.) Chrysost. ho. de Cruce & Latr.

3. *Et dicebat ad* IESVM, *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum.*'' Ergo per supplicium ille vadit in regnum? quis indicauit tibi, quoniam oportebat pati Christum & ita intrare in gloriam suam: videte quàm oculata sit fides; quàm linceos habeat oculos diligentius considerate.) & Augustin. Bern. ser. 2. in Epiph.

'' Cùm veneris in regnum tuum, tunc memor esto mei, si mihi tormenta debentur vel quousque veneris, &c. paratus sum quia mereor. Aug. s. 144. de temp.

4. *Et dixit illi* IESVS, [1]*Amen dico tibi,*
Aug. ibid. [1] *hodie* [3] *mecum* [4] *eris in paradiso,* ''Non te differo, tantæ fidei hodie reddo quod debeo.)Perpende singula verba, habent enim pondus suum, pondus veritatis, promptitudinis, familiaritatis, voluptatis, &c.

XXXV.

De verbis in Cruce. Pars 3. Ioan. 19.

In Missa de S. M. V. tẽp. Paschæ.

1. [1] *Stabãt autẽ* [2] *iuxta Crucẽ* IESV [3] *Mater eius & soror Matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene*: stabat & Ioannes: vide qua constantia, qua contemplationis altitudine, conferens in corde suo; quo dolore, quibus actibus oblationis, quo fletu, quibus oculis in Crucifixum intentis, & tu perstа in similibus, vt si fortè oculis auribúsve tuis vox aliqua insonuerit, aut res affulserit, accipias cum fructu, neque enim alloquitur prætereuntes. Sta *iuxta*, ne refugias, ne erubescas: IESVS est noli timere, &c. *Sta* cum Matre, prouoluere in genua cum Magdalena, habet & illa suos affectus.

2. *Cùm* [1] *vidisset ergo* IESVS *Matrem,*

&

& Discipulum [1] *stantem, quem* [2] *diligebat, dicit* [3] *Matri suæ, Mulier ecce filius tuus, deinde dicit Discipulo,* [4] *ecce Mater tua.*

Aspice Domine & miserere mei " Quomodo honorat Discipulum, fratrem suum illum faciens, adeò bonum est iuxta crucem stare.) 2. Ambrosius. "Hoc testamentum fidei est de Matris integritate, testis & arbiter: quòd desponsata tantummodo fuerit S. Iosepho (Item "huic traditur Virgo qui suos nesciat, qui de pectore Christi hauriat sapientiam.) 3 Chrysostomus; "Vt cùm spiritualia impediunt, parentes ne quidem cognoscendi sunt, ita cùm nihil impediunt, meritò omnia his sunt tribuenda.) Deinde considera cur ait *Mulier* non Mater; cur Ioannem priùs, deinde illam commendat, quem sensum illud *filius tuus* operatum sit in diligente Matre, & dilecto Discipulo, nam

Theoph. hîc.

Ambros. l. 10. ep. 79.

Idem in exhort. ad Virgin.

Chrysost. hom. 84. in Ioan.

3. *Et ex illa hora accepit eam Discipulus in sua?* & voluit, docuitque nos omnes accipere. At ' In quæ sua qui mundana non habebat, nisi in quæ à Christo acceperat, bonus verbi, sapientiæque possessor, bonus receptor gratiæ.) vel

Ambr. sup. August. apud Seruium.

in sua (hoc est officia, seu obsequia.) Augustinus.

XXXVI.

De verbis in Cruce. Pars 4. Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23.

1. *ERat autem ferè hora [1] sexta, & tenebræ factæ sunt super [2] vniuersam terram vsque ad horam nonam, & obscuratus est sol.* 1. Perpende in hoc prodigio misericordiam Dei reuocantis homines ad considerationem causæ. 2. Time cum malis, gaude cum bonis de Christi honore. 3 Vide ne in meridie gratiarum Dei super te lucentium subitò tuâ culpâ oriantur tenebræ per earumdem subtractionem.

2. *Et circa horam nonam clamauit* IESVS *voce magna, Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me?* Vt aduerterent Iudæi de quonam is psalmus propheticè scriptus fuerat, qua etiam in re elucet misericordia: deinde clamat se derelictum, vt hominem se ostenderet, atque pati quæ hominis sunt absque peccato. Tum quare derelictus? nisi propter te

vt

vt satisfaciat pro derelinquentibus Deum, vt doceat te pati vt à mundo derelinquaris & contemnaris, & ab ipso Deo quoad consolationes spirituales quas non mereris: reuolue illud *me, & Deus meus*, meritò voce magna exprimit quod magnum est & summopere mirandum; ne derelinquas me Domine, ne discesseris à me.

3. *Quidam autem illic stantes dicebant, Eliam vocat iste; sinite videamus si veniat Elias ad deponendum eum.* Quasi verò ipse hoc auxilio egeret, aut illud expectaret. Quàm procliuis est mundus ad dicta, actionesque inuertendas? & illud *iste* quid significabat in eorum cogitatione nisi contemptum? para te ad similia, & istum inuoca in die tribulationis, in tenebris desolationis." Domine, quia tu patiens fuisti in vita tua, &c. Thom. à Kemp. l. 3. c. 18. n. 2.

XXXVII.

De verbis in Cruce. Io. 19. *Pars* 5.

1. POstea [1] *sciens* IESVS *quia* [2] *omnia consummata sunt* (id est ferè consummata, seu consummata præter pau-

ca quædam) *vt consummaretur* [3] *scriptura dixit,* [4] *Sitio.* Non igitur ex tædio clamauit antea *Deus Deus meus*, &c. sed vt significaret ad quid ita derelictus fuerat sine maiore ostensione Maiestatis, vt scilicet consummaret omnia quæ ex voluntate Patris & suâ, ordinata fuerant in hac mirabili dispensatione carnis suę. Si igitur ille in tantis angustiis perseuerauit quid nostri est officij? Ipse quidem sciens, nos equidem nescientes, sed non propterea minori merito quàm si sciremus, cùm ipsum hoc sciamus voluntatis esse Dei. Offeramus igitur illi hanc ipsam ignorantiam nostram in sacrificium perpetuum donec cōsummemur.

2. Sed quid illud *sitio*? sanè ex fatigatione, vigilijs tristitiâ, sanguinis effusione, inedia, attentione ad dicta & interrogata, & ad internam suiipsius dispositionem, naturaliter, & quid mirum? at intellectu altiori (sicut alia omnia protulit) quid sitiebat nisi te, tuamque atque omnium salutem, perfectionem in explenda Patris voluntate? sicut Samaritanæ dixerat olim, *da mihi bibere*; & Apostolis, *meus cibus est vt faciam voluntatem*

tem

tem eius qui misit me; hæc sitias & tu: his extingue sitim Christi.

3. Et non *aceto*, cuius *vas positum erat plenum:* lugenda sanè res, tam plena esse vasa cordis nostri, & tam constanter aceto euanidarum cogitationum quæ amaritudine sua contristant Spiritum sanctum, vt ne quid peius dicam; lugenda res, quod tam scimus *spongia* similes, ad mundana absorbenda quæ verè amara sunt & acetosa, nisi gustum habeamus infectum ad spiritualia duri; aut velut *arundines*, aut *calami*, & putamus tamen nos esse aliquid, & præstare obsequium Christo cum hæc offerimus.

XXXVIII.

De verbis Christi. Pars 6. Luc. 23. Ioan. 19.

1. *CVm ergo*[1] *accepisset* IESVS *acetum, dixit*,[2] *consummatum est, & iterum*[3] *clamans voce magna, ait, Pater in manus*[4] *tuas commendo spiritum meum, & hæc dicens*[5] *inclinato capite tradidit spiritum.* Consummauerat scilicet omnes

voluntates Patris; impleuerat omnes prophetias, & pro nobis poterat dicere quid vltra debui facere? neque erat vltra nisi vt animam daret sicut dederat corpus.

2. Illam igitur animam, illam vitam, illum spiritum quem ipse tradit iam in manus Patris, & tradit semper, tu in tuam accipe cogitationem venerationemque: compatere afflictæ animæ, gratulare liberatæ, & illas quas ipse per hanc, & propter hanc tibi tradit in manus, liberandas, consolandas, fouendas amplectere, cura & foue; trade vicissim tuam animam, vitam, spiritum, in manus eius & Patris, & ne trade solum, sed & commenda, per Filium Patri, per Virginem Filio; & cogita quid illa in hoc articulo cogitare potuerit.

3. Inclinanti caput inclina, & noli altum sapere, sed time ne hora veniat antequam omnia cõsummaueris: quàm dissimili clamore in ea hora clamant iusti & iniusti, diligentes, & pigri: clama voce magnâ, *Domine miserere mei, sana animam meam quia peccaui tibi*; clama cum filio prodigo, *Pater peccaui in Cœ-*

lum

lum & coram te, iam non sum dignus vocari filius. tam dissimilis filio, *fac me sicut unum de mercenariis tuis*, quos conduxisti & misisti in vineam tuam, vt consummem opus quod dedisti mihi.

XXXIX.

De prodigiis post mortem. Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23.

1. ET *ecce velum Templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum:* in signum quod iam aperienda erant mysteria abscondita à sæculo, lex cessatura, *& terra mota est, & petræ scissæ sunt.* " Ob facinoris perpetrati à Iudæis & Gentibus indignitatem; *& monumenta aperta sunt*, vt vitæ & mortis Dominus demonstraretur: tu te aperi Christo; scinde cor tuum in duas partes amoris & doloris; à summo vsque deorsum, recogita omnes annos tuos in amaritudine animæ tuæ, & offer in igne charitatis. Commoue terram corporis vt semen verbi accipiat, & foueat; & difficultatum petras perrumpe: aperi monumentum cordis per integram confessio-

Vide Hieron. hîc & ep. 150. ad Hedib. & Leonem ser. 2. 4. & 6. de Pass.

nem peccatorum, & purga ab omni corruptione.

2. Aperi oculos mentis tuæ cum *Centurione qui ex aduerso stabat, & qui cum eo erant custodientes* IESVM, *& videns quod factum fuerat, & quod sic clamans expirasset, glorificauit Deum dicens, verè hic homo iustus erat, verè filius Dei erat iste.* Cumque tu eadem fide perceperis, sequere Iustum, sequere Filium Dei, vt eum etiam glorifices.

Bern. ser. 28 in Cant. " Oculus pronunciabat infirmum, oculus miserum, oculus morte turpissima condemnatum; auri Dei filius, auri formosus intonuit. Fides enim ex auditu, &c.

3. Et si minus feruenter, imitare saltem *turbam eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant* (nam) *percutientes pectora sua reuertebantur*. Reuertere à via tua mala; *reuertere, reuertere*, vt intuearis sæpius hoc spectaculum, si vis *Sunamitis* esse, hoc est, perfecta.

Cant. 6. 12.

XL.

XL.

Christi latus aperitur. Io. 19.

1. *IVdæi ergo quoniam Paraſceue erat, vt non remanerent in Cruce corpora ſabbatho (erat enim magnus dies ille ſabbathi) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura & tollerentur Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus erat cum illo.* Hic iterum apparet genius Hypocritæ; periculum etiam à commota animi paſſione, & ab examine actionum non ſincero; ſi dies polluuntur corporibus mortuis, quantò magis actionibus fœdis! vnde rectè dicitur, *memento vt diem ſabbathi ſanctifices.* Præualet tamen Dei prouidentia hominum malitiæ quando vult, & ſemper eâ vtitur ad maiorem ſui ſuorumque gloriam: *facta igitur ſunt hæc vt ſcriptura impleretur.*

2. *Ad IESVM autem cùm veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum non fregerunt eius crura, ſed vnus militum lanceâ latus eius aperuit & continuò exiuit ſanguis & aqua.* Quia in his purificationes Iudæorum perficiebantur, impleuit ergo & in iſto Trinit. Nyſſenus orat. de

Aug. tr. 120 in Ioan.

isto legem. "Vigilanti, inquit Augustus est verbo vt diceret, aperuit, vt illic quodam modo vitæ ostium panderetur, vnde sacramenta Ecclesiæ manauerunt, sine quibus ad vitam, quæ verè vita est, non intratur.) Et Chrysost. Sicut mulier affectionis natura cogente ipse regenerat; suo sanguine semper enutrit; vt cum ad sacrosanctum poculum accedis, tanquam ab ipso Dominico latere bibiturus accedas.)

Chrysost. hom. ad Neophy.

3. *Et qui vidit* (Discipulus scilicet quem diligebat IESVS) *testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius, & ille scit quia vera dicit vt & vos credatis.* Tu dilige vt possis eò certius testimonium perhibere: habe vulnera eius præ oculis vt certius diligas; aperi cor tuum Christo tuo; & si doleat, hinc pete medicinam: *vulnerasti cor meum*, inquit sponsa, *in vno oculorũ tuorum*, &c. Quot hîc habes tela quibus vulneretur tuum amico vulnere vt sanetur." Frequenter recurrendum est ad fontem Gratię, &c.)

Cant. 4. 9.

Thom. à Kemp. l. 4. c. 10.

XLI.

XLI.

Ingreditur Christus Hierosolymam triumphans & flens. Matth. 21. Mar. 11. Luc. 19. Io. 12.

1. *CVm appropinquasset Hierosolymis, Dominica misit* [1] *duos Discipulos dicens,* [2] *ite Palmarum. in Castellum quod* [3] *contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam & pullum cum eâ,* [4] *soluite & adducite mihi, & si* [5] *quis vobis dixerit aliquid, dicite, quia Dominus his opus habet,* &c. Vide quàm sine pompâ se parat ad triumphum: quàm prompti Discipuli etiam ad castella: quàm obedientes debemus esse Christo iubenti, vnde Ambrosius, "Si resistat caro & sanguis, si resistat aliquis cui fortè grati sumus, vel qui nos hîc diligit; multò amplius diliget si sinat fieri hostiam Christi.) Ambros. contra Augxentium.

2. *Et duxerunt* [1] *pullum ad* IESVM, *&* [1] *imposuerunt illi sua vestimenta, &* [2] *sedit super eum, vt impleretur quod dictum est; Ecce Rex tuus venit* [4] *tibi,* [5] *mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis.* Bernard. Vt iumentum esto; habitas. Bernard. ser. 7 qui

esto; patienter sustinens onus, delectabiliter cogitans, tam oneris qualitatem, quàm propriam vtilitatem.) Et iterum, "Neminem dedignatur, sed si Apostolica vestimenta non desint; si doctrina, si morum iustitia, si obedientia adsit, & charitas quæ operit multitudinem peccatorum.)

3. *Plurima autem turba* [1] *straverunt vestimenta in via, alij* [2] *cædebant ramos arborum & sternebant.* [3] *Turbæ autem clamabant, Ozanna filio Dauid,* [4] *benedictus qui venit in nomine Domini:* [5] *pax in cœlo,* [6] *gloria in altissimis.* Voces videntur hæ etiam nunc Ecclesiæ Catholicæ, præcedentium & subsequentium, acclamantium doctrinæ a Christo traditæ, *Benedictus*, &c. quibus obstrepunt hæretici, sed verè Christus, *si hi tacuerint lapides clamabunt.*

Dom. 9. post Pentecosten.

4. *Et vt* [1] *appropinquauit* [2] *videns ciuitatem fleuit super eam, dicens si* [4] *cognouisses & tu, & quidem in hac* [5] *die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem* [6] *abscondita sunt ab oculis tuis: quia venient dies in te,* &c. *eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ.* Bernard. "Videat sæcularis anima,

Bern. ser. 1. in ramis.

anima, quòd extrema gaudij luctus occupat; hic fructus gloriæ temporalis. Spiritualibus verò in pompa repræsentatur gloria, in fletu via.) Et Gregor. Qui sunt humanæ animæ maiores inimici, quàm maligni spiritus, &c.) Greg. hom. 39. in Euāg.

XLII.

Repetitio prima Mysteriorum Passionis Christi Domini distributæ in stationes.

1. INcipiendo igitur ab ingressu in hortum Gethsemani, sequere ad interiora, & vide per singula quid dicatur, quid agatur, ante & post Comprehensionem,

2. Inde comitare ductum ad domum Annæ, & Caiphæ; ausculta respondentem, admirare patientem, attende respicientem.

3. Iunge te Condemnato, & ligato ad vsque Pilati domum, ingredere cum ingrediente, audi tacentem.

4. Socia te raptato ad Herodem, illuso, blasphemato, dum iret, & rediret.

5. Siste

5. Siste te cum illo coram Tribunali, postposito Barabbæ, in atrio flagellato, & coronato, & cùm exponitur acclamanti plebi *crucifige*, & animo reuolue illud *Ecce homo*.

6. Sequere prodeuntem cum Cruce, & magno labore ad Caluariæ montis cacumen euadentem, vbi quàm multa! quàm stupenda! quàm Diuina!

XLIII.

Repetitio secunda Mysteriorum Passionis Christi Domini.

Considerando

1. dolores internos
   - Ex apprehensione eorum quæ erant ei superuentura; vnde tristitia, agonia in horto, &c.
   - Ex lapsu Discipulorum & fuga.
   - Ex tristitia Amicorum & sequacium.
   - Ex interna derelictione: vnde clamabat, *Deus Deus meus*, &c.
   - Ex fructu non responsuro doloribus toleratis.

Ex

dolores externos	2.	Ex vinculis, ex alapis.
		Ex itineribus, ex flagellis, & corona.
		Ex diuulsis vestibus.
		Ex baiulatione crucis.
		Ex Crucifixione, & siti.
Ignominias	3.	In Comprehensione.
		In nocte prima.
		In denudatione & flagellatione.
		In reiectione præ Barabba.
		In societate latronum.
		In dicteriis coram Pilato, Herode, in cruce, & post mortem.

XLIV.

Repetitio tertia Mysteriorum Passionis Christi Domini.

Ruminando, & admirando immensam Charitatem quâ

1. Desudat sanguinem — Dilectus meus.
2. Comprehenditur & ligatur — Deus meus.

3. De-

3. Deseritur & negatur	Dominus meus.
4. Saturatur opprobriis	Rex meus.
5. Condemnatur	Iudex meus.
6. Illuditur	Gloriæ meæ.
7. Reprobatur	Iustitia mea.
8. Flagellis cæditur	Caro mea.
9. Spinis coronatur	Caput meum.
10. Oneratur ligno	Requies mea.
11. Clauis figitur	Amor meus.
12. In crucem tollitur	Saluator meus.
13 Felle potatur	Dulcedo mea.
14. Moritur	Vita mea
15. Latus aperitur	Refugio meo.
16. Deponitur in brachia SS. V. Matris	Cor meum.
17. Sepelitur	Resurrectio mea.

Anima Christi sanctifica me, &c.

XLV.

XLV.

De Christi sepultura. Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Io. 19.

1. *CVm autem serò factum esset venit Ioseph homo* [1] *diues ab Arimathia, nobilis* [2] *decurio, vir* [3] *bonus & iustus qui & ipse erat* [4] *expectans regnum Dei, discipulus autem occultus* IESV *propter* [5] *metum Iudæorum; &* [6] *audacter introiuit ad Pilatum, & petiit corpus* IESV. *Pilatus autem donauit corpus Ioseph* "Meritò diues (inquit Ambrosius) vbi Corpus suscepit Christi; suscipiendo enim diuitem nesciuit fidei paupertatem.) Perpende alia eius encomia, *Bonus*, iustus, nobilis, &c. [1] "Cuius in animo religioso metus cum deuotione certabat.) Audacter tamen introiuit, &c. Ambros. ser. 10 in Lucam. Aug. s. 132. de Temp.

2. *Ioseph autem mercatus syndonem, & deponens eum, inuoluit syndone. Venit autem & Nicodemus, (qui venerat ad* IESVM *nocte primùm) ferens mixturam myrrhæ & Aloës quasi libras centum, & ligauerunt Corpus linteis cum aromatibus sicut mos est Iudæis sepelire.* Ambrosius, "Si Apostoli sepeliissent, dicerent vtique Ambr. sup.

non

non sepultum quem raptum esse dixerunt. *Iustus* autem Christi corpus operit sindone; innocens vngit vnguento; vesti ergo & Tu Domini corpus gloria sua, vt & ipse sis iustus; vnge illud *myrrha & Aloë*, vt bonus odor Christi sis; *quasi libras centum* perfectæ fidei quantitatem. *Et ligauerunt*, iuxta consuetudinem spiritualium Iudæorum, non vtique nodis perfidiæ, sed fidei ligaturis.)

3. *Erat autem in loco vbi Crucifixus est, Hortus, & in horto Monumentum* [2] *nouum, in quo nondum* [3] *quisquam positus erat, excisum de* [4] *petra; ibi ergo propter Paraseeuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt* IESVM; *& aduoluit* [5] *saxum magnum ad ostium monumenti, & abijt.* "Vbique beato corpori defertur sanctitas, atque virginitas: nouus illud venter concepit, nouus tumulus conclusit.) Et Ambrosius, "Habeant tumulum qui sub lege sunt mortis, Victor mortis suum tumulum non habebat.)" Et benè in petra excisum, hoc est, in firmamento fidei: cui pulcherrimè lapis admotus est: quicumque enim benè in se tumulauerit Christum,

Aug. s. 133. de Temp.

Ambr. l. 3. de Virg.

Idem l. 10. in Lucam.

stum, diligenter custodiat ne eum perdat.)

DISTRIBVTIO

Mysteriorum Resurrectionis
Considerandorum
A Paschate ad Pentecosten.

Dom. Resurrectionis. & Feria 2. 1. Myst.
Feria 3. & 4. 2. Mysterium.
Feria 5. 3. Mysterium.
Feria 6. Repetitio.
Dom. in Albis, & Feria 2. 4. Myst.
Feria 3. 5. Mysterium.
4. Repetitio.
5. & 6. 6. Mysterium.
Sabbatho fructus.

1. Christus apparet Matri.
2. Angeli apparent Mulieribus. *Pars* 1.
3. Angeli apparent Mulier: *Pars* 2.
Sabbatho recolitur fructus.
4. Angeli apparent Mulierib. *Pars* 3.
5. Petrus & Ioānes ad Monumentū.
6. Apparet Magdalenæ.

Dom. 2. 7. Mysterium.
Feria 2. & 3. 8. Mysterium.
4. & 5. 9. Myst.
Sexta: Repetitio.
Dominica 3. 10. Mysterium,
Feria 2. 11. Mysterium.
3. Repetitio.
4. 12. Mysterium.
5. 13. Mysterium.
6. Repetitio.
Domin. 4. 14. Mysterium
Feria 2. 15. Mysterium.
3. Repetitio.
4. & 5. 16. Mysterium.

7. Christus apparet Mulieribus.
8. Apparet euntibus in Emmaus. *Pars* 1.
9. Eiusdem. *Pars* 2. Sabbatho fructus.
10. Apparet Discipulis congregatis. *Pars* 1.
11. Eiusdem. *Pars* 2.
12. De Causis cur Christus retinuit vestigia vulnerum.
13. Apparet Discipulis congreg. Sabbatho fructus.
14. Apparet Piscatibus. *Pars* 1.
15. Apparet Piscatibus. *Pars* 2.
16. De Trina Interrogatione Petri.

Feria

Feria 6 17. Mysterium. 17. Petri solicitudo de Ioanne.

Sabbatho Repetitio vel fructus.

Dominica 5. & Feria 2. 18. Myst. 18. Appatet Discipulis in Galilæa.

3. & 4. 19. Mysterium. 19. Apparet]Recumbentibus.

5. & 6. 20. Mysterium. 20. Christi Ascensio. *Pars* 1.

Sabbatho fructus.

Dominica 6. & Feria 2. 21 Myst. 21. Christi Ascensio. *Pars* 2.

Feria 3. 22. Mysterium. 22. Triumphus Christi ascēdētis.

4. & 5. 23 Myst. 23. Electio Matthiæ.

6. & Sabbatho 24. Mysterium. 24. De Attributis Spiritus sancti.

Dominica Pentecostes 25 Myst. 25. Aduentus Spiritus S. *Pars* 1.

Feria 2. 26. Mysterium. 26. Aduentus Spiritus S. *Pars* 2.

Feria 3. Repetitio.

4. & 5. 27. Mysterium. 27. Fructus Spir. S. in primis Christ.

6. & Sabbatho. 28. Mysterium. 28. Fructus Spir. S. in Apostolis.

CAPVT TERTIVM

Continens Mysteria Resurrectionis & Ascensionis Christi Domini,

A

Paschate ad festum SS. Trinitatis considerandа.

SYNOPSIS.

Sequentium Tertij Capitis Notationum.

Ephes. 2. 4. DEus qui dives est in misericordia, & propter nimiam Charitatem suam quâ dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo, & conresuscitauit, & consedere fecit in c. 3. v. 16. cœlestibus in Christo IESV, det nobis secundùm diuitias gloriæ suæ, virtute corroborari per spiritum eius in interiori homine, Christum habitare per fidem in cordibus nostris; in Charitate radicati & fundati; vt possimus comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum: scire etiam supereminentem

tem scientiæ Charitatem Christi, vt adimpleamur in omnem plenitudinem Dei. Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quàm petimus aut intelligimus, ipsi gloria in Christo Iesv, in omnes generationes sæculi sæculorum. Amen.

I.

Christus surrexit & apparet Matri.

1. VIde diuersa hominum studia; & 1. Christi animam à relicto corpore gloriosam, Angelis comitantibus & adgratulantibus victoriam, penetrantem ad inferos, illuminantem carcerem illum tenebrosum, terrentem dæmones, Patres in Lymbo mira consolatione perfundentem,

2. Audi voces Patriarcharum, & Prophetarum noua, & inenarrabili lætitia exultantium, cùm vnusquisque in Christo videret illud completum, quod in se iam reperit præfiguratum, atque adeò licèt magnopere de sua liberatione & gloria gauderent, magis tamen de Christi liberatoris triumpho exulta-

bant. Quo iubilo dicere tunc potuit Ioannes Baptista, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit*, &c. Quo Dauid! *Iurauit Dominus*, &c *Tu es sacerdos in æternum*, &c.

3. Interim incassum fremunt Iudæi, & turmatim adeunt Pilatum, *Dicentes, Domine, recordati sumus quod seductor ille dixit adhuc viuens, post tres dies resurgam, iube ergo*, &c. Quàm citò Dominum agnoscunt Pilatum, qui Christum respuerunt; quàm serò & inutiliter recordantur! quanta malitia perstant in calumniis, & viuentis dicta recolere in perniciem! *Et abeuntes munierunt sepulcrum, signantes lapidem cum Custodibus*, verè ipsi lapidei.

4. Et Discipuli quidem metu perculsi, frustratique (vt illis tunc videbatur) expectatione, abdiderant se, vel hinc inde occulta miscebant colloquia consternati: mulieres de vngendo corpore cogitabant: Beatissima Virgo MARIA priuatim apud se lugens quidem mortem acerbam Filij, sed expectans consolationem promissam, conferensq; more suo prædicta cum euentu animabat seipsam & alios si fortè accederent,

donec

donec summo manè (inexpectatus quoad horam) apparet filius gloriosus, corpore indutus eodem quo in Cruce pependerat, comitatu verò longè diuerso. Hic lachrymas veneraberis gaudij testes, auscultabis colloquia diuina, videbis comites venerantes Virginem, &c. Eam tu venerare & Christum; pete fructum aliquem à resurgente; illum saltem quem Apostolus assignat; *vt liberati à peccato serui autem facti Deo habeamus fructum nostrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Rom. 6. 22.

II.

Angeli mulieribus annunciant Christi Resurrectionem. Matth. 28. Mar. 16. Luc. 24. Io. 20. *Pars* I.

1. *CVm transisset Sabbathum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt* [1] *aromata vt venientes vngerent* IESVM: *&* [2] *valde manè vna Sabbathorum veniunt ad monumentum orto iam sole* (valde manè egressæ Hierosolyma vel Bethania peruenerunt orto iam *In die Paschæ.*

iam sole) *& dicebant ad inuicem*, 3 *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Et tria nos docent, parate quæ necessaria sunt ad quæcumque piè suscipimus; moras non nectere non necessarias; difficultatibus obiectis non cedere leuiter, sed amanter pergere, venire etiam vt videamus, sed non vacuos venire, ne vacui recedamus.

2. Deinde considera an in hoc mundo tam magnum aliquid videri possit quod non meritò impendatur ad vngendum Christum IESVM, ad eum ornandum, conseruandum, alleuiandum, siue illum in se, siue in teipso spectes, siue in proximo; siue labores numeres, siue res!

3. Tertiò, ecce nunc dies salutis; transeunt omnia vitæ huius sabbatha; præteruolant dies, menses, anni; quærimus fortè in his requiem & non inuenimus; paremus aromata in diem qui non transit, diem resurrectionis nouæ; neque enim sine aromatum, hoc est virtutum, suaui odore recipitur aut agnoscitur sponsa, aut benedicitur filius, *statim vt sensit vestimentorum eius fragrantiam,*

Gen. 27. 27

bene-

benedicens illi ait, Ecce, &c. Ab illo sanè fratre nostro maiore Christo IESV, accipienda sunt, sed obedientiâ nostrâ, Matris nostræ & illius procuratione: hîc seriò diligenterque ac sine morâ attendamus, ne præoccupati morte, &c.

III.

Angeli mulieribus nuntiant Resurrectionem. Pars 2.

1. *ET respicientes viderunt [1] reuolutum lapidem: [2] terræ motus quippe factus est* (id est fuerat) *magnus; Angelus [3] enim Domini descendit de Cœlo & accedens reuoluit lapidem, erat quippe magnus valde, & [4] sedebat super eum.* Ita difficultates quæ videntur sæpè superari non posse subitò euanescunt, perseuerantiâ lumen ac vires insperatas promerente. " Orate, inquit Chrysologus, vt nunc descendat Angelus, & totam duritiem nostri cordis euoluat, aperiat sensuum claustra, resurrexisse Christum nostris & testetur ex mentibus.) Quid mirum, si motus fiat magnus in nobis (hoc est turbatio, *Sabbatho sancto.*

Chrysolog. ser. 75.

batio, Angelo veniente, & recta ſuggerente, ſi terrei ſumus? *Et ego*, inquit Paulus, *non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus*; &c.

1. Cor. 3.

2. *Erat autem aſpectus eius ſicut* [1] *fulgur, & veſtimentum eius ſicut* [2] *nix, pra timore autem eius* [3] *exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt veluti* [4] *mortui.*" Miſeri, inquit Chryſologus, quos tunc percutit pauor mortis, quando ſecuritas vitæ redditur) Vel certè quando expectari deberet reddenda virtutum meritis; ſed meritò illi territi, quia" non pietatis obſequio, ſed crudelitatis ſtudio cuſtodiebant, ſtare enim non poteſt quem conſcientia deſtituit, impellit reatus.

Chryſol. ſer. 77.

Idē ſup. ſ. 75

"Rectè autem teſtis Reſurrectionis Angelus, & in fulgore vultus, & in candore habitus demonſtratur, vt de ipſa ſuâ ſpecie, & terreret reprobos, & mulceret pios) Idem enim accidet in Reſurrectione generali.

Gregor. hom. 21.

3. "In quo verò Chriſtus reſurrexit, inquit Bernard. videtur vultus lætior, aſpectus venuſtior, ſermo purior, inceſſus moderatior, & ad omne opus bonum ſpiritus promptior, &c.) Vide vt in

te ista ad exemplum huius Angeli reperiantur; Angelum tuum inuoca in adiutorium, venerare in Cœlo fulgentem, in terris te comitantem reuerere, audi monentem.

IV.

Angeli mulieribus nuntiant Christi Resurrectionem. Pars 3.

1. *ET introeuntes in monumentum viderunt* [1] *Iuuenem sedentem in* [2] *dextris coopertum stola* [3] *candida, &* [4] *obstupuerunt: Respondens autem Angelus dicit illis, nolite timere* [5] *vos, scio enim quod* IESVM [6] *quaritis Nazarenum crucifixum; surrexit* [7] *sicut dixit, venite, & videte locum vbi* [8] *positus erat Dominus.*" Vident Iuuenem quia nescit Resurrectio senectutem: sedentem in dextris, vt æternitati resurgamus, & à dextris positi mereamur audire, Venite benedicti, &c.) Et Chrysost. Cùm ait (*vos*) multum id præ se fert honoris; & simul declarat eos qui ausi sunt facinus patrare, nisi resipiscant, extrema meritò timere debere.) Chrysol. ser. 82. Chrysost. hom. 90. in Matth.

2. Vide vt verè possit dicere Angelus

& Deus illud *scio* &c. Qui enim verè IESVM *quærit Crucifixum* beatus; percurre omnes actus, omnes cogitatus tuos, & vide ne interior conscientia dicat, *non est hîc.*" Ille (vt pulchrè Chrysost.) vbicumque voluerit est; & vbicumque fueris tuipse qui illum quæris, in ipso es quem quæris.)

3. *Venite, & videte locum vbi positus erat Dominus.* Hoc si transferas ad animas quæ acceptam semel gratiam perdiderunt, quantus fons aperitur lachrymarum? si ad animam in qua Christus dignè receptus in Sacramento Eucharistiæ, &c. quantus etiam fons; sed gaudij, & gratulationis? Gratulare Viscetibus Virginis Matris, &c.

4. *Et citò exeuntes dicite Discipulis eius, & Petro quia surrexit,* &c. *Et exierunt citò de monumento, cum timore & gaudio magno currentes nuntiare Discipulis.* Chrysologus, "Timor non est ablatus sed mutatus) Hieron." Duplex affectus timoris, & gaudij: vterque fœmineum concitabat gradum.) Gregor. "Petrus vocatur ex nomine, ne desperet ex negatione.) Tu imitare istarum fœmi-

Chrysol. ser. 80. Hieron. hîc. Gregor. hom. 31. in Euang.

fœminarum ſtudium, & ſincerum animum: circumſpice teipſum vt locus Chriſto aptus inueniaris." Ego ſum puritatis amator & dator omnis ſanctitatis. Ego cor purum quæro, &c.) Thom. à Kemp. l. 4. c. 12.

V.

Petrus & Ioannes adeunt monumentum. Luc. 24. 12. Ioan. 20.

1. *CVcurrit ergo Maria Magdalena, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium Diſcipulum quem amabat* IESVS, *& dicit illis, tulerunt Dominum de monumento, & neſcimus vbi poſuerunt eum.* Feſtinauit præ cæteris quæ præ cæteris diligebat, & venit ad eos quos Principes nouerat inter Diſcipulos, neque declinauit eum qui negauerat, cuius pœnitentiam iam Angelus & ipſa probauerat, vide quàm rectè peccator reſurgens, & iuſtus perſeuerans copulantur; ſed vnde tanta incredulitas in amante, vt neque Angelo dicenti reſurrexiſſe crediderit; dicit enim, *tulerunt eum & neſcimus*, &c. Amoris eſt vehementis omnia tuta timere. Chryſolog. tamen *Sabbatho in Albis.*

Chryſol. ſerm. 79. ſuper hoc rectè nos conuenit; "quod iſta, inquit, tam tardè ſuſcipiunt non miremur nos, qui hucuſque vix credimus; ſed oremus vt de his tantum ſentire mereamur, quantum dederit ille qui Diuina hominem ſentire largitur.

2. *Currebant igitur duo ſimul, Ioannes venit prior & non intrauit. Petrus ſequens introiuit, & vidit linteamina poſita & ſudarium*, &c. *tunc introiuit ille qui venerat primus, & vidit & credidit.* Præeat igitur Virgo puritate; humilitate poſteriorem ſe æſtimans nouiſſimum occupet locum. Recole etiam parabolam Operariorum dicentium, *Hi nouiſſimi vnam hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti*, &c linteamina compoſita, & ſudarium, teſtimonium euidens ſunt contra corruptos milites Chriſti corpus non eſſe ſublatum furto, ſed vi Diuina exuiſſe ligamina, ait enim, *Vidit linteamina poſita, & ſudarium quod fuerat ſuper caput eius, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim inuolutum in vnum locum.* Ingredere cum Petro & Ioanne: luſtra, crede, venerare, & noli expectare reuelantes Angelos,

Matth. 20.

Io. 20. 7.

gelos, vbi signa, quæ præordinauit Deus faciunt fidem.

3. *Abijt Petrus secum mirans quod factum fuerat*, relictus verosimiliter solus ab iterum præcurrente Ioanne; & quid mirabatur? Id quod factum fuerat Hierosolymis in monte Caluario, cum eo comparans, quod hìc factum videbat, quod à mulieribus audiebat, quod Christum cùm viueret dixisse recolebat; quibus cogitationibus detentum occupat, fortè, Christus Dominus, nam inueniuntur ante vesperam Discipuli, *dicentes surrexit Dominus verè & apparuit Simoni.* Quàm amicus, quam humilis, quàm tener congressus! Tu hos affectus indue dum Christum veneraris. Luc. 24. 34.

VI.

Apparet Christus IESVS *Magdalenæ.* Ioan. 20.

1. MAria reuersa priùs ad monumentum cum Apostolis duobus, recedentibus illis, [1] *stabat* [2] *foris* [3] *plorans, dum autem fleret,* [4] *inclinauit se &* [5] *prospexit in monumentum, & vidit* [6] *duos* Angè- *Feria 5. Paschæ.*

Angelos in albis ſedentes, vnum ad [7] *caput. & vnum ad pedes vbi poſitum fuerat corpus* IESV. Quod animo gerebat, corpore præferebat; foris ſtabat, non credidit; quia tamen ſtabat plorans cæcitatem ſuam, ac miſeriam, & *ſe inclinauit* in obſequium fidei, *vidit* primùm *Angelos*, deinde Chriſtum: quàm meritò deflentur qui foris ſunt! Angeli autem ad caput & ad pedes vbi poſitum fuerat corpus ſedentes, quid innuunt niſi illum contemplandum, illum nuntiandum, qui (vt loquitur Gregorius hom. 25. in Euang.") eſt Deus ante ſæcula & Homo in fine ſæculorum.) Dignitatem etiam cuſtodiæ quam meretur, non corpus ſolùm, ſed locus Corporis Chriſti?

Vide Ambroſ. 3. de Virginib.

2. *Dicunt illi mulier, quid* [1] *ploras? dicit eis, quia* [2] *tulerunt Dominum meum &* [3] *neſcio vbi poſuerunt eum.* Hæ noſtræ ſunt in hoc mundo miſeriæ, auferri quandoque Dominum, neſcire nos vbi & quando reperiendus, ſæpè tamen vicinior eſt quàm facilè credimus. Et quonam nos ipſi eum loco habemus, aut ponimus?

3. Itaque *conuerſa retrorſum* [1] *vidit*

IESVM

IESVM *ſtantem, & non* [2] *ſciebat quia* IESVS *eſt, dicit ei* IESVS, *mulier* [3] *quid ploras? quem* [4] *quæris?* Recta monitio. "Tu tibi cauſa plorandi es, quæ es Chriſto incredula.) *Illa* [5] *exiſtimans quia hortulanus eſſet.* Quò non deſcendit bonus IESVS, vt nos iuuet? nos igitur eodem modo vt aliis opitulemur. *Dicit, Domine* [6] *ſi tu ſuſtuliſti eum,* [7] *dicito* [8] *mihi* [9] *vbi poſuiſti eum:* dicito tu qui ſolus plenè, vt oportet, potes; *& ego eum tollam, eum tollam* [10] *& cõplectar, nec dimittam,* &c. Ambr ſup.

4. *Dicit ei* IESVS, *Maria:* quaſi diceret, in te eſt locus vbi poſitus tolli vt video non poſſum; adeſt enim Chriſtus, nec vnquam iis à quibus quæritur deeſt. [1] *Conuerſa illa dicit ei,* [2] *Rabboni; dicit ei* IESVS, *noli* [3] *me tangere, nondum enim* [4] *aſcendi ad Patrem meum,* hoc eſt, nondum aſcendo, ſed ſæpius me videbis: *vade ad* [5] *fratres meos & dic eis, aſcendo ad Patrem meum & Patrem* [6] *veſtrum,* &c. Fratres igitur etiam inferiores habendi ſunt. "Patrem verò meum dicendo à creaturis ſe filius Dei ſeparauit; Patrem veſtrum dicendo adoptionis gratiam deſignauit.) Simul dicẽdo *aſcendo* acuit Ambr. ſup.

deſi-

desiderium Apostolorum eum ocyùs conspiciendi. "Quid hîc circumspicis, cùm iste non sit locus tuæ requietionis? In cælestibus debet esse habitatio tua, &c. Th a Kemp. lib. 2. c. 1. n. 4. & l. 3. c 2. n. 3. "Non loquatur mihi Moyses, sed tu Domine Deus meus, &c.

VII.

Apparet Christus Mulieribus. Matth. 28. Marc. 16.

1. MAgdalena præcurrente ad Discipulos; reliquæ *exeuntes fugerunt de monumento, inuaserat enim eas tremor, & pauor, & nemini quidquam dixerunt; timebant enim.* Quàm sæpè fugimus ea quæ amplecti potiùs oporteret? quoties timemus vbi non est timor, & non timemus vbi meritò deberemus? quàm frequenter tacemus non silenda, propalamus quæ occultare expediret? Prou. 22. 13 *Dicit piger, leo est foris, in medio platearum occidendus sum.*

2. *Et ecce* IESVS [1] *occurrit illis dicens,* [2] *Auete; illa autem* [3] *accesserunt, & tenue-*

runt

runt [4] pedes eius, & [5] adorauerunt eum. Chrysolog. "Fideliter currentibus occurrit Christus: occurrit vt Dominus; salutat vt Parens; salutat vt per amorem seruiant, non fugiant per timorem; haberi se voluit, qui passus est se teneri.) Nemo autem agnoscit Christum, nisi cui Christus benignus occurrit, primus salutat: nostrum est per benignitatem hanc atque gratiam accedere, adorare, tenere. Chrysol. ser. 80.

3. *Tunc ait illis* IESVS, *nolite timere: ite nuntiate fratribus meis vt eant in Galilæam, ibi me videbunt.* "Vocat fratres quos corporis sui fecit esse Germanos: vocat fratres quos benignus hæres sibi præstitit cohæredes, vocat fratres, quos Patris sui adoptauit in filios.) Quod autem eos quos direxerat in Galilæã, Hierosolymis inuisit, hoc liberalitatis & humanitatis diuitias ostendit (vt aduertit Nyssenus) nam & in Galilæa visus est, atque vtraque benignè, iuxta ac verè acciderunt. *Galilæa* autem transmigrationem significat; migrandum itaque ab antiquis ad nouos mores intelligè, vt Christi fruaris præsentia, quem tamen Chrysol. ibidem. Nyssenus orat. 2. de Resurrect.

tamen nunc per speciem tantùm & in ænigmate contemplamur, tunc autem facie ad faciem, cùm ex hoc carcere concessum fuerit feliciter transmigrare.

VIII.

Apparet euntibus in Emmaus.

Luc. 24. Pars 1.

1. ET *ecce duo ex illis ibant ipsa*[1] *die in Castellum, &* [2] *loquebantur de omnibus quæ acciderant; dum fabularentur, & secum quærerent,* IESVS [3] *appropinquans ibat cum illis, oculi autem eorum* [4] *tenebantur ne eum agnoscerent.* Fortè illud innuitur: *melius est duos esse simul quàm unum, habent enim emolumentum societatis suæ; bonus,* scilicet, *amici consiliis anima dulcoratur.* IESVS autem diligentiam & industriam nos docet, modò hortulanus, modò peregrinus, omnibus omnia factus; modò Hierosolymis, modò in via; agilitate feruorem spiritus in nobis excitans, & vt dotes & talenta ne in vacuum accipiamus monens. Appropinqua illi quantum potes vt particeps fias colloquiis, &c.

Feria 2. Paschæ.

Eccles. 4. 9.

Prou. 27. 9.

2. Et

2. *Et ait ad illos, qui sunt hi sermones quos confertis ad inuicem, & estis tristes?* Ita sanè est, tristamur sæpè vbi lætandum esset, & è contra; neque quid ipsi meditamur scimus, rationem dat Apostolus; *peregrinamur à Domino. Et respondens vnus dixit ei, tu solus peregrinus es in Ierusalem, & non cognouisti quæ facta sunt in illa hiis diebus? quibus ille dixit, quæ?* O miram Christi charitatem! vt cùm omnia fecerit, tuleritque, quasi nihil reputaret; hanc imitare, & sequere consilium Apostoli: *Quæ retrò sunt obliuiscens ad ea quæ sunt priora extende teipsum*, &c. 2. Cor. 5. 6. Philip. 3. 13.

3. Hos etiam imitare, *qui dixerunt de* IESV *Nazareno, qui fuit* [1] *vir* [2] *Propheta, potens in opere & sermone,* [4] *coram Deo & omni* [5] *populo, & quomodo* [6] *tradiderunt eum*, &c. *nos autem sperabamus quia ipse redempturus esset Israël*, &c. Et tu dic de illo quantum potes per singula, vt virtutes has omnes possis in te exprimere, coram Deo & omnibus hominibus, propterea enim *traditus* &c. vt per hæc nos redimeret, doceretque hanc, non aliam viam aperiendam ad vitam immortalem in qua viuit, &c. *sed & mulieres*

lieres terruerunt nos iis quæ consolationem afferre parerat, &c. Et *abierunt quidam ex Nostris ad monumentum, & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum verò non inuenerunt.* " Quid potest tibi mundus conferre sine IESV? &c.

Thom. à Kemp. l. 2. c. 8. n. 2.

IX.

Apparet euntibus in Emmaus. Pars 2.

Luc. 24.

1. ET *ipse dixit ad eos: O* [1] *stulti & tardi* [2] *corde ad* [3] *credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ.* Deploranda sanè res, sed in hodiernum vsque diem verissima prono intellectu & voluntate ad terrena, tardo ad superna. *Nonne* [4] *hæc* [5] *oportuit pati* [6] *Christum & ita* [7] *intrare in gloriam* [8] *suam?* Aduerte quàm illud *oportuit* habeat vim, ex necessitate, ex vtilitate, ex congruentiis, ex exemplo, ex dignitate, &c. & ausculta diligenter tantum Doctorem, interpretantem Moysen & Prophetas, & omnes scripturas; vel potiùs exhibentem vide: sequitur enim, *Et incipiens à Moyse & omnibus*

bus Prophetis, interpretabatur eis in omnibus scripturis quæ de ipso erant.

2. *Et appropinquauerunt Castello, & ipse* [1] *finxit se longius ire, &* [2] *coëgerunt illum dicentes,* [3] *mane nobiscum Domine quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies: &* [4] *intrauit cum illis.* Illi ignotum, tu notum non inuitabis? *Mane nobiscum Domine*, &c. Heu! quanta in te sunt quæ eum potiùs cogunt ad discessum!

3. *Et factum est dum recumberent, accepit panem & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis, & aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum, & ipse euanuit ex oculis eorum.* Beati quibus vsu frequenti huius panis aperiuntur magis ac magis oculi, vt cognoscant & se & ipsum, & fidei innitantur, non sensui.

4. *Et dixerunt ad inuicem, nonne cor nostrum* [1] *ardens erat in nobis dum* [2] *loqueretur in via, & aperiret* [3] *nobis scripturas, & surgentes, eadem* [4] *horâ regressi sunt in Hierusalem, & narrabant quæ gesta erant.* Hinc disce quomodo accendendi animi auditorum, aperiendo scilicet scripturas, & piorum discursuum captando

occa-

occasiones: & surgens regredere, si deuiasti, & narra quanta fecit Dominus animæ tuæ, &c. Aide desiderio *loquendi cum ipso in via, infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui vsi sunt participes facti sunt amicitiæ Dei.*

Sap. 7. 14.

X.

Apparet Discipulis congregatis.

Io. 20. *Pars* 1.

In octaua Paschæ.

1. *CVm serò esset die illo, vna sabbathorum, & fores essent clausæ, vbi erant Discipuli congregati propter metum Iudæorum, venit* IESVS, *& stetit in medio & dixit eis, pax vobis.* Semper serò est vbi tatdat IESVS sol iustitiæ; neque tamen desperandum; præsertim si sabbatha nostra custodiamus, neque deseramus recollectionem & desideria sancta: *veni* Domine IESV, & noli tardare, &c. *sta* in medio conspicuus; *ostende* faciem tuam Gentibus quæ te non nouerunt; & da pacem, &c. aufer timorem noxium, &c.

2. *Et cùm hoc dixisset ostendit eis ma-*

nus & latus, gauisi sunt ergo Discipuli viso Domino. Et meritò, non solùm quia naturale est gaudere de præsentia Amici tanti, à tantis malis liberati, sed quia inclaruit magis eius Diuinitas, quod surrexit, quod ianuis clausis ingressus, quod pacem possideat & donet. Venerare manus sanctas & latus, & tam læto fruere quamdiu potes spectaculo.

3. *Dixit ergo eis iterum, Pax vobis, sicut [1] misit me Pater & ego mitto vos: hæc cùm dixisset insufflauit, & dixit eis, accipite [2] Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Chrysolog." Quid repetitæ pacis largitas ista manifestat, nisi quia quietem quam sensibus indixerat singulorum; vult inter eos seruari; ne dum vnus se in fide perstitisse iactaret, dubitasse alter mœreret, & hic putaretur inferior, & ille indebitè extolleretur.) Gregor. "Grandis honor, sed graue pondus est istius honoris, vt qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, iudex fiat vitæ alienæ.) Et Chrysol." Misit me Pater, non Dominus, sed Pater, iuxta quod dicit Apostolus, *neque vt do-*

Chrysol. ser. 84.

Gergor. hom. 26.

Chrys. sup.

1. Pet. 5. 3.

minantes in cleris: mitto vos affectu, mitto vos ad tolerantiam famis, ad onera vinculorum, ad squalorem carceris, ad subleuandum cunctis execrabile mortis iugum, quæ omnia charitas humanis mentibus imperat, non potestas.)

XI.

Apparet Discipulis congregatis. Ioan. 20. *Pars* 2.

In festo S. Thomæ Apostoli.

1. THomas autem vnus ex duodecim, *qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit* IESVS, *dixerunt ergo ei alij Discipuli, vidimus Dominum: ille autem dixit eis, nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum, &c. non credam.* Chrysost. " Sicut simpliciter credere facilitatis est, ita præter modum inquirere, crassissimæ mentis est.) Sed " egit hoc (inquit Gregor.) miro modo superna clementia, vt Discipulus dubitans, dum in Magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis)

Chrysost. hom. 86. in Io.

Gregor. hom. 26.

2. *Et post dies octo venit* IESVS, &c. *deinde*

deinde dicit Thomæ, infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Chrysost. "pro vna anima ostendit seipsum vulnera habentem, & accedit vt saluet vnum, neque ab illo rogari expectat.) *Respondit Thomas, Dominus meus & Deus meus.* Ambros. "Dominus quia redemit seruulos suos, Deus qui se ipse suscitauit, quis autem dicit Deum suum, nisi qui ipsi exhibet plenum reuerentiæ, & pietatis affectum: iusto enim dicitur, ego sum Deus tuus.)

Chrys. sup.

Ambros. in ps. 43.

3. *Dixit ei* IESVS, *quia vidisti me Thoma credidisti. Beati qui non viderunt & crediderunt.* Chrysost" Cur ergo quispiam dicit, vellem illis fuisse temporibus, & Christum miracula facientem vidisse?) Gratias age de dono fidei tibi concesso, pluribus negato, ora vt secundùm studium laboresque huius sancti vbique illa propagetur. Accede frequenter, reuerenterque ad vulnera, vt pro te & aliis impetres quæ postulanda sunt.

Chrys. sup.

XII.

De Cauſis cur Chriſtus retinuerit veſtigia vulnerum.

1. AD Teſtimonium Amoris prætériti: vnde illud Bernardi: "Patet arcanum Cordis per foramina corporis; patet magnum illud pietatis ſacramentum; patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri, quibus viſitauit nos oriens ex alto)

Bern. ſ. 61. in Cant.

2. Ad Incitamentum Amoris noſtri in Chriſtū perpetuandi: ſic enim S. Thomas ratiocinatur: "Diſcipulis Dominus oſtendit manus, vt ad pugnandum excitaret; latus, vt prouocaret ad diligendum; pedes, vt ad currendum impelleret; totum corpus, vt ad compatiendum moueret,) "O fons amoris perpetui! quid dicam de te? quomodo potero tui obliuiſci, qui mei dignatus es recordari?) Th. à Kemp. l. 3. c. 10. n. 2.

S. Th. 3. p. q. 54.

3. Ad fiduciam ſperandæ pietatis. "Non ſolùm enim (inquit Ambroſius) fidem firmat, ſed deuotionem acuit, quod vulnera ſuſcepta pro nobis cælo inferre

Ambroſ. Luc. 24.

inferre maluit, abolere noluit; vt Deo Patri nostræ pretia redemptionis ostenderet.) Et Bernard. "In his passer inuenit sibi domum, & turtur nidum: In his se columba tutatur, & circumuolitantem intrepida contuetur accipitrem.) Bern. sup.

Dic igitur cum Augustino: "Vulnera manuum tuarum precor vt aspicias: Ecce in manibus tuis, Domine Deus, descripsisti me, lege ipsam scripturam & salua me.) Aug. soli. c. 2.

4. Ad patiendi studium confirmandum. "Inde enim (inquit Bernardus) Martyrij tolerantia; inde magna fiducia apud Deum Altissimum, &c. Enimuerò non sentiet sua, dum illius vulnera intrabit, &c.) Bern. sup.

5. Ad Consolationem Piorum, Confusionem verò improborum in die iudicij: quando *videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.*" Prima namque erit in reos intoleranda sententia Reuerendarum præsentia Cicatricum; quando dicet Dominus, Vide manus meas, &c. & agnosce quæ pro te impio pietas diuina perpessa est, &c.) vel cum Augustino: Vide hominem quem Crucifixisti; Apoc. 1. 7. Cæsar. Arelat. ho. 27. Aug. l. 2. de Symb. c. 8.

fixisti; vide vulnera quæ inflixisti; vide latus quod transfixisti; per te, & propter te apertum est, & tamen intrare noluisti, &c.) " O bona foramina quæ fidem astruunt Resurrectionis, & Christi diuinitatis, &c.) Date veniam vt ego vos nunc reuerenter intuear, amanter deosculer, humiliter subeam, perseueranter amplectar, vt me à Te, mi IESV, nec vita, nec mors, nec vlla fortunæ sors separet, sed maneat morte fortior amor noster nunc & in æuum. Amen.

Bern. sup.

XIII.

Apparet Discipulis congregatis.
LUC. 24.

Feria tertia post Paschæ.

1. *DVm hæc loquuntur, stetit* IESVS *in* [1] *medio eorum, & dicit eis, Pax* [2] *vobis, Ego* [3] *sum, nolite timere; conturbati verò & conterriti existimabant se* [4] *spiritum videre: & dixit eis, quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? videte* [5] *manus meas & pedes, quia ego ipse sum, palpate & videte quia spiritus carnem & ossa non habet sicut me videtis habere.*

bere. Nihil occultum Christo est, nihil clausum esse debet: quod autem stetit in medio, exhibitio est eius quod olim dixit, *Ego autem in medio vestrûm sum sicut qui ministrat, neque iam glorioſus piſcatorum reſpuit conſortium.* Ex nobis verò omnis turbatio, omne malum; hinc enim aduentante Christo, vt obseruat Beda " cogitationes istæ non desuper descendunt, sed de imo in cor sicut herba mala ascenderunt.)

Luc.22.27.

Beda c.97. in Lucam.

2. [1] *Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit,* [2] *habetis hîc aliquid quod manducetur? at illi obtulerunt illi* [3] *partem piſcis aſſi, &* [4] *fauum mellis, & cùm manducaſſet coram illis, ſumens reliquias dedit eis.* Parca mensa, sed condita mysterio quo nullum gratius. " Manducauit potestate, non necessitate: quid autem signare credimus piscem assum nisi ipsum Mediatorẽ Dei & hominum, hominẽ passum, ipse enim latere dignatus est in aquis generis humani; capi voluit laqueo mortis nostræ, & quasi assatus est tempore passionis suæ, sed qui piscis assus in Passione, fauus mellis nobis extitit in Resurrectione:

Beda ibid.

Eadem habet Greg. hom. 24.

fauus, mel in cera, Diuinitas in humanitate: in cibo verò suo pisci asso iungere fauum voluit, quia illos in suo corpore ad æternam requiem suscipit, qui cùm hîc tribulationes pro Deo sentiunt, ab amore internæ dulcedinis non recedunt.)

3. *Tunc*[1] *aperuit illis sensum vt intelligerent scripturas, quoniam*[2] *sic oportebat Christum pati, & resurgere, &*[4] *prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in*[5] *omnes gentes.* "O clauis Dauid, & sceptrum domus Israël, qui aperis & nemo claudit, & claudis & nemo aperit, veni & educ vinctum de domo carceris, sedentem in tenebris & vmbra mortis.) Aperi sensus nostros vt illud *oportuit* & illud *sic* intelligentes, pati non refugiamus, & remissionem peccatorũ consequamur. Amen.

XIV.

Apparet Discipulis piscantibus. Pars 1.

Io. 21.

Feria 4. post 1. Paschæ.

ERant simul Simon Petrus & Thomas, & Nathanael, & filij Zebedæi, &

& alij duo." Colligati enim charitate fraternitatis vadunt simul.) *Dicit eis Simon Petrus, vado piscari, dicunt ei, venimus & nos tecum.* Recollectioni miscentes honestum opus; *& exierunt*, quod magna ex parte eos deposuisse iam metum ostendebat: *& ascenderunt nauim; & illa nocte nihil prendiderunt.*" Facta est enim piscationis magna difficultas vt Magistro veniente fieret admirationis magna sublimitas.) At quàm incerti interim nostrorum conatuum, auxiliique humani euentus Imus docturi, scripturi, &c. sed nisi adsit IESVS, quid spei? Chrysol. Gregor. hom 24. in Euang.

2 *Mane autem facto stetit* IESVS *in littore*: Illi in mari, hic in littore; illi noctium habent vicissitudines, hic diem perpetuam." Transacta nocte passionis stetit, vt firmaret dubia, iactata compesceret, vt Ecclesiam in qua Discipuli maris fluctibus iactabantur, ad fidam reduceret stationem.) *Non tamen cognouerunt quia* IESVS *est.* O bone IESV! nouerim me, nouerim te, nec aliquid cupiam nisi te. *Dicit eis* IESVS, *Pueri numquid pulmentarium habetis?*" Meritò in fide Paruulos, pueros vocat.) *Respondent* Chrysol. ser. 78. Idem ser. 76.

runt ei, non. Quid enim nocte & sine IESV haberi potest? *dicit eis, mittite in dextram nauigij & inuenietis.*" Reuocat ad dextram quos turbo Passionis redegerat ad sinistram.) "' magna autem vtilitas est hominis (ait Prosper) iubenti Deo, etiam incognita ratione iussionis, seruire; iubendo enim Deus vtile facit, quidquid iubere voluerit.) Sic enim sequitur, *Miserunt, & iam non valebant illud trahere pra multitudine.*

Idem s. 76. & Prosper sent. 286.

3. *Dixit ergo discipulus ille quem diligebat* IESVS *Petro, Dominus est,*" semper enim amoris oculus acutius videt,)" & prior Virginitas virginale corpus agnoscit.) *Petrus cùm audisset quia Dominus est, misit se in mare, alij nauigio venerunt, trahentes rete.* "' Vt esset primus in reditu, qui acceperat in Ordine Principatum; & "' signum præberet quod sæculum susceperit gubernandum, mare enim sæculum, naues Ecclesiæ.) Alij verò trahunt rete. " Neque enim ad cœlestem lucem ipsi electi sine difficultate eleuantur de profundo.) Trahe me Domine post te, trahe ad te, &c.

Chrys. sup. Hieron. ep. ad Pāmach.

Chrysol. ser. 78.

Bernard.

XV.

XV.

Apparet Discipulis piscantibus.
Pars 2. Io. 21

1. VT *ergo descenderunt in terram viderunt* [1] *prunas positas, &* [2] *piscem superpositum, &* [3] *panem, dicit eis* IESVS, [4] *afferte de piscibus quos prendidistis nunc.* 1. ostendit se non ex necessitate petijsse cibum, sed ex dispensatione; 2. in pisce super prunas iterum docet recolendam semper Passionem, & 3. in feruore spiritus cœlesti pane vescendum; iubet denique afferri de piscibus, vt miraculum miraculo comprobetur, neque occultetur Dei tam magnum beneficium, quantum est in captura signarum: Multiplicatio, scilicet fidelium; humilitatis doctrina; & auxilij diuini ad conatus nostros promouendos promptitudo.

2. *Ascendit Simon* [1] *Petrus, & traxit* [2] *rete in terram,* [3] *plenum* [4] *magnis piscibus centum* [5] *quinquaginta tribus, & cùm tanti* [6] *essent non est scissum rete.* Gregor. [3] Quoties à terrenarum rerum tumultibus separamur, quid aliud quàm missi

Greg. hom. 24. in Euāg.

intra rete fidei vt pisces ad littus trahimur: in ista verò piscatione & multi pisces, & magni capiuntur, & rete non rumpitur, quia sancta Electorum Ecclesia, ad dextram in Resurrectione locata, in continua Auctoris sui pace conquiescens nullis dissensionibus laniatur:) & Augustᵗ. "Modo (in hac vita) quanti super numerum accedunt ad fidem, & in libro vitæ non scribuntur: ibi (in altera vita) certus est numerus, nemo super numerum: dicit enim centum quinquaginta tribus.

Aug. s. 148. de Temp.

3. *Dixit eis* IESVS, [1]*venite*, [2]*prandete*, *& nemo* [3]*audebat discumbentium interrogare eum, Tu quis es? scientes* [4]*quia Dominus est, & venit* IESVS *&* [5]*accepit panem, & dat eis, & piscem similiter*. Gregor" Cur cum septem discipulis conuiuium celebrat, nisi quod eos tantummodo qui septiformi gratia Spiritus sancti pleni sunt futuros secum in æternâ refectione denunciat.) *nemo autem audebat*, &c. frustra enim est interrogatio cùm res aperta est; toti in Diuino eius vultu & modo agendi absorpti stupent, & præ reuerentia silent: Ipse verò con-

Greg. sup.

consuetæ suæ humilitatis more ministrat, neque panem consolationis & fortitudinis à pisce separat Passionis, centuplum retribuens pro parte piscis assi, quem priùs dederant ipsi degustandum. " Domine Deus meus ego sum pauperrimus seruulus tuus, &c. Thom. à Kemp. l. 3. c. 3. n. 6.

XVI.

De trinâ interrogatione Petri.

Io. 21. 15.

1. *CVm ergo prandérent, dicit Simoni Petro* IESVS, *Simon Ioannis* [1] *diligis me plus* [2] *his? dicit ei, etiam Domine* [3] *tu scis quia amo te, dicit ei,* [4] *pasce agnos meos.* Chrysost. " Quod maximè Diuinum nobis amorem conciliat, est proximi dilectio, quam à Petro exigit; neque negationis meminit, neque exprobrat, tantum dicit, si amas me, fratrum curam suscipe, & animam quam pro me positurum dixisti, hanc pro ouibus meis trade.

In vigilia SS. Apostol. Petri & Pauli Chrysost. hom 87. *Vide* Bern. s. 2 de Resurr. & ep. 201.

2. *Dicit ei* [1] *iterum, Simon Ioannis diligis me? ait illi etiam, Domine tu scis quia amo*

amo te. Dicit ei, pasce agnos meos. Dicit ei [2] *tertiò, Simon Ioannis amas me?* [3] *contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò, amas me? & dixi ei, Domine tu* [4] *omnia nosti, tu scis quia amo te; dicit ei, pasce* [5] *oues meas.*

Chryſ. ſup. Chryſoſt.'' Perturbatus eſt Petrus, veritus ſuperiora; nam cùm forti animo eſſet, reprehenſus eſt tamen; ter autem interrogat & ſemper idem præcipit, vt demonſtretur quanti ouium ſuarum curam faciat.) & Ambroſ.'' & iam non agnos ſed oues paſcere iubetur, perfectiores vt perfectior gubernaret.)

Ambroſ. l. 10. in Luc.

3. *Amen dico tibi, cùm* [1] *eſſes Iunior cingebas te, & ambulabas quò* [2] *volebas: cùm autem* [3] *ſenueris extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò* [4] *non vis.* Tria inſinuantur. 1. eum cui aliorum cura mandatur, non ſui iuris eſſe, ſed ſeruire debere aliorum vtilitatibus. 2. multa debere ferre & pati. 3. dignitates non eſſe perpetuo duraturas, ſed morte ſaltem finiendas: ſimul animat ad mortem pro Domino oppetendam, virtutem tamen ad hanc perferendam, non à ſe, ſed aliũdè, à Deo ſcilicet proficiſci. °Meritò igitur non ſolùm ab incipientibus, ſed à

Proſp. l. 2. de vocat. Gent. c. 50.

pro

prouectis sanctis vniformiter Domino supplicatur, ne nos inducas in tentationem, &c. inquit S. Prosper l. 2. de vocat. Gen. c. 28. seriò etiam cogitandum quò tendimus, cum voluntate propria imus, quò cùm ducimur alienâ.

XVII.

Petri solicitudo de Ioanne. Io. 21.

1. *ET cùm hoc dixisset ait Petro, sequere me:* fortè discessurus ab Apostolis, cum Petro familiarius conferre volebat solus, tanquam cum Principe futuro Apostolorum, & Ecclesiæ capite, idque aduerti ab omnibus cupiebat. 2. ei qui aliorum curam gerere debebat, non solùm amorem aliis ampliorem, sed sequelam, hoc est imitationem præscribit diligentiorem, magisque constantem. 3. Considerandum quanta dignitas sit sequi Christum, maior sanè omnibus promotionibus. *In festo S. Ioan. Euangelistæ.*

2. *Conuersus Petrus, vidit illum Discipulum quem diligebat* IESVS *sequentem, qui & recubuerat in cœna super pectus eius, & dixit, Domine quis est qui tradet te? hunc*

cùm

cùm vidisset dixit IESV, *Domine hic autem quid?* Præter encomia Ioannis, ostendit quantam Petrus, postquam resipuit à negatione adeptus est fiduciam. 2. Individuam horum charitatem; neque invidet Ioanni aut ægrè fert sequentem, licèt soli Petro dictum sit *sequere.*

3. *Dicit ei* IESVS, *sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere.* quasi dicat, quod tuum est age, de reliquis mihi relinque dispositionem; cùm opportunum fuerit voluntatem meam revelabo; simul disce æquo animo ferre reprehensionẽ, admonitionémve, cùm vel innocens, vel plenus videris tibi esse charitate: roga vt *manere* tibi detur in Christo, & apud Christum, donec veniat ille, cætera nihil pensi ducas, O si *sic*! hoc est, vt dilectus, vt dignus qui recumbat in pectore! Quanta patientia? quanto amore manet Christus apud nos? *si* maneamus & nos. Quàm sunt omnia futura incerta!'' Fili sine me tecum agere quod volo, ego scio quid expedit tibi, &c. Thom. à Kemp. l. 3. c. 17.

XVIII.

XVIII.

Apparet Christus Discipulis in Galilæa. Matth. 28.

1. *VNdecim autem Discipuli* [1] *abierunt in Galilæam, in* [2] *montem vbi* [3] *constituerat illis* IESVS, *& videntes eum* [4] *adorauerunt, quidam autem* [5] *dubitauerunt.* Hæc celebrior fuit apparitio cæteris, ad quam respexit prima denunciatio facta mulieribus; cùm vndecim verò & alij multi, ex quibus quidam dubitauerunt, ita res fidei non omnibus patent. Tu cum Fidelibus adora Christum quanta potes reuerentia, Dei Filium Deum & hominem, exaltatum in dignitatem plusquam regiam; *accedens* enim *dicit,* *Feria 6. Paschatis, & In festo SS. Trinitatis.*

2. *Data est* [1] *mihi* [2] *omnis potestas in* [3] *Cœlo & in* [4] *terra.* Quò se porrigit potestas omnis humana, non collecta in vnum, sed diuisa, sed diminuta? At huius in Cœlum & in terram omnem se extendit, non in exteriora solùm, sed in intima; vt meritò ipse dixerit aliquando, *Hunc timete*: data autem ei est, etiam Luc. 12. 5.

Io. 5. 22. vt homini, potestas sicut apud Ioannem antea dixerat, *omne Iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*, sed hîc de misericordia agitur, sequitur enim,

3. *Euntes* [1] *ergo docete* [2] *omnes Gentes baptizantes* [3] *eos in nomine Patris*, &c. [4] *docentes eos seruare* [5] *omnia quæcumq; mandaui vobis.*" Magnum illud & summum dicit *docere gentes*, transferre gentes à malitia ad veritatem, à sectis ad vnitatem, baptizare eos in Dominicam nominationem, sanctum & regium sigillum.) Euntes ergo docete, fidem scilicet & opera; *omnes*, vel vt alibi, *euntes in mundum vniuersum prædicate*, &c.

Epiphan. hær. 10.

Matth. vlt.

4. *Et ecce* [1] *ego vobiscum sum* [2] *omnibus diebus vsque ad* [3] *consummationem sæculi*; nam *sine me nihil potestis facere; vobiscum sum*, vt vos instruam, *& suggeram vobis omnia*, vt confirmem, vt iuuem: "nolite ergo (inquit Prosper) de vestra infirmitate trepidare, sed de mea potestate confidite, &c.) & Fulgentius: "immensitatem suæ Diuinitatis ostendens dicit, *Ecce ego vobiscum sum*, &c.

Prosper 2. de vocat. Gent. c. 2. Fulgent. l. 2. ad Tras. c. 17.

XIX.

XIX.

Apparet recumbentibus. Marc. 16. 14.

1. [1]*NOuissimè autem recumbentibus illis vndecim, apparuit &* [2]*exprobrauit* [3]*incredulitatem eorum, &* [3] *duritiem cordis, quia his qui* [4] *viderant eum resurrexisse non crediderunt.* Tu hæc tibi dicta existima, & præbe amanter exprobranti humiles aures, vt iudicantem demum leuius audias: roga vt adiuuet incredulitatem tuam, emolliat duritiem. *In Ascensione Domini.*

2. *Et dixit eis, euntes in* [1] *mundum vniuersum prædicate* [2] *Euangelium* [3] *omni creaturæ, qui crediderit, &* [4] *baptizatus fuerit saluus erit, qui verò* [5] *non crediderit condemnabitur.* Considera omnẽ Christi Domini œconomiam, non eo pertinere, vt huius mundi oblectamentis fruamur, sed vt credamus, & salui in æternum simus à malis animæ, hoc est à peccatis, & pœnis peccato debitis: hoc nobisipsis, hoc aliis persuadendum, & si possibile esset mundo vniuerso inculcandum. Vnde Chrysol. "quos exemerat mundo, remittit in mundum Passionis & Resurrectionis testes, &c. Chrysol. ser. 83.

3. [1] *Si-*

1, [1] *Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur, in* [2] *nomine meo* [3] *dæmonia ejicient,* [4] *linguis loquentur nouis,* [5] *serpentes tollent, & si* [6] *mortiferum quid biberint non eis nocebit, super* [7] *ægros manus imponent & bene habebunt.* His ornatur, his confirmatur in hanc vsque diem Ecclesia Christi: sed mysticè. Bernard. "Cordis compunctione eijciuntur (inquit) dæmones, dum peccata eradicantur; *linguis loquuntur nouis*, à quibus verba malitiæ recesserunt ad excusandas excusationes in peccatis; confessi autem & contriti *serpentes tollant* necesse est, hoc est, venenatas suggestiones extinguant ne residuum patiantur; si fortè verò radix pullulat, si stimulat animum concupiscentia, hoc est, *si mortiferum quid biberint, non eis nocebit*, quoniam iuxta Saluatoris exemplum, *cùm gustauerint nolent bibere*, cùm senserint nolent consentire: molesta certè res & periculosa sic infirmæ affectionis lucta, sed qui crediderint, *super ægros manus imponent*, ægras affectiones bonis operibus operient, & hoc remedio curabuntur.) Tu Domine super ægram animam meam manum sanctam

Bern. ser. 7. in Ascens.

ctam impone, tolle serpentes inclinationes malas, eijce procul dęmonia, &c.

XX.

Christi Ascensio. Act. I. *Pars* I.

1. [1]*PRæbuit seipsum viuum post Passionem suam in* [2]*multis argumentis, per dies quadraginta* [3]*apparens eis, &* [4]*loquens de Regno Dei.* Recole omnem Christi Domini antecedentem conuersationem, quàm amica, quàm familiaris, quàm humilis, &c fuerit, quamque vtilis, vt scias quid sit eius carere præsentiâ, eamque desiderare.

2. *Et conuescens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed* [2]*expectarent promissionem Patris, quam audistis inquit, per* [3]*os meum, quia Ioannes quidem* [4]*baptizauit aquâ, vos autem* [5]*baptizabimini Spiritu sancto non post* [6]*multos hos dies.* Lauda quod parem sibi missurus sit inuisibiliter, neque tamen ipse inuisibiliter deerit. Expecta promissionem si seruas iussionem: ne discedas ab Hierosolymis, hoc est, à quiete & pace contemplationis, expectationisque donec ipse præ-

præceperit, sed expecta, & reexpecta; dignum enim est tantum Baptisma, tantula expectatione.

3. *Igitur qui conuenerant interrogabant eum dicentes,* [1] *Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël? Dixit autem eis,* [2] *non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ* [3] *Pater posuit in* [4] *sua potestate.* Iterum ad Regnum Christi terrenum cogitandum delapsi Apostoli monentur officij, & exemplo Christi docentur futura, ad Patris æterni prouidentiam remittere, non inquirere curiosius.

4. *Et cùm hæc dixisset,* [1] *videntibus illis* [2] *eleuatus est, &* [3] *nubes suscepit eum ab* [4] *oculis eorum,* " Ne rursus ipsum interrogarent, protinus assumptus est,) inquit Chrysost. Lucas autem in Euangelio habet, quòd [5] *eleuatus manibus suis benedixit eis, & dum* [6] *benediceret recessit ab eis, & ferebatur in Cœlum*, propria scilicet virtute, nubes verò obsecutæ sunt imperanti cùm voluit; neque defuere Angeli qui eum honoris causa comitarentur ac stiparent vsque ad dextram Patris: " nec mirum si vnius sedis offertur filio consessus à Patre qui

Chrysost. hom. 2. in Acta.

Luc. 24. 50.

Ambros. ser. 60.

vnius

vnius est substantiæ & naturæ cum Patre: & partem ouium dextram primus agnus obtineat, vt secuturo immaculato gregi locum dux immaculatus anticipet.) Ambros.

XXI.

Christi Ascensio. Act. 1. Pars 2.

1. *CVmq; intuerentur in Cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt, viri Galilæi, [3] quid statis aspicientes in cœlum?* Attoniti, suspensi, expectantes, an fortè iterum propediem esset descensurus! *Hic* IESVS *qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Quasi dicant, nolite semper esse increduli, facite quod præcepit *Hic*, quem & in vita miranda patrantem vidistis, & nunc mirabiliter eleuatum; *veniet* sed non modò.

2. *Tunc [1] reuersi sunt Hierosolymam, à monte qui dicitur Oliueti, qui est iuxta Hierusalem sabbathi habens iter.* vel vt est in Euangelio, *& ipsi [2] adorantes regressi sunt in Hierusalem cum [3] gaudio magno.* Luc. 24. 52.

gno. Adorarunt Deum & Christũ assumptum, fortè & vestigia exosculantes, quæ dicuntur huc vsque manere. Tu illum adora in spiritu, & iunge gaudia, de exaltatione Christi gloriosâ, de tuâ sorte beata, qui tantum Magistrum sortitus es, de spe futurorum tanto miraculo confirmata.

3. *Et cùm introissent* [1] *in Cœnaculum*, vbi facta fuerat vltima cœna, institutio Venerabilis Sacramenti, & primæ illæ apparitiones, &c. [2] *ascenderunt vbi manebat* [3] *Petrus, Ioannes, Iacobus*, &c. *hi omnes erant* [4] *perseuerantes* [5] *vnanimiter in* [6] *oratione cum mulieribus* (sequacibus Christi) *&* MARIA *Matre* IESV, *& fratribus eius*. Vbi timeri potuisset maior ab inuicem distractio Pastore sublato, perseuerant magis vniti, in oratione fruentes illo qui ab oculis corporeis sublatus amorem illis Dei & Proximi cœlitus impertiebatur.'' Meritò autem MARIA est denique super omnes Angelos exaltata, quæ & infra viduas & pœnitentes ineffabili se mansuetudine inclinabat. Bernardus. Aduerte etiam illis orationem factam esse familiarem,

Bernar. ser. signum magnit.

&

& sapidam, quibus olim retia, & telonium erant in delitiis.

XXII.

Triumphus Christi Ascendentis in Cœlum. Ephes. 4. 8. Esa. 63. 1.

1. *Ascendens in altum* [1] *captiuam duxit captiuitatẽ,* [2] *dedit dona hominibus. Quod autem ascendit,* [3] *quid est nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ; qui descendit,* [4] *ipse est & qui ascendit super omnes Cœlos, vt adimpleret omnia.* Scilicet quæ de eo scripta sunt; vt omnis generis auxilia & gratias nobis donaret; omnia mundi regna sua fide & cultu impleret, vt ostenderet humilitate omnia nobis etiam adimplenda, & quò profundius descendimus, eò altius cum eo exaltandos. *Currus enim eius decẽ millibus multiplex* (vt omnes euehat) *millia lætantium,* & dicẽtium cum Esaia Ps. 67. 18.

2. *Quis est* [1] *iste qui venit de Edom tinctis* (sanguine humanitatis) *vestibus,* seruatisque vulneribus. *Iste* [2] *formosus* (tamen) *in stola sua* (immortalitatis) [3] *gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Ego* [4] *qui loquor iustitiam, &* [5] *propugna-*

tor sum ad saluandum. Erudit enim homines ad iustitiam, & iustitiam exercet in inimicos hominum ad hominum salutem.

3. *Quare ergo est rubrum indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcaui solus;* solus sustinui pondus peccatorum; solus victoriam hanc cruentam mihi peperi; vnde meritò mihi Cœlum aperitur, meritò dexteram Patris obtineo, meritò vos Angelici spiritus mihi ceditis, & prosternimini; prosternere & tu, & agnosce Dominatorem terræ, Regem Cœli, & sequere cum Propheta, *Miserationum Domini recordator*, quas tanto mihi sanguine peperit, *laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis.* bona pro malis, &c. vnde & captiuum me ipsi sponte tradam, vt me ducat quò ascendit, & donet iis quæ ipsi traduntur possidenda.

XXIII.

Electio Matthiæ. Act. 1. 15.

1. IN *diebus illis* [1]*exurgens Petrus in* [2]*medio fratrum dixit (erat autem turba hominum simul ferè centum viginti)*

ti)viri [3] *fratres, oportet* [4] *impleri scripturam quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid de Iuda qui fuit dux eorum qui comprehenderunt* IESVM. Chrysost. " quàm est feruidus ! quàm agnoscit sibi creditum à Christo gregem!) Simul Petri subitam confidentiam, scientiamque scripturarum, & Iudæ casum miserandum considera, ac diuersa Dei iudicia, [5] *qui connumeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerij huius; & hic possedit agrum*, &c. Infelix acquisitio! Chrysost. hom. 3.

2. *Oportet ergo ex ijs viris qui nobiscũ sunt congregati in omni tempore quo intrauit & exiuit inter nos Dominus* IESVS, [2] *testem Resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis.* Et hoc haud dubiè inspiratione Diuina, atque speciali assistentia nouerat Petrus; deinde vide, munus Apostolorum, *Testes sunt Resurrectionis*, nam quòd mortuus sit Christus, cùm fuerit homo, facilè creditur, resurrexisse autem difficulter: difficillimè autem eius vitam viam esse ad resurrectionem beatam, nec aliam dari.

3. *Et statuerunt* [1] *duos, Ioseph qui* [2] *cognominatur Iustus, & Matthiam: &* [3] *orantes*

dixerunt, Tu Domine qui [4] *corda nosti omnium ostende*, &c. Hic solemnis piorum omnium vsus, ad Deum in omnibus per preces recurrere; ille solus moderatur omnia, & dirigit euentus quò humana cogitatio non pertingit; nouit enim corda omnium, & reliquas circumstantias.

4. *Et cecidit* [1] *sors super Matthiam, &* [2] *annumeratus est cum vndecim. Gratias age Deo Patri qui* Coloss. 1. 12 *dignum te fecit in partem sortis sanctorum, in lumine, qui eripuit te de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem, & remissionem peccatorum.* In iis quæ sorte videntur euenire, adora Dei consilium & prouidentiam.

XXIV.

De Attributis Spiritus sancti. Io. 14. 16.

In vigilia Pentecostes.

1. EGo [1] *rogabo Patrem & alium* [3] *Paracletum dabit* [3] *vobis, vt* [4] *maneat vobiscum in æternum, spiritum* [5] *veritatis, quem* [6] *mundus non potest accipere, quia non* [7] *videt eum, nec* [8] *scit eum.* Igitur est Paracletus, hoc est consolator, & Aduocatus:

catus: & quam consolationem poterant expectare Apostoli à Christo, hanc a Spiritu S. non vtique inferiore, expectare docetur, opera & oratione Christi.

2. Est nobiscum mansurus in æternum, Assistendo, immanendo, sanctificando, roborando, & quia est

3. *Spiritus veritatis*, docendo, non friuola, non inania, sed *omnem veritatem*, fallacias mundi, dæmonis, & carnis detegendo, & dando spiritum, vt veritati potiùs quàm mẽdacio adhęreamus.

4. Infelix mundi conditio, quod eum *non potest accipere*; sed mundi culpa, quia plenus est mundus sordibus, oppletus curis & desideriis terrenis: hæc causa est cur *non videt eum, neque scit eum*: captus scilicet oculis splendore, vel offuscatione potiùs rerum terrenarum. Ille enim cælestis est spiritus & incontaminatus.

5. *Non loquetur à semetipso, sed quæcumq; audiet loquetur*: scilicet non est inuentor nouitatum, sectator curiositatum, *sed quæ ventura sunt annuntiabit vobis*; quæ sanè non mediocris momenti sunt præ præsentibus. Io. 16. 13.

6. Denique non inferioris est beneficij quod sequitur, *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annutiabit vobis.* Quid enim amplius desiderare possumus, quàm vt Christi Domini dignitatem, meritum, gloriam agnoscamus, & diligamus, quę vnica est via ad nostrum meritum & gloriam. Veni sancte Spiritus & emitte Cœlitus, &c.

XXV.

Aduentus Spiritus S. in linguis igneis. Act. 2. *Pars* 1.

1. *DVm complerentur dies Pentecostes, erant* [1] *omnes pariter in eodẽ loco,* iuxta præceptum scilicet Domini expectantes promissum spiritum, atque interim perseuerantes in oratione: *& factus est* [2] *repentè de Cœlo sonus tanquam aduenientis spiritus* [3] *vehementis.* hoc ipsum quod *repentè*, indicat perseuerãtia quàm fuerit necessaria, & sic omnibus, & in omnibus, nescimus enim qua hora Dominus venturus sit, in oratione, aut lectione, aut actione, &c. *Et repleuit* [4] *totam domum vbi erant* [5] *sedentes.* Vt figura responderet veritati; domum verò intel-

intelligeCatholicam vbique Ecclesiam.

2. *Et apparuerunt illis dispertitæ* [1] *linguæ tanquã* [2] *ignis, seditq; supra* [3] *singulos eorũ.* Repentinus aduentus, & vehemens, & figura ignis, & de Cœlo sonus, indicant quàm acre bellum mundo denuntietur per prædicationẽ Apostolorũ, quamque necessarium sit ignem intus ardentem conseruare, quo linguæ ardeant, duplici charitate, Dei scilicet & proximi, accensæ, hancq; singulorũ debere esse curam.

3. *Et* [1] *repleti sunt omnes* [2] *Spiritu sancto,* [3] *& cœperunt* [4] *loqui variis linguis prout* [5] *Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Omnes sed nõ æqualiter, *diuisiones enim gratiarum sunt*, prout scilicet Spiritus dabat, qui in omnibus laudandus sine inuidia, &c. multum tamen frequenter pendet à dispositione : cœperant autem loqui magnalia Dei, sicut infra dicitur, ex *abundantia enim cordis os loquitur.* Vide vt quo feruore cœperis, pergas, & tãtum donum ne negligas, *nec Spiritum S. Dei contristes in quo signati estis in die Redemptionis.* & sigillo gratiæ obsignati in hũc finem, vt in die Resurrectionis ad Redemptionem, plenamq; liberationem à

1. Cor. 12.

Luc. 6. 45.

Ep. 4. 30.

peccato, morte, omniq: malo ad Cœlestem immortalitatẽ adsciscamur, vtpote scripti in libro vitæ, Ciues Sanctorum, & Domestici Dei. vide Cornel. hic.

XXVI.

Aduentus Spiritus sancti. Act. 2. *Pars* 2.

1. FACTA autẽ hac voce[1] conuenit multitudo, &[2] mente confusa est, quoniam audiebat vnusquisq; lingua sua illos loquẽtes[3] stupebant autẽ omnes, & mirabantur dicentes: nónne ecce omnes isti. Nimirum classicum insonuerat Deus; aliter tamen & aliter rem interpretabantur, quidam enim *irridentes dicebant quia musto pleni sunt illi* Ita optima quæque inuertit malitia, vt quisq; sibi à spiritu nequã caueat; veneretur, nõ temere iudicet quæ ignorat, aut quæ minus genio suo apta sunt.

2. *Stans autẽ*[1] *Petrus ait, hoc vobis notũ sit, nõ sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt, cùm sit hora diei tertia,*[3] *sed hoc est quod dictum est per Prophetam Ioël,* &c. vbi Chrysost. " nõ dixit sicut vos subsannatis, &c. Magis illos ignorantiæ velamento honestans, quàm malitiæ nomine notans.)

Chrysost. hom. 5.

Simul

Simul gratias age Deo quòd te in nouissimos hos dies reseruarit, quando tam copiosè *effudit de spiritu suo super omnem carnem*, & quando *omnis quicumque inuocauerit nomen Domini saluus erit.*

3. *His autẽ auditis* [1] *compuncti sunt corde, & dixerũt, quid* [2] *faciemus viri fratres. Petrus autẽ ad illos,* [3] *pœnitentiam agite, &* [4] *baptizetur vnusquisque in nomine* IESV *Christi,* &c. *Vobis* [5] *enim est repromissio,* &c. *Et* [6] *baptizati sunt circiter ad tria millia.* Tu de tanta messe gratulare Christo & Spiritui eius, & Apostolis. Compungere corde de anteactâ vitâ, & quotidie inquire quo modo progrediaris: vtere diligenter Sacramentis, & de repromissionibus ne dubita.

XXVII.

Fructus Spiritus in vita Primorum Christianorum elucentes.

Act. 2. 42. & 4. 32.

1. PRimò, *Erant perseuerãtes in doctrina Apostolorum:* quo includitur reuerentia, & obedientia erga Doctores suos, captiuatio etiam intellectus in obsequium fidei, atque in eadẽ constantia

& quies animi; in quibus iuuabantur
v.43. *prodigiis multis, & signis quæ fiebant per Apostolos:* & hæc meritò nos hucusque confirmant.

v.42. 2. Deinde, *erant perseuerantes in communicatione fractionis panis, & orationibus* distributis in varias diei horas, & fortasse noctis; innuitq; tanquã primarium fructũ spiritus, non mediocrẽ erga orationẽ & vsum Sacramentorũ affectum, magnamq; vtriusque existimationẽ; ac præterea quàm necessaria oratio, seu meditatio sit ad dignè cõmunicandum.

v.44. 3. *Omnes qui credebant habebãt omnia communia, possessiones, & substantias vendebant, & diuidebant illa omnibus prout cuique opus erat.* Ad tantum rerum terrenarum contemptum eos Spiritus promouerat, fiduciamque in Deo; omnem de se solicitudinem abijcientes.

4. Ex quo cõsecutus est mutuus amor, & fraterna charitas, erãt enim sine que-
v.46. relis aut dissensione, *perdurantes vnanimiter in Tẽplo, & frangẽtes per domos panẽ.*

5. Hinc etiam nata est exultatio & simplicitas cordis, quâ collaudabant
Act.5. Deum in omnibus. Vbi lapsus Ananiæ

venit

venit considerandus, tum ex affectu ad terrena, tum ex defectu simplicitatis.

6. Ex his omnibus denique ortum est v. 47.
vt *haberēt gratiam ad omnem plebem*, tam miro virtutum exemplo stupefactam, & *augerentur ij qui salui fierent; Pietas enim* 1. Tim. 4. 8.
ad omnia vtilis est.'' Veni sancte Spiritus reple tuorum corda fidelium, &c.

XXVIII.

Fructus Spiritus in Apostolis & Apostolicis viris. Act. 3. 4. 5. 6. 7. 9.

1. COnsidera Petri constantiam, cùm post sanatum claudum, *positus in custodiam, in crastinum*, deinde coram Sacerdotibus palàm professus est Christum, neque cessit minis; sed post secundos carceres ab angelo animatus, sustinuit verba, *ibatq; gaudens à conspectu* Act. 5. 18.
Concilij, quoniam dignus habitus est pro nomine IESV *contumeliam pati.*

3. Aspice Stephanum post prolixam & feruidam orationem coram Iudęis in Synagoga, *plenum Spiritu sancto intendentem in Cœlum, & videntē gloriam Dei.* Act. 6. 7.
Perfidos etiam Iudæos exclamantes, & continētes aures suas, & eijcientes eum

extra

extra synagogam, & ciuitatem: ille autem gaudens suscipiebat lapides, orans, *Domine* IESV *suscipe spiritum meum: Domine ne statuas illis hoc peccatum.*

3. Vide Saulum spirantem minas, prostratum voce de Cœlo, abiectum in genua, orantem, duplici luce donatum, loquentem cum fiducia de nomine IESV, cùm verò quæreretur ad necẽ, demissus est in sporta, & venit in Hierusalem, *vas factus Electionis vt portaret nomen Domini, corã gentibus & regibus & filiis Israël.*

Act. 9.

4. Denique perpende illam Petri orationem, occasione Cornelij Centurionis pronuntiatam. *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum & operatur iustitiam, acceptus est illi. Adhuc enim eo loquente cecidit Spiritus sanctus super eos qui audiebant verbum, & obstupuerunt ex circumcisione fideles; audiebant enim illos loquentes linguis*, &c. Sic enim nos si seriò animum adijcimus erimus etiam accepti, &c.

Act. 10. 34.

DISTRI-

DISTRIBVTIO

Mysteriorum Capitis quarti de Doctrinâ & Miraculis Christi Domini,

A Dominica SS. Trinitatis vsque ad Aduentum Considerandorum.

Dominica SS. Trinitatis & feria 2. 1. Myst.
1. De SS. Trinitate.

Feria 3. & 4. 2. Mysterium.
2. De Præparatione ad SS. Euch.

5. & 6. 3. Mysterium.
3. De Veritate Corporis Christi.

Sabbatho. 4. Mysterium.
4. De difficultatibus circa SS. Euchar. Sacram.

Dom. infra octauam, & feria 2. 5. Myst.
5. Cœna magna. *Pars* 1.

3. & 4. 6. Mysterium.
6. Cœna magna. *Pars* 2.

Feria 5. Repetitio vel Hymnus, *Pange lingua glorioſi*, &c.

Feria 6. 7. Mysterium.	7. Vita & prædicatio Ioannis Baptistæ. *Pars* 1.
Sabbath. 8. Mysterium.	8. De eodē *Pars* 2.
Dom. 3. post Pentecost. 9 Myst. & feria 2.	9. IESVS baptizatur.
Feria 3. 10. Mysterium.	10. Christi ieiuniū, Tētatio, & victoria. *Pars* 1.
4. 11. Mysterium.	11. De eodē. *Pars* 2.
5. Repetitio.	
6. 12. Mysterium.	12. Testimonium Ioan. de Christo.

Sabbatho recoletur fructus.

Dom. 4. 13. Mysterium.	13. Testim. aliud Ioan. de Christo.
Feria 2. 14. Mysterium.	14, Discipuli quidam accedūt ad Christū. *Pars* 1.
Feria 3. 15. Mysterium.	15. De eodē. *Pars* 2.
Feria 4. Repetitio.	
Feria 5. & 6. 16. Mysterium.	16. Nuptiæ in Galilæa.

Sab-

Sabbatho recoletur fructus.

Dom. 5. post Pentecost. 17. Myst.
Feria 2. 18 Mysterium.
3. 19 Mysterium,

Feria 4. Repetitio.

5. & 6. 20. Mysterium.

17. Ejcit è Templo negotiantes.
18. Erudit Nicodemum *Pars* 1.
19. Erudit Nicodemum. *Pars* 2.
20. Ioannis testimoniũ de Christo & humilitas.

Sabbatho recoletur fructus.

* Sequentibus hebdomadibus vsque ad Aduentum assignanda erunt Tria singulis mysteria, quæ vnusquisque pro deuotione sua partiri poterit in dies sibi magis opportunos, intermixtis Repetitionibus & cõsideratione fructus, prout cuique videbitur. Itaque Dominica 6. post Pentecosten assignanda veniunt tria sequentia,

Dom. 6. 21. Myst. Colloquium Christi cum Samaritana. *Pars* 1.
22. Colloquij Christi *Pars* 2.
23. Samaritanorum Cõuersio.
Dom. 7. 24. Sanatur filius Reguli.

 25. De

25. De naui Simonis docet populum, &c.
26. Liberat obsessum in synagoga.
Dom. 8. 27. Socrus Simonis curatur.
28. Tres reprehenduntur.
29. Tempestatem sedat.
Dom. 9. 30. Legio expellitur.
31. Paralyticus sanatur.
32. Matthæi vocatio.
Dom. 10. 33. Iaïri filia. *Pars* 1.
34. Iaïri filia. *Pars* 2.
35. Cæcis duobus redditur visus, &c.
Dom. 11. 36. Sanatur languidus ad Piscinam.
37. Christus se defendit à calumniis. *Pars* 1.
38. Christus se defẽdit. *Pars* 2.
Dom. 12. 39. Christus Discipulos vellentes spicas excusat.
40 Restituitur manus arida.
41. Electio Apostolorum.
Dom. 13. 42. De sermone Christi in monte. *Pars* 1.
43. Sermonis. *Pars* 2.
44. Sermonis. *Pars* 3.

Dom.

Dom.14. 45. Apostoli sol & lux.
46. Abundantia iustitiæ.
47. Præcepta de Eleëmosyna, Oratione, &c.
Dom.15. 48. Nimia solicitudo prohibetur.
49. Varia documenta.
50. Cauendi falsi doctores.
Dom.16. 51. Leprosus curatur & Centurionis puer.
52. Filius viduæ suscitatur.
53. Ioānis ad Christū legatio.
Dom.17. 54. Peccatricis in domo Pharisæi Conuersio.
55. Dæmonium cæcum & mutum eijcitur.
56. Promittitur signum Ionæ Prophetæ.
Dom.18. 57. Mater & fratres.
58. Parabola seminantis
59. Parabola zizaniorum.
Dom.19. 60. Parabola sinapis & fermenti.
61. Parabola Thesauri, Margaritæ, &c.
62. Docens in Patria malè accipitur.

Dom.20. 63. Iesvs circuit prædicans.
64. Præcepta data Apostolis. *Pars* 1.
65. Præcepta, &c. *Pars* 2.
Dom.21. 66. Nihil opertum.
67. Crux tollenda.
68. Iugum Christi suaue.
Dom.22. 69. Mors Ioannis Baptistæ.
70 Miracula quinque Panũ.
71. Iesus super mare cũ Petro.
Dom.23. 72 Filia Cananææ liberatur.
73 Surdus & mutus curatur.
74. Septem panes.
Dom.24. 75. Cauendum fermentum Pharisæorum.
76. Claues traduntur Petro.
77. Christus mortem suam prædicit.
Dom.25. 78. Domini Transfiguratio.
79. Eijcit dæmonium quod non poterant discipuli.
80. Didrachma soluitur.
Dom.26. 81. Parabola Regis ponentis rationem, &c.
82. Hierosolymam clam ascendit.
83. Decem leprosi.

Dom. 27. 84. Iesus in Templo in scœnopegia.

85. Missi ad comprehendendum IESVM, eum laudant.

86. Mulier in adulterio deprehensa.

Si superstit adhuc Dominica 28. aliunde suppleri poterit vt antea notatum est.

CAPVT QVARTVM.

Complectens Doctrinam & Miracula Christi Domini,

A

Dominica SS. Trinitatis vsque ad Aduentum Domini percurrenda;

Præmissis paucis circa Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum Notationibus propter Octauam eius festi tunc occurrentem; quæ suo loco alioqui collocandæ fuissent.

SYNOPSIS.

Sequentium Quarti Capitis Notationum.

Ioël 2. 23. *Filiæ Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem iustitiæ; & descendere faciet Dominus ad vos imbrem matutinum & serotinum sicut in principio,* abundantiam videlicet Gratiarum opportunarum præuenientium, & consequentium; *& implebun-*

plebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino & oleo. Ecclesiæ quippe particulares, & animæ singulæ ad hæc attendentes, copia replebuntur virtutum & charismatum Cœlestium, & *per patientiam & consolationem scripturarum spem habentibus* in mediis persecutionibus, atque in arctioribus omnibus viuendi generibus, vinum non deerit & oleum Diuinarum voluptatum, iuxta illud Apostoli: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostrâ.* Rom. 15. 4. 2. Cor. 7. 4.

Omnes igitur sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, venite emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac, audite audientes, & comedite bonum & delectabitur in crassitudine anima vestra, &c. Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus, &. Esaiæ 55.

I.

DE SS. TRINITATE

Tres sunt qui testimonium dant in Cælo: Pater Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt. 1. Io. 5. 7.

1. SAnctissimæ, Augustissimæq; Trinitati debetur fides, reuerẽtia, obsequium, recognitio Attributorum Deo essentialium, vt scientiæ, bonitatisque infinitæ; vt Omnipotentiæ, æternitatis, immensitatis, atque immutabilitatis; vt Pulchritudinis, sanctitatis, perfectionisque in omni genere absolutissimæ, cum agnitione distantiæ infinitæ, inter meipsum, atque adeò inter omne quod est aut esse potest, &c.

2. Adoranda venit Persona Patris, tanquam fons Diuinitatis, rerumque omnium quæ per Creationem ipsi attributam proueniunt; simul gratiæ agendæ pro infinitis propemodum hoc in genere beneficiis mihi totique mundo largitis.

3. Gratiæ agendæ Verbo Patris æterno,

no, quòd *cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus esse se æqualem Deo, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem.* Philip. 2. 6.

4. Spiritus sanctus summa cum humilitate, & amore salutandus, Spiritus veritatis, Amoris vinculum æternum, Patris & Filij, simul nostri nexus amoris in tempore, Adoptionis causa per gratiam, & per seipsum inhabitantem animæ, ornantē donis, & roborantem.

5. Tres simul & vnus adorandus, vnus naturâ, vnus consensu, vnus operatione; & orandus, vt & in nobis sit vna fides, vna confessio, vna pietas, vnus Amor, vt testimonium dantes in terra de spiritu, aqua, & sanguine non in vanum receptis, Pater nos in Cœlo agnoscat filios, Filius fratres & Cohæredes: Spiritus sanctus tanquam adhærentes Deo, faciat vnum cum ipso Spiritu. *Paschæ.* Amen.

Vide Bern. ser. 1. in 8.

II.

De Præparatione ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ritè suscipiendum. Ioan.6.27.

1. *OPeramini, non cibum qui [1]perit, sed qui permanet [2]in vitam æternam, [3]quam Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater [4]signauit Deus.* Quasi dicat, Transferte cogitationes vestras à terrenis ad cęlestia: panem hordeaceum per me multiplicatum iterum desideratis, desiderate præstantiorem, quem per me potestis accipere, & in me: nam in Humanitate, quam videtis, impressit Deus Pater imaginem suam, vniendo Verbi diuinitatem, eamdemque per miracula, quæ facio manifestatam, & quasi sigillo suo signatam tradit. ''O quàm magnum anima suscipit Dominum! quàm dilectum inducit hospitem! quàm iucundum recipit socium, &c.

Thom.à Kemp.l.4. c.3.n.4.

2. *Non Moyses dedit vobis panem de Cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de Cœlo verum.* Ille corpus nutriebat, hic animam; ille de cœlo quidem, hoc est, de aëre,

aëre, descendit, iste de summo Cœlo, de sinu Patris: Ille ros erat exiguus, corruptioni obnoxius; Iste *supersubstantialis*, omnes substantias, & vniuersas superans creaturas: vnde sequitur, *Ego sum panis* [1] *vitæ, qui venit ad me* [2] *non esuriet, & qui credit* [3] *in me non sitiet* [4] *vnquam.* Hæc igitur prima dispositio, digna huius panis cœlestis ac diuini æstimatio.

3. Altera sequitur, quam hic sermo Christi ingessit audientibus, solicitudo amorosi de vita ita ordinanda vt dignè tantum hospitem suscipiamus. *Dixerunt ergo ad eum, quid faciemus vt operemur opera Dei?*'' Ingemisce igitur quod adhuc ita carnalis sis, & mundanus, tam immortificatus à passionibus, tam plenus concupiscentiarum motibus, tam incustoditus in sensibus exterioribus, &c.) Nam "quo non oportet esse puriorem tali fruentem sacrificio, &c.) Os quod igni spiritali repletur? linguã quæ tremendo nimis sanguine rubescit?) vnde & Ambrosius, "Qui vult Christum tangere, sua membra mortificet; & resurrecturo similis, induat viscera misericordiæ, nõ ambigat renuntiare terrenis. v. 28. Thom. à Kemp. l. 4. c. 7. n. 2. Chrysost. hom. 60. ad pop. Ambr. 10. in Luc. 24.

4. Adde & tertiam: Ardens scilicet desiderium hospitem hunc, fidelem amicum, nobilem sponsum suscipiendi complectendique. Sic enim iterum dicunt Christo, *Domine, semper da nobis panem hunc.* "Nónne videtis, inquit Chrysostomus, quanta promptitudine paruuli papillas capiunt? & quanto impetu labia vberibus infigunt? Accedamus cùm tanta nos quoque ad hanc mensam, &c. imò cùm lõgè maiori, &c. & vnus sit nobis dolor hac escâ priuari) Et sanè cùm Christus Dominus verbo atque ipso opere tam ingens ostenderit desiderium manendi nobiscum, par est consimili desiderio nos excitare ad condignam eius susceptionem. *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna quæ est in Bethlehem iuxta portam,* dicebat olim Dauid cùm sitiret; At hîc non aqua de cisterna, sed de fonte purissimo *vinum* datur, *germinans* seu cantare faciens, *virgines*; & *Deus* ipse *germinans iustitiam*; perrumpe igitur cuneos omnes aduersariorum, accurre ad portam Bethleem, Virginem Matrem, & quo ipsa flagrabat desiderio complectendi infantem

verſ. 34. Chryſ. ſup.

2 Reg. 23. 15.

Zach 9.17. *ita quidam ex Hebræo.*

Esaiæ 61.11.

fantem suum dulcissimum, hoc tu susci-pe se offerentem vlnis tuis, ingerentem pectori, &c.

III.

De veritate Corporis Christi. Ioan. 6. 41.

1. MVrmurabant *ergo Iudæi de illo, quia dixisset, Ego sum panis viuus, qui de Cœlo descendi.* De duobus murmurabant; quòd diceret se de Cœlo descendere, & quòd esset panis viuus. Ita terrena sapientes, cùm sublimiora, etiam petentibus, suggeruntur, reluctamur. Ille tamen neutrum negando, vtrumque confirmat. Tu caue ne cogitationibus tuis irrepat illud, *Quomodo hic dicit, quia de cœlo descendi?* & *Nonne hic est filius Ioseph, cuius nos nouimus Patrem & Matrem?* Nonne hic est panis communis, cuius gustamus saporem? &c. sed præbete *docibilem Deo.* Ex eo enim quòd Deus esset, quantumuis non videretur esse, patet quòd & panis esse posset, seu sub speciebus panis, quantumuis nobis. vers. 43.

nobis videretur esse non posse. *Non quia Patrem* (eius) *vidit quisquam, nisi is qui est à Deo.*" Patri Consubstantialis; eiusdem naturæ, substantiæ, scientiæ) & potentiæ, &c. quasi dicat, cùm ego talis sim, quamuis exteriùs nõ videar talis, ita &c.

Cyrillus ac Euthym.

vers. 51. 2. *Ego sum panis* [1] *viuus qui de cœlo descendi; si quis manducauerit ex hoc pane* [2] *viuet in æternum: & panis quem* [3] *ego dabo, caro* [4] *mea est* (quam ego dabo) *pro* [6] *mundi vita.* Neque propter nouam Iudæorum super ea re litigationem, dicentium, *Quomodo potest hic carnem suam dare ad manducandum?* discedit à proposito: sed comminatione, & promissione, & noua asseueratione confirmat. *Nisi* [1] *manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis; qui manducat, &c. habet* [2] *vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die: Caro enim mea* [3] *verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, &c. "Vt habeat (qui manducat) interim secundùm spiritum vitam æternam, in requie quæ sanctorum spiritus suscipit; quod autem ad corpus attinet, nec caro eius vita æterna fraudetur, sed

Ita græcè.

Aug. hic.

in

in resurrectione in nouissimo die.) Adijciamus igitur animum vt credentes promissionibus eius fruamur, effugiamus comminationem.

3. *Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt*; visibilia, scilicet, tantùm attendentes, terrenis inhiantes, beneficia ipsa fastidientes; sed *qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Si videlicet quod sumit ore, examinat mente, digerat cogitatione, complectatur voluntate, accipiat corde puro, tractet vt hunc Panem decet: si fide adoret, spe apprehendat, Charitate sibi intimè vniat, vnitum perseueranter retineat: de huiusmodi enim dicitur: *Angelorum escâ nutriuisti populum tuum, & paratum panem de Cœlo præstitisti sine labore: omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem.* Sap. 16. 20. vers. 57.

IV.

De difficultatibus circa sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum.

1. *MVlti audientes ex Discipulis, dixerunt, durus est hic sermo, & quis potest*

poteſt eum audire? Durus, hoc eſt difficilis intellectu: cùm primùm enim pronuntiata ſunt verba, diuiditur ſubſtantia panis à ſpeciebus, ponitur Corpus Chriſti, integrum, viuum, indiuiſum, glorioſum, per veram tranſubſtantiationẽ, totum etiam in toto pane, totum ſub qualibet parte ſpecierum; manent effectus panis, non manet verus panis,
Rom.1.16. &c. *Virtus autem Dei eſt in ſalutem credenti*, hinc enim agnoſcimus Dei potentiam, ſapientiamque, & quidem ſi in veteri manna (de quo Sapiens) *nix & glacies*, (his enim ſiue pruinæ ſimile erat
Sap.16.22. Manna) *ſuſtinebant vim ignis & non tabeſcebant, creaturâ Factori deſeruiente.* Tu, cur intellectum, ſenſuſq; tuos etiam non præbeas obſequentes? dic cum S. Thoma, *Dominus meus & Deus meus:* Dominus, cui ſeruiunt & obediunt omnia; Deus, qui omnia potes.

2. Et conſidera 2. niſi Chriſti bonitas eſſet infinita, quàm durus meritò hic ſermo illi videri poſſet, qui toties & in tot locis, ſe indignæ tractationi exponit, vſque ad conſummationem ſæculi; ſiue habitationem eius in pleriſque

locis

locis spectes, siue accedentes irreuerenter, siue communicantes sacrilegè, siue impiè tractantes, siue præsentiæ eius tam benignæ prorsus oblitos, vt non minora pati iam, quàm olim passus videatur, & vide vtrùm quandoque tibi dicere non possit, *Numquid & vos vultis abire?*

3. Et responde cum Petro, [1] *Domine ad quem ibimus? verba* [2] *vitæ æternæ habes, &* [3] *nos credimus &* [4] *cognouimus, quia tu es* [5] *Christus filius Dei.* Considera etiam eum *ascendisse vbi erat priùs, spiritum esse qui viuificat* (hoc est intellectum spiritualem, *caro autem*, hoc est, carnaliter intellecta res) *non prodest quidquam*, & sicut caro '' sola non per seipsam mundat (vt loquitur Augustin.) sed per Verbum à quo suscepta est) ita hæc ipsa Caro vnita Verbo nisi fide viuâ debitaque præparatione sumatur, heu! quàm parum desiderio Christi satisfiet, meritoque! '' Multa bona largiris in Sacramento dilectis tuis deuotè communicantibus, &c. Th. à Kemp. lib. 4. c. 4. n. 3.

Augustin. 10. de Ciuit. c. 24.

V.

V.

Cœna magna. Pars I. Luc. 14. Matth. 22.

Domin. 2. post Pentec.

1. [1]HOmo quidam *fecit cœnam* [2] *magnam, &* [3] *vocauit* [4] *multos*. Cœna magna est [1] mensa Sacramentorum, Eucharistiæ præsertim; & [2] mensa Euangelicæ doctrinæ, & vitæ; ad quam conseruandam hoc præcipuè Sacramentum confert; est [3] mensa Cœlestis beatitudinis, cuius SS. Eucharistia est pignus: hanc homo ille Deus vltro instruxit & vocauit multos, primùm Iudæos, deinde Gentes, alios subinde, & alios. Cœna verò magna, seu nuptiale conuiuium, in quo parata sunt omnia.

2. *Et* [1] *cœperunt simul* [2] *omnes excusare*: vnus propter villam; alter propter iuga boum; alter quia duxit vxorem, vnde Gregorius, "Quid per villam nisi terrena substantia? quid per iuga boum quinque, nisi quinque corporis sensus; quid per vxorem nisi voluptas carnis designatur.) Vide ne excusationes huiusmodi in te *incipiant*, ne te capiant; ne te impe-

Greg. hom. 36. in Euãg.

impediat extollentia superbiæ, esto humilis; ne te distrahat curiositas, sensuum auiditatem reprime; ne te inquinet voluptas carnis, cordis voluptatem in hoc statue, & cœnam magnam noli parui æstimare.

3. *Et* [1] *iratus* [2] *Paterfamilias dixit seruo suo,* [3] *exi* [4] *citò*, &c. Verè *Pater*, qui irascitur & adhuc amat, adhuc præstolatur, adhuc vocat. Citò occurre; tu præsertim qui de familia, qui de seruis, qui de filiis, ecce ille tuus totus esse vult quantus est, magnus, immensus, infinitus: Tu non sis eius? tantillus seruulus? accurre ad Patrem, ne Dominum se præstet. *O Domine ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ.*

VI.

Cœna magna. Pars 2.

1. EXi [1] *citò in* [2] *plateas, & vicos ciuitatis, &* [3] *pauperes, &* [4] *debiles, &* [5] *cæcos, &* [6] *claudos* [7] *introduc huc.* Quàm ille ardet! quàm nos tardi! quàm ille diligenter & vbique, & vndecunque quæsiuit! neque auersatur eos qui se fatentur

tur pauperes, & veras diuitias expetunt, qui se debiles, cæcos, claudos, & vim, lumen, auxilium Cœleste exquirunt, pannosi sint, & detriti : *Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia.* 1. Cor. 1. 27. Et quia refert seruus quòd *adhuc locus esset.*

2. *Exi, inquit in* [1] *vias, &* [2] *sepes, &* [3] *compelle intrare, vt* [4] *impleatur domus mea.* Hæc si ad Iudæos refers, à quibus aspernantibus itum est ad gentes, etiam barbaras, quàm tremendũ negligentiæ omnis est exemplum! si ad misericordem Deum adhuc & adhuc expectantem donec impleatur domus, quanta misericordia! si ad illud Pauli: Ideo *inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi,* quàm amica compulsio! si modò ex te, aut ex aliis discas obtemperare, antequam illud extremum insonet.

1. Cor. 11. 30.

3. *Dico autem vobis, quod* [1] *nemo virorum illorum, qui vocati sunt* [2] *gustabit cœnam meam.* Itaque ne tandem excludaris, hîc expurga gustum tuum, excita appetitum, acue desiderium. Eadem enim est & hic & ibi Cœna Christus

IESVS;

IESVS; si hic non sapiat, qua fronte ibi expetetur? Euoca potentias animæ, compelle sensus corporis, inuoca supernas potestates, exi à terrenis citò in plateas, & vicos Cœlestis ciuitatis, & eos qui olim pauperes, & debiles fuere, & cæci, & claudi, inspice, venerare, ora vt huc te introducant: quò? nisi in Christum IESVM, qui hîc adstat, vt te in se assumat.

VII.

Vita & prædicatio Ioannis Baptistæ in deserto. Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3.

1. ANno quinto decimo Tiberij, &c. *factum est* [1] *verbum Domini super* [2] *Ioannem Zachariæ filium in* [3] *deserto, sicut scriptum est*, &c. *Ecce* [4] *ego mitto* [5] *Angelum meum ante faciem tuam, qui* "*præparabit viam tuam ante te.*" Vt Ecclesia non ab homine cœperit, sed à Verbo (inquit Ambrosius) ipsa enim est desertum, quia plures filij desertæ magis quàm eius quæ habet virum.) Deinde considera prædicatores, seu Præcurso-

Domin. 4. Aduentus, & Sabb. 4. Temp. eiusd.

Ambr. hîc.

res

res Christi & Angelos esse officio, & esse debere puritate, velocitate, indifferentia, sedulitate, missione; voces etiam non alterius quàm *Verbi*, à quo mittuntur, sic enim sequitur

2. *Vox* [1] *clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius; omnis* [2] *vallis implebitur, omnis* [3] *mons & collis humiliabitur, erunt* [4] *praua in directa, &* [5] *aspera in vias planas.*'' Vt superueniens Dominus nil asperum moribus, crudelitate durum, conuersatione pollutum, sed viam reperiat castitate puram, procliuem fide, eleëmosynis eminentem, omnes enim has virtutes Euangelista describens ait.

Ambros. ser. 65.

3. *Ipse autem Ioannes erat* [1] *vestitus pilis cameli, &* [2] *zona pellicea circa lumbos, &* [3] *locustas, & mel syluestre edebat.* '' Fuit itaque ieiunus, parcus, & virgo.) & August. '' Pœnitentiam prædicaturus rigorem ieiunij factis magis debuit ostendere quàm voce.) Et vlterius Isidorus, ad numeros omnes religiosæ vitæ absoluendos Ioannis cibus & potus, & cubile minimè sufficit; eius quoque animus requiritur, si ergo victus tenuitatem

Ambr. sup. Aug. tr. 65. de temp. Isidor. l. 1. ep. 162.

tatem laudas, lenitatem consequi stude, &c.) Nullus extet mons superbiæ, vallis nulla sit pusillanimitatis; nihil prauum in Intentione, in Conuersatione nil asperum.

VIII.

Vita & prædicatio Ioannis in deserto.

Pars 2.

1. VIdens autem [1] *multos Phariſæorum & Sadducæorum venientes, dixit eis,* [2] *Progenies viperarum, quis* [3] *ostendit vobis fugere à* [4] *venturâ irâ, facite ergo* [5] *fructus dignos pœnitentiæ.*" Meritò viperis eos confert, qui per ingratitudinem accepta beneficia obliterant, ne dicam corrodunt. Deinde "malis ostendit quid in hoc sæculo facerent, quid etiam in futuro iudicio formidarent.) Et duplici argumento ad fructus dignos prouocat, & irâ monstratâ quæ ventura est, & commemoratione beneficij, quòd monstrata sit antequam veniat. *Dedisti metuentibus te significationem vt fugiant à facie arcus.* Et Gregor. de diguis fructibus: "Tria veraciter pœni-

Isidorus ep. 105.

Fulgent. l. 2. de remiss. pecc. c. 9.

Ps. 59. 4.

Greg. l. 6. in 1. reg. c. 2.

tente considerandа sunt, conuersio mentis, confessio oris, vindicta peccati.

2. *Et ne cœperitis dicere,* [1] *Patrem habemus Abraham, dico enim vobis quia* [2] *potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Ingens beneficium; cùm lapides essemus duri, & ad spiritualia insensibiles, immobiles, graues, in filios nos formauit; cauendum tamen, ne existimantes nos aliquid esse cùm nihil simus ipsi nos seducamus. [1] *Securis enim ad radicem arborum posita est, &* [2] *omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in* [3] *ignem mittetur.*

Gal. 6. 3.

3. Vnde Ioannes, vt exemplo præeat, fundamentum tenet humilitatis. *Existimante enim populo, & cogitantibus* [1] *omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne fortè esset Christus.* Ego, inquit, *baptizo in* [2] *aqua, qui autem post me venturus est,* [3] *fortior me est, cuius non sum dignus* [4] *soluere corrigiam aut calceamenta portare; ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni: cuius* [6] *ventilabrum in manu sua* (vt scilicet cùm volet possit) *& purgabit aream, & congregabit triticũ in* [7] *horreum suum,* [8] *paleas autẽ comburet igni inextinguibili.*

I X.

IX.

IESVS *à Ioanne baptizatur.*
Matth.3. Marc.1. Luc.3. Ioan.1.

1. [1]*TVnc venit* [2] IESVS *à Galilæa in* [3] *Iordanem ad* [4] *Ioannem vt* [5] *baptizaretur ab eo: Ioannes autem* [6] *prohibebat eum, dicens,* [7] *ego à te baptizari debeo & tu venis ad me?* Opportunè venit cùm Ioannes Christum prædicaret, sibique præferret; venit tamen humilis aspectu, habitu, incessu, non priuatim, sed publicè in Iordanem ad Ioannem, vt eius baptismum præsentia sua honestaret; vt cùm nostra peccata suscepisset expianda, se quasi reum sisteret cum aliis; vt nos doceret vitam perfectam inchoandam à pœnitentia, humilitate, lachrymis, & affectuum puritate. Agnoscet tuam ipse necessitatem, cùm Ioannes agnoscat suam. *Ego debeo*, hoc est, opus habeo. *In octaua Epiphaniæ.* *Sic enim Græco.*

2. *Respondens autem* IESVS, *dixit,* [1] *sine modò, sic enim decet* [2] *nos implere* [3] *omnem iustitiam.* Sic quotquot aliorum volunt esse Magistri, decet implere omnia; si

non possunt vincere obedientiâ, vincant humilitate, vincant mansuetudine, vincant patientia. Sine modò me agere, sic enim decet; decet & Doctorem exemplo præire, & ad summam iustitiam conari.

3. *Baptizatus autem* IESVS *confestim ascendit de aquâ, & ecce aperti sunt ei Cœli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se.* Confestim vt ascendit de aquâ aperti sunt propter eum Cœli, & vidit, non solus, sed & Ioannes, & qui aderant, quasi columbam venientem super ipsum.

Bern. ser. 1. de Epiph. "Quòd autem agnus in animalibus, hoc columba in auibus, summa vtriusque innocentia, summa mansuetudo.) &

Gregor. hom. 30. Gregorius, "Non veniebat vt peccata iam per zelum percuteret, sed adhuc per mansuetudinem toleraret.

4. *Et ecce* [1] *vox de Cœlo dicens,* [2] *hic est* [3] *filius meus* [4] *dilectus in quo mihi* [5] *complacui.* Vide vt in hoc solo tu etiam tibi complaceas per omnia: simul adora, & glorifica SS. Trinitatem, & pro Christo dilecto tibi tradito gratias age.

X.

X.

Christi ieiunium, tentatio, victoria.
Matth. 4. Mar. 1. Luc. 4. *Pars* 1.

1. TVNC IESVS *ductus est in* [1] *desertum à* [2] *spiritu, vt* [3] *tentaretur à Diabolo, & cùm ieiunasset* [4] *quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit.* Gregor. "Signum nobis futuræ conuersionis innuitur; quòd si membra eius postquã ad Deum proficerent, tunc acriores tentationum insidias tolerarent.) Hac autem in re "quasi pædagogum habuit caro Spiritum sanctum à quo ducta est in desertum.)" nos igitur procul à deliciis, in aridо vitæ istius, ac ieiuno solo, fugitantem deliciarum Christum sequamur.)

Domin. 1. Quadrag.

Gerg. 24. mor. c. 12.

Chrysost. hom. 28. de Spir. S.

Ambr. l. 3. de Virg.

2. *Et* [1] *accedens tentator dixit ei, si filius Dei* [2] *es, dic vt* [3] *lapides isti panes fiant. Verbo enim Domini Cœli firmati sunt;* multò igitur magis hoc facere potest. "Cuius verò ille hostis nequissimus non audeat impugnare propositum?) ille Tentator præcipuus, sed non solus; qui obseruat opportuna tempora accedendi,

Ps. 32. 6.

Leo ser. 4. de quadrages. c. 3.

dendi, siue temporalia esuriamus, siue spiritualia, & sperat se hominibus infirma carne circumdatis facilè persuasurum, vt austera deserentes, mitiora sectentur.

3. *Sed Christus respondens dixit, non in solo* [1] *pane viuit homo, sed in* [2] *omni verbo quod procedit de ore Dei.* "Nam sicut aliter per animam, aliter per corpus viuimus, ita necesse est vt alimentis diuersis singula nutriantur.) Imò secundùm Isidorum, "Hebræi cùm 40. annorum spatio manna alerentur, non tam alimonia, quàm diuinum decretum animas & corpora conseruabat.)" Non fecit autem de lapidibus panes, cùm vtique facere potuisset, vt voluntatem contemneret Tentatoris; aliter enim Tentator non vincitur nisi contemnatur.)

Gregor. in 1. Reg. l. 1. c. 4.

Isidor. l. 3. ep. 341.

Aug. ser. 41. de verbis Dom.

XI.

Christi tentatio & victoria. Pars 2.

1. TVnc [1] *assumpsit eum Diabolus in sanctam Ciuitatem, & statuit eum super* [2] *pinnaculum Templi, & dixit ei, si filius*

filius Dei es, [3] *mitte te deorsum, scriptum est enim,* [4] *quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus* [5] *tollent te,* &c. *Ait illi* IESVS, *rursum scriptum est,* [6] *non tentabis Dominum Deum tuum.* Gregor. Ecce aduersitatem Diaboli Dominus perfert, & nihil ei nisi mansuetudinis verba respondet. Gregor. hom. 16.

Quod autem vna tentatione superata immittitur altera, vel à diabolo, vel à membris eius, Dei est bonitas, ob varias tentationum vtilitates; quæ diaboli malitiam, nos semper etiam quando videtur assumere propellentis deorsum, vertit in bonum nostrum; cauendum tamen ne temerè nos ingeramus occasionibus.

2. *Iterum* [1] *assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, &* [2] *ostendit ei omnia regna mundi,* [3] *& gloriam eorum, & dixit ei, hæc* [4] *omnia tibi dabo si cadens* [5] *adoraueris me.* Quò superbia nos prouehit, si sequamur! Quot deinde in tota hac propositione mendacia? quibus addit & Lucas dixisse, *hæc omnia mihi tradita sunt, & cui volo do illa. Vade Satana,* rerum omnium subuersor & omni bono Contrarie, *scriptum est,* in-

delebili charactere, & omnimodè definitum, [1] *Dominum* [2] *Deum* [3] *tuum* [4] *adorabus, & illi* [5] *soli* [6] *seruies.*

3. *Tunc reliquit eum diabolus, & ecce Angeli accesserunt & ministrabãt ei. Consummata omni tentatione,* inquit Lucas, *diabolus recessit ab illo vsque ad tempus.* Vt quem neque gulæ intemperantia, nec vanitatis aura, nec mundi inanis splendor aut imperium de gradu dimouerant, calumniis aggrederetur & tormentis." Hoc nos volens esse præmonitos neminem super terram absque tentatione victurum.) Sed qui de se non præsumit, Angelos habebit coadiutores & administros. Adora Dominum inter Angelos considentem, contemplare parcam mensam; tales ieiunium & oratio, non gula, & vanitas socios conciliat.

Bern. ser. 5. qui habitat.

XII.

Testimonium Ioannis de Christo. Ioan. 1. 19.

Domin. 3. Aduentus.

1. HOc est [1] *testimoniũ Ioannis, quando miserunt Iudæi ab Hierosolymis sacer-*

sacerdotes, & Leuitas ad eum, vt interrogarent eum, Tu [2] quis es? & [3] confessus est quia non sum ego Christus." A te tua consideratio inchoet, ne frustra extendaris in alia te neglecta.) "Hoc enim fidelis serui officium est, non solùm Domini sui gloriam non aucupari, sed & à multitudine tributum propulsare.)" Et solidè subsistere in se, non humana opinione rapi inaniter super se.) Bern. 2. de Consider. Chrys. & Greg. apud Cornel.

2. *Et interrogauerunt eum, quid ergo? Elias es tu? & dixit, non sum: Propheta es tu? & Respondit, non.* "Respondit quod non erat, vt maneret quod erat. Inde quippe Adam lapsus perdidit quod erat, quia quod non erat vsurpauit.) *Dixerunt ergo ei, quis es? vt responsum demus his qui miserunt nos, quid dicis de teipso?* Difficilis per affirmatiua responsio; nisi vno verbo dicas, *nihil*, sic Ioannes paucis, *Ego vox clamantis.*" Vox sonus est, index cogitationis, vehiculum verbi.) *Vox clamantis,*" vt vox aures penetret, clamor corda concutiat; vox regnum prædicet, clamor iudicium comminetur.) Ambr. Aug. ser. 23. de Sanctis. Aug. s. 20. Ambr. s. 64.

3. *Quid ergo baptizas si tu non es Christus, &c. Respondit, Ego baptizo [1] in aqua:*

medius [2] *autem vestrum stetit, quem vos* [3] *nescitis, ipse est qui post* [4] *me venturus est, qui ante me* [5] *factus est, cuius non* [6] *sum dignus vt soluam eius corrigiam calceamenti*, scilicet, quando nos cum mundo isto transiuerimus, Christus stat & manet in æternum: infelices, qui hunc prætereuntes, duces esse volunt, & non sectatores Christi: lex enim est firma & constans, qui pòst veniunt, fient antè; & qui se humiliat exaltabitur, & è contra. Quid verò te ingeris, si tui officij rationem non potes reddere? si talis non sis vitâ Christianâ, qualem Christus requirit, quid baptizas? quid Euangelizas, &c.

XIII.

Testimonium aliud Ioannis de Christo. Ioan. 1. 29.

In octaua Epiphaniæ.

Thom. à Kemp. l. 2. c. 8.

1. *Alterâ die* [1] *vidit Ioannes* [2] IESVM [3] *venientem ad* [4] *se, & ait, Ecce* [5] *Agnus Dei, ecce qui tollit* [6] *peccata mundi.*" Quando IESVS adest, totum bonum est, nec quidquam difficile videtur, quando verò IESVS non adest, totum durum

durum est, &c.) Veni Domine IESV, veni qui tollis peccata, & quotidie tollis, & multiplicata tollis, Agnus innocens, mansuetus, patiens, obediens, silens, verè *Agnus Dei*, quia à Deo hæ virtutes omnes descendunt, & ad Deum ducunt, vidit hæc omnia Ioannes in IESV veniente, vidit & gauisus est, non minùs quàm cùm in vtero exultauit.

2. *Hic est de quo dixi post me venit* [1] *vir, qui ante me* [2] *factus est, quia* [3] *prior me erat, & ego* [4] *nesciebam eum, sed vt manifestetur in Israël, propterea veni ego in aqua baptizans.* " Tempore carnis posterior, Diuinitatis honore venerabilis; post *me venit*, temporis est, *prior me erat*, æternitatis; *ante me factus est*, honoris.) " Agnus verò masculus est hic homo, nulla mollitie resolutus, sed omni virtute constans, solidus, atque perfectus; virum ergo dicens, veram cum integritate virtutis expressit naturam hominis.) Rupertus. Manifesta igitur illum, quantum potes, vt possit cognosci: cognosce vt possis ardentius manifestare.

Ambr. l. 3. de fide c. 5.

Rupertus Exodi 12.

3. *Et testimonium perhibuit Ioannes,*

quia vidi [1] *ſpiritum deſcendentem, quaſi* [2] *columbam de Cœlo, &* [3] *manſit ſuper eum.*

Ambroſ. de Noë & arca c. 3.

" Hic ſpiritus datur hominibus, ſed non permanet; quâ autem ratione non permanet, cauſa proditur, quia caro ſunt, carnis autem natura diſciplinæ repugnat, quia voluptati obtemperat. In eo manebat, quem nulla corruptelæ carnalis impedimenta reuocabant.)

XIV.

Diſcipuli quidam accedunt ad IESVM. Io. 1. 35. *Pars* I.

In vigilia S. Andreæ.

1. *ALtera die iterum ſtabat Ioannes, & ex diſcipulis eius duo, &* [1] *reſpiciens* IESVM *ambulantem dixit,* [2] *Ecce Agnus Dei, & audierunt eum duo Diſcipuli loquentem, &* [3] *ſecuti ſunt* IESVM. Chryſoſtomus hîc, " Nihil Chriſtus, ſed Ioannes omnia loquitur,) ſcilicet humilitate ſolâ & modeſtia ſpectantium animos conciliabat. Ille planè agnus deſtinatus, & iam ſe offerens, paranſque ad victimam: ſequere; non cogeris, ſed inuitaris, ſatis tibi ſit oſtenſum tantũ bonum.

Chryſoſt. hom. 17.

2. Con-

2. [1] *Conuersus autem* IESVS, *& videns eos* [2] *sequentes se dixit eis,* [3] *quid quæritis? qui dixerunt ei, Magister* [4] *vbi habitas?* ad audientes & sequentes, hoc est, ad obsecundantes primis gratiis amanter se conuertit IESVS, & respicit, & alloquitur, *Respice in me & miserere mei, quia vnicus* (hoc est solus & derelictus) *& pauper sum ego.* Pſ.24.16. "Si quæris in omnibus IESVM, inuenies vtique IESVM, si quęris teipsum inuenies teipsum. Thom.à Kemp.l.2. c.7.n.3.

3. *Dicit eis,* [1] *venite &* [2] *videte;* [3] *venerunt & viderunt vbi maneret.* Nam habitationem aut domum propriam fortè non habebat, *& apud eum manserunt die illo,* hoc est die integro: *hora enim erat quasi decima*: scilicet ab ortu solis, itaque & pernoctarunt cum illo. "Non enim conuenit vt citò satiati à Diuina doctrina recedamus.) Vnde Augustˑ quàm beatũ diem duxerunt, quàm beatam noctem! quis est qui nobis dicat quæ audierunt illi à Domino?)" Si IESVS vnum tantum verbum loquitur, magna consolatio sentitur.) Thom. à Kempis l.2.c.8.n.1. Cyrillus & Aug.apud Cornel.

XV.

Discipuli accedunt ad IESVM. Io.1.40. *Pars* 2.

1. ANdreas, *vnus ex duobus, inuenit primò* [1] *fratrem suum Simonem, & dicit ei, inuenimus Messiam, &* [3] *adduxit eum ad* IESVM. [4] *Intuitus eum* IESVS *dixit, tu es* [5] *Simon filius Iona, tu* [6] *vocaberis Cephas.*'' Respicit qui corda scrutatur; videt, qui nihil ignorat, ad quantam fidem Discipulus venturus esset; & antequam aliquid de eo quæsiuisset, tam ipsum quàm Patrem nomine appellat; Discipulum instruens eum se esse qui cuncta nouit.

Cyrillus in Ioan.

2. *In crastinum voluit* [1] *exire in* [2] *Galilæam, &* [3] *inuenit Philippum & dicit ei,* [4] *sequere me.* Quem zelum indiderat Andreæ, ipsemet exercet, & ex loco obscuro colligit Discipulos, facturus illustres cùm vellet, & prout vellet.

In missa de Angelis.

3. *Inuenit* [1] *Philippus Nathanael, & dixit ei,* [2] *quem scripsit Moyses in lege, & Prophetis, inuenimus* IESVM *filium Ioseph à* [4] *Nazareth: & dixit ei* [5] *Nathanael, à*

Naza-

Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? dicit ei, [6] *veni & vide.* Ita oportet; non leuiter probandæ res, aut improbandæ, penitus inſpice, exterior ſæpè fallit ſpecies.

4. *Vidit* [1] IESVS *Nathanael venientem ad ſe; & dicit de eo, ecce* [2] *verus Iſraëlita in quo dolus* [3] *non eſt*; oſtendit quales eſſe oporteat ſui ſequaces. *Dicit ei Nathanael, vnde me noſti? Reſpondit* IESVS, *priuſquam te Philippus vocaret, cùm eſſes ſub ficu vidi te.* vbi ſe fortaſſe putabat non videri. *Reſpondit ei Nathanael,* prorſus attonitus, *Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex Iſraël: reſpondit* IESVS, *quia dixi tibi, vidi te ſub ficu credis? maius his videbis, amen dico vobis, videbitis Cœlum apertum, & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſupra Filium hominis.* "Vt in vno eodemque homine, & infirmitatem foueant, & ſtupeant maieſtatem.) Emanuel Sa videtur inſinuare viſos eſſe aliquando à Diſcipulis Angelos, ei inſeruientes, ſicut in deſerto. Bern. ſ. 48. in Cant.

XVI.

XVI.

In Nuptiis aquam in vinum conuertit.

Ioan. 2.

Dom 2. post Epiphan.

1. ET *die tertia (ab aduentu Andreæ)* [1] *Nuptiæ factæ sunt in* [2] *Cana Galilææ, & erat* [3] *Mater* IESV *ibi, vocatus est autem &* [4] IESVS, *& Discipuli eius ad nuptias.* '' Vt quas dudum potestate constituit, præsentiæ suæ nunc benedictione sanctificet.) Et Chrysost. '' Si volueris, domos duas depingemus, vnam habentium nuptias, alteram in luctu agentium : ingrediamur considerationè vtramque, videamus vtra melior, &c.) *Et deficiente vino* (hoc primum est in nuptiis gaudiisque mundi.) *Dicit Mater* IESV *ad eum, vinum non habent.* '' Quid enim de fonte pietatis procederet nisi pietas? disce & à Matre Domini magnam in mirabilibus fidem habere, in magna fide verecundiam retinere; quàm breuiter, quàm reuerenter suggessit, vnde piè sollicita fuit: si vinum deuotionis, & feruor charitatis defuit ora MARIAM, &c.

Maximus hom. 1. in Epiphan. Chrysost. hom. 42. in Acta.

Bernard. de gradib. humilit.

2. *Dicit*

2. *Dicit ei* IESVS, *quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea.* Quasi dicat, "Nostræ curæ res hæc commissa non est, neque hora est adhuc.) *dicit Mater eius Ministris, quodcumque dixerit vobis facite* Sciebat Filij affectum; qui sicut necessitudine non regitur, ita nec subijcitur tempori, in Matris tamen gratiam horam anteuerteret, si fecerimus quod possumus ipso præcipiente. Iustinus q. 136.

3. *Erant autem ibi* [1] *lapideæ hydriæ sex positæ secundùm* [2] *purificationem Iudæorum, capientes singulæ* [3] *metretas binas vel ternas: dicit eis* IESVS, [4] *implete hydrias aquâ, & impleuerunt eas vsque ad* [5] *summum, & dicit* IESVS, *haurite nunc* (statim vt appareat miraculum) *& ferte Architriclino, & tulerunt.*" Si mirabile est vina suppleſſe, quanto mirabilius vitam morte exhaustam reparare, peccata in iustitiam commutare, animam gratia sancti Spiritus irrigare? &c. Ambros. ser. 19.

4. *Vt gustauit Architriclinus aquam vinum factam, &* [1] *non sciebat vnde esset (ministri autem sciebant qui hauserant aquam) vocat sponsum Architriclinus, & dicit ei,* [2] *omnis homo primùm bonum vinum*

num

num ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Ita mundana gaudia incipiunt cum defectu, finiunt cum deceptione & fraude. *Tu* solus (ô Sponse Animarum Christe) [3]*seruasti bonum* [4]*vinum vsque* [5] *adhuc*, &c. *Et* [6]*crediderunt in eũ Discipuli eius.*" Et vt aqua sapore, rubore, calore conditur, ita scientiæ quod erat in his insulsum accepit saporem; quod pallens, gratiæ sumpsit colorem, quod frigidum incaluit immortalitatis ardore. Illi viso vno signo statim crediderunt, nos acceptis adhæc tot beneficiorum mirabilibus dubitamus?)

Idem s. 20.

XVII.

Eijcit è Templo negotiantes. Io. 2. 13.

Feria 2. post 4. Domin. Quadrag.

1. PRope erat *Pascha Iudæorũ* & [1] *ascendit* IESVS *Hierosolymam* (dans nobis exemplum quanta cura diuinis subdi debeamus imperiis) & [2] *inuenit in templo vendentes oues & boues & columbas, & nummularios sedentes: & cùm fecisset quasi flagellum de funiculis* (omnis enim castigatio in hoc mundo, est solum

lum quasi flagellum, comparata cum futuri sæculi pœnis) [4] *omnes eiecit è Templo; oues q3 & boues, & nummulariorum effudit æs, & mensas subuertit.*" Expedit autem nobis, vt cordis nostri Templum sæpè Dominus IESVS reuisat veniens in flagello timoris sui, ne quod auaritiæ commercium animus noster exerceat, neque in nostris sensibus tarditas boum stabulet, neque simus innocentiæ nostræ vel diuinæ gratiæ venditores, &c. Paulinus ep. 12.

2. *Et his,* [1] *qui vendebant columbas dixit,* [2] *auferte ista hinc, & nolite facere* [3] *domum Patris mei, domum* [4] *negotiationis.* Ad Sacerdotes præcipuè vult hæc dicta Pelusiota." Zelemus & nos (inquit Beda) domum Dei; studeamus in quantum facultas suppetit peruersa corrigere; & si nequimus, non sine acerrimo mentis sustinere dolore; maximè vbi Corpus Dei consecratur, vbi Angelorum præsentia semper adesse non dubitatur; quia scriptum est, *Zelus domus tuæ comedit me.* l. 1. ep. 106. Beda hîc.

3. *Responderunt Iudæi, quod* [1] *signum ostendis nobis quia hæc facis?* (hoc ipsum quantum signum!) *Respondit* IESVS, *soluite* [2] *Templum hoc, & in tribus diebus excitabo*

citabo illud, ille autem dicebat de Templo corporis sui." Ad demonstrandam in se veram mortalitatem hominis, & veram immortalitatem Deitatis.) Et Ambrosius, "Verè Templum Dei Corpus est Christi, in quo est nostrorum purificatio peccatorum, verè Templum Dei caro illa, in qua nullum peccati potuit esse contagium, sed ipsa pro delicto mundi totius fuit sacrificiū; verè Templum Dei caro illa in qua Dei imago fulgebat, & corporaliter plenitudo Diuinitatis habitabat.

Fulgent. l. 3. ad Tras. c. 17.

Ambros. in ps. 47.

4. *Cùm autem esset Hierosolymis in Pascha* [1] *multi crediderunt in nomine eius,* [2] *videntes signa quæ faciebat, ipse autem* [3] IESVS *nō credebat semetipsum eis, eò quòd ipse* [4] *nosset omnes, & opus ei non* [5] *erat vt quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat quid esset in homine.*" Fili noli credere omni affectui tuo; qui nunc est; citò mutabitur in aliud, &c.)

Th. Kemp. l. 3. c. 33.

XVIII.

Erudit Nicodemum. Io. 3. Pars 1.

In Inuent. sanctæ Crucis.

1. ERat homo ex [1] *Pharisæis,* [2] *Nicodemus nomine,* [3] *Princeps Iudæorum, hic venit*

nit

nit ad IESVM [4]*nocte.*" Nimirum Iudaica imbecillitate detinebatur: dimidia tantùm ex parte Deum amans; reliquam mundus obtinuerat.) *Et dicit ei, Rabbi,* [5]*scimus quia à Deo veniſti Magiſter; nemo enim* [6]*poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo* Ergo Deum adhuc non credebat, ſed nec Meſſiam; ſed ſimpliciter virtutis Magiſtrum, à quo proinde quærebat rectè viuendi viam. Chryſ. hîc & Nyſſen.

2. *Reſpondit* IESVS, *Amen* [1]*dico tibi, niſi quis* [2]*renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei: dicit ei Nicodemus.* [3]*quomodo poteſt homo naſci cùm ſit ſenex,* &c *Reſpondit* IESVS, *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto non poteſt introire in regnũ Dei.* Quaſi dicat, cùm homo fit ſenex, tum maximè renaſci neceſſe eſt." Cur enim (inquit Auguſt.) naſcatur denuò, niſi renouandus? vnde renouandus niſi a vetuſtate?) & quia quotidianâ defectione veteraſcimus, ad eam nouitatem quam ſemel per aquam conſecuti ſumus, quotidie conari oportet per ſpiritum. Auguſt. l. 1. de peccat. & remiſſ. c. 30.

3. *Quod natum eſt ex carne* [1]*caro eſt,* & ad corruptionem, interitumque ſæpè vtriuſ-

vtriusque substantiæ inclinat. *Quod natum est ex spiritu,* [2] *spiritus est*, spiritualiter intelligendum, & actionibus spiritualibus perficiendum. *Non* [3] *mireris quia dixi tibi oportet vos nasci denuò*, hoc est, non ita mireris vt maneas incredulus: *spiritus vbi vult* [4] *spirat, & vocem eius audis,* [5] *sed nescis vnde veniat, aut quò vadat.* Vteris tamen eo ad tuam vtilitatem & commodum, vel ad cauendum, propellẽdumque incommodum, *sic est omnis qui natus est ex spiritu*: omnibus vtitur ad bonum.

4. *Respondit Nicodemus,* [1] *Quomodo possunt hæc fieri? Respondit* IESVS, *tu* [2] *es Magister in Israël & hæc ignotas?* quæ scilicet ex scripturis potuisti hausisse, quod igitur diligentia non acquisiuisti, fide accipe, *quia quod* [3] *scimus loquimur, & quod* [4] *vidimus testamur, & testimonium nostrum*, quanticumque videamini id facere, cùm altiora prædicamus [5] *non accipitis* omnino, vel saltem difficulter. "Domine bene indigeo maiori gratia, si debeam illuc peruenire, &c.

Th. Kemp. l. 3. c. 31.

XIX.

XIX.

Erudit Nicodemum. Ibid. *Pars* 2.

1. SI *terrena dixi vobis* in variis ſimilitudinibus viam ſternens ad cœleſtia capienda, *& non creditis, quomodo ſi dixero vobis cœleſtia,* vt ipſi ea videmus & ſcimus, *credetis?* Et ſi quæ rationi humanæ peruia ſunt à me audientes (auaritiam v.g. declinandam eſſe, ac cætera Phariſæorum vitia) non tamen creditis mihi neque obeditis, quomodo ſi dixero ea quæ ſublimiora ſunt credetis? *nemo aſcendit in Cœlum, niſi qui deſcendit de Cœlo, Filius hominis qui eſt in Cœlo:* atque adeò inde expectare debes & expetere lumen vt hæc intelligas; deſcende igitur de præſumptione ſcientiæ, de ſuperbia intellectus, vt aſcendas ad fidem. Nam *ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis, vt omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

2. [1] *Sic enim* [2] *Deus dilexit* [3] *mundum,* *Feria 2. poſt*
vt [4] *filium ſuum* [5] *vnigenitum* [6] *daret, vt* *Pentecoſt.*
[7] *omnis qui* [8] *credit in eum* [9] *non pereat, ſed*
habeat [10] *vitam æternam.* " Dic nobis beate Chryſ. ho. 27. in Gen.

beate Ioannes quomodo *sic?* dic mensuram, dic magnitudinem, doce nos excellentiam, &c.) *Non enim misit Deus Filium suum in mundum vt iudicet mundum*, qui tamen iam tum meruit iudicari, *sed vt saluetur mundus per ipsum; qui credit in eum non iudicatur*, si vt oportet credit, & fidei conuenienter operatur, *qui autem non credit iam iudicatus est, quia non credidit in nomine vnigeniti Filij Dei*, qui se Filium Dei tot editis signis & doctrina tam diuina manifestè comprobauit.

3. *Hoc est autem iudicium* seu causa & origo iudicij & condemnationis, *quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem:* quia viderunt lucem & cognouerunt, noluerunt tamen illam diligere, *erant enim eorum mala opera*, quibus propter fines malos & mundanos maluerunt adhærere. *Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem* (quàm videt venientem ad se, sed fugit illam) *vt non arguantur opera eius*, & conscientiæ stimulis exagitetur. *Qui autem facit veritatem*, & sincerè procedit, *venit ad lucem*

Cyrill. hîc.

vt

vt manifestentur opera eius, quia in Deo facta sunt: hoc est, non veretur lucem, vel quia opera eius bona sunt, vel vt intelligere possit an, & quomodo bona sint, ne voluntatem Dei transgrediatur.

XX.

Ioannes, se hominem, Christum Deum esse testatur. Ioan. 3. 25. *& humilitatis tradit fundamenta.*

1. *FActa est autem quæstio ex Discipulis Ioannis cum Iudæis de Purificatione, & venerunt ad Ioannem & dixerunt ei: Rabbi, qui tecum erat trans Iordanem, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum; respondit Ioannes, non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de Cœlo. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim, non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum.*" Et decet hominem concessâ sibi de Cœlo mensura esse contentum) Idem.

2. *Qui habet sponsam sponsus est; amicus autem sponsi qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi; hoc ergo gaudium meum impletum est;* neque

Gregor. hom.20. maiora præsumo. " Et bene gaudium impletum est dicit, quia quisquis de sua voce gaudet, plenum gaudium non habet.)

Bern. ser.in nat.Io.Ba. 3. *Illum* [1] *oportet crescere, me* [2] *autem minui.*" splendore vtique non feruore.) Bernard. Et quàm meritò vtrumque! nam *qui de sursum venit,* [3] *super omnes est,* etiam supra Angelos ; quantò æquius igitur vt mihi præferatur; *qui de terra est,* terrena sicut ego generatione prognatus, *de terra est & de* [4] *terra loquitur,* similia sibi, humilia, & captum hominum non valde excedentia. Videmus

Laurent. Iust. de perfect. Mon. Conu. Agricultores cùm in vnum coadunantur repentè & sine tædio de iis quæ agriculturæ sunt sermocinari ; Mercatores de mercimoniis, Oratores de suis facultatibus: & proh dolor ! soli Dei serui quæ proprio congruunt statui audire vel loqui non curant vel ignorant, &c. *Qui de Cœlo* [5] *venit, super omnes est, & quod vidit,* [6] *& audiuit, hoc testatur ; & testimonium eius nemo accepit.* Hoc est pauci præ iis qui debebant, pauci præ merito ipsius.

4. *Qui accepit eius testimonium; signauit*

uit quia Deus verax est: hoc est, qui fide non vacillante accepit fidem non fallentem amplexum se esse reperiet. *Quia Deus verax est, & quem misit Deus, verba Dei loquitur; non enim ad mensuram dat Deus Spiritum:* ei scilicet in quo habitat omnis plenitudo Diuinitatis.

5. *Pater [1] diligit Filium, & omnia dedit in manus eius, qui credit in Filium, habet [3] vitam aternam; qui autem incredulus est Filio, non [4] videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Dilige igitur, & tu, da ei omnia, crede ei omnia, & habebis vitam, &c.

XXI.

Colloquium Christi cum Samaritana. Io. 4. *Pars* 1.

1. VEnit IESVS *in ciuitatem [1] Samariæ qua dicitur Sichar; erat autem ibi fons Iacob:* IESVS *ergo [2] fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem; hora erat quasi [3] sexta: venit mulier de Samaria haurire aquam, dicit ei* IESVS, *da [4] mihi bibere; Discipuli enim eius abierant in ciuitatem, vt [5] cibos emerent.* Feria 6. post Domin. 3. Quadrages.

"Numquid Dei virtus poterit fatigari? fatigabatur, quòd fide. August. serm. 92. de temp.

fidelem populum inuenire non poterat; hodieque fatigat eum inobedientia nostra; fatigat eum infirmitas nostra, & petit bibere, daturus.

2. *Dicit ei mulier* [1] *quomodo tu Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coëtuntur Iudæi Samaritanis. Respondit* IESVS, *si* [2] *scires donum Dei, & quis* [3] *est qui dicit tibi, da mihi bibere, tu* [4] *forsitan petisses ab eo, &* [5] *dedisset tibi aquam viuam.* Delectatus religione mulieris, & verecundiâ ac humilitate, euocat cogitationem eius ad altiora: perpende singula, & ad te transfer, vt scias quid suggerenti multa Deo respondendum.

3. *Dicit ei mulier, Domine, neque in quo* [1] *haurias habes, & puteus altus est, vnde* [3] *ergo habes aquam viuam*; si ad te directus fuisset hic sermo, non aberrasset à vero. *Numquid tu* [4] *maior es Patre nostro Iacob, qui dedit nobis* [5] *puteum, & ipse bibit ex eo, & filij eius, & pecora eius.* Egregia sanè laus! vnde Christus, *Omnis qui bibit ex hac aqua,* [6] *sitiet iterum, qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in* [7] *æternum; sed aqua quam ego dabo ei,*

fiet

fiet in eo [8] *fons aquæ salientis in vitam æternam.*" Aqua in puteo voluptas sæculi, in profunditate tenebrosa & difficili; hausta cupiditatis hydria; hæc sitim molestam creat non satiat: aqua viua, gratia spiritus, Dei amicitia, cognitio scripturarum, hæc replent in bonis desiderium.) Augustlib. 83.q.64.

4. *Dicit ei mulier: Domine da mihi hanc aquam, vt* [2] *non sitiam, neque veniam huc* [3] *haurire.* Iunge cum hac muliere preces, inuoca Sanctos vt suis te iuuent, qui experti hanc aquam, aliunde haurire fastidierunt.

XXII.

Colloquium Christi cum Samaritana.

Ibid. *Pars 2.*

1. *DIcit ei* IESVS, [1] *vade voca virum tuum, & veni huc; respondit mulier,* [2] *non habeo virum, dicit ei* IESVS, [3] *bene dixisti, non habeo virum, quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes non est tuus vir, hoc verè dixisti.* Quinque enim viri sunt quinque corporis sensus, secundùm Augustlib. 83. sextus quem aduocari Aug. vult q.64.

vult Christus, est spiritus rationalis, seu Verbum Diuinum, quod sensus in famulatum suum redigat, sed mulier errore detenta, non habebat virum hunc suum.

2. *Dicit ei mulier, Domine,* [1] *video quia Prophe aes tu, Patres nostri in* [2] *monte hoc adorauerunt, & vos dicitis quia Hierosolymis est locus vbi adorare oportet. Dicit ei* IESVS *mulier, crede mihi quia* [3] *venit hora, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis Patrem,* [4] *vos adoratis quod nescitis,* [5] *nos adoramus quod scimus; quia* [6] *salus ex Iudæis est.* Rupertus," Vna eademque confessione, & de se confessa est quod erat, & de eo, quod illum esse intelligere poterat.) plura credendo intellectura.

Rupert. hîc

3. *Sed venit hora, &* [1] *nunc est, quando* [2] *veri adoratores, adorabunt Patrem in spiritu* [3] *& veritate; nam & Pater tales* [4] *quærit qui adorent eum:* [5] *spiritus Deus est, & eos qui adorant eum, in spiritu* [6] *& veritate oportet adorare.*" Hæc si adhuc velimus exponere, eloquij Diuini obtundetur sapor.)

Auguſt.

4. *Dicit ei mulier,* [1] *scio quia Messias venit*

venit qui dicitur Christus, cùm ergo venerit, [2] *ille nobis annuntiabit* [3] *omnia: dicit ei* IESVS, [4] *ego sum, qui loquor tecum; & continuò venerunt Discipuli &* [5] *mirabantur quia cum muliere loquebatur:* [6] *nemo tamen dixit quid quaris, aut quid loqueris cum ea?* [7] *Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in ciuitatem, &* [8] *dicit illis hominibus, venite, & videte hominem qui dixit mihi* [9] *omnia quæcumque feci, numquid ipse est Christus?* '' Non terrestrem hydriam domum reportauit, sed cœlesti Saluatoris gratiâ & doctrinâ plena ad docendos alios profecta est.) Cyrill. hîc.

XXIII.

Samaritanorum Conuersio. Ibid. v. 30.

1. [1] *EXierunt ergo è ciuitate, & veniebant ad eum: interea rogabant eum Discipuli, dicentes, Rabbi* [2] *manduca: ille autem dixit eis,* [3] *ego cibum habeo manducare quem* [4] *vos nescitis: dicebant ergo Discipuli ad inuicem,* [5] *numquid aliquis attulit ei manducare? dicit eis* IESVS, *meus* [6] *cibus est vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt* [7] *perficiam opus eius.* '' Homi- Chrysost.

 num apud Corn.

num salutem, cibum appellat, vt quanta salutis nostræ cura, & desiderio teneatur ostendat) Chrysost. & Ambrosius, 'Quis iucundior cibus quàm facere voluntatem Dei; quem cibum sibi solum Dominus abundare memorabat; hic cibus Angelorum est, vt Dei famulentur imperio, &c.

Ambros. de Elia & ieiunio c. 3.

2. *Nonne vos dicitis quòd adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis, leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem* Cùm corporalia semper Discipuli cogitarent, leuandos docet oculos mentis ad altiora, & aquam, & cibum, & messem, & albedinem, & regiones alias intuendas nobis quibus Deus spiritus est, & spiritualiter colendas.

3. *Et qui* [1] *metit mercedem accipit, & congregat* [2] *fructum in vitam æternam, vt & qui* [3] *seminat simul gaudeat & qui metit; in hoc enim verbum verum est,* [4] *quia alius est qui seminat, & alius est qui metit:* [5] *ego misi vos metere quod vos non laborastis; alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis.*" Prophetæ satores, non messuerunt tamen, sed Apostoli, at non propterea

Chrysost. hom. 38. in Io.

propterea voluptate & fructu laborum priuantur, sed vobiscum gaudent.)

4. *Ex ciuitate autem illa* [1] *multi crediderunt in illum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia quæcumque feci: cùm venissent ergo ad ipsum Samaritani, rogauerunt eum vt* [2] *ibi maneret, &* [3] *mansit ibi duos dies; &* [4] *multò plures crediderunt in eum propter sermonem eius, & mulieri dicebant, quia iam* [5] *non propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audiuimus & scimus quia hic est vere Saluator mundi.* "Teneas te apud IESVM viuens & moriens & illius fidelitati te committe, &c.) Thom. à Kemp. l. 2. c. 7. n. 2.

XXIV.

Sanatur filius Reguli. Ibid. v. 46.

1. ET *erat quidam* [1] *Regulus, cuius* [2] *filius infirmabatur* [3] *Capharnaum.* Dom. 20. post Pentec.

Ita nulla conditio à miseriis exempta, nullus locus, nulla ætas à morbis. *Hic cùm audisset quia* IESVS *aduenisset à Iudæa in Galilæam,* [4] *abiit ad eum, & rogabat vt* [1] *descenderet, & sanaret filium eius,* [6] *incipiebat enim mori.* Sic multi in-

consultò differunt remedia spiritualia vsque ad extrema.

2. *Dixit ergo* IESVS *ad eum, nisi* [1] *signa & prodigia videritis non creditis.*" Super omnia mirabilia volens mentem credentis attollere, vt nec ipsa miracula à fidelibus quæri nolit.) Augustin. *Dixit ad eum Regulus,* [2] *descende priusquam moriatur filius meus.*" Audi quantum adhuc humi trahatur, ac si mortuum suscitare non potuisset, aut nesciret vt se puer haberet.) Chrysost. *Dicit ei* IESVS, [3] *vade, filius tuus viuit.*" Hoc est, ne sis immobilis ad bonum, sed vade; si autem quieueris non ambulans, morietur planè mens tua.) Theophyl.

Aug. l. 4. de consensu c. 10.

Chrys. hîc.

Theoph. hîc.

3. *Credidit* [1] *homo sermoni quem dixit ei* IESVS, *& ibat, iam autẽ eo* [2] *descendente, serui occurrerũt ei, & nuntiauerunt dicentes, quia filius eius viueret.* Descenderat nimirum à regio fastu, & hominem se agnouerat, quem fide ambulare necesse est in hoc mundo, vt viuat, & videat. "Duos autem Saluator eisdem verbis curauit, animum Reguli ab infidelitate, adolescentem à morbo.)

Cyrill. hîc.

4. *Interrogabat ergo horam ab eis in*

qua

qua melius habuerit, & dixerunt ei, quia heri hora septima reliquit eum febris; cognouit ergo Pater quia illa hora erat, in qua dixit ei IESVS, *filius tuus viuit, & credidit ipse, & domus eius tota.*" Vide fidei gradus; huius initium habuit, cùm filij salutem petiit; incrementum cùm credidit sermoni Domini; perfectionem, cùm salus nuntiatur à famulis.) Beda hîc.

XXV.

De naui Simonis docet populum, & miraculo rete piscibus implet.

Luc. 5.

1. FActum est autem cùm turba [1] *irruerent in eum, vt* [2] *audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth, & vidit duas naues stantes secus stagnum; piscatores autem* [3] *descenderant, & lauabant retia; ascendens autem in vnam nauim, quæ erat* [4] *Simonis,* [5] *rogauit eum à* [6] *terra reducere* [7] *pusillum, &* [8] *sedens docebat de nauicula turbas.* Dom. 4. post Pentecost.

Augustinus, "quòd de naui docet turbas, significat hoc tempus, quando Dominus de au- Aug. l. 2. qq. Euang. c. 2.

ctoritate Ecclesiæ docet Gentes, &c.) &
Ambr. 3 de Virginib. Ambros." Nauis Ecclesia est quæ pleno Dominicæ Crucis velo sancti flatu Spiritus in hoc bene nauigat mundo.)

2. *Vt cessauit autem loqui, dixit ad* [1] *Simonem,* [2] *duc in altum, &* [3] *laxate retia vestra in capturam piscium; & respondens Simon, dixit ei, Præceptor per* [4] *totam noctem laborantes nihil cœpimus, in* [5] *verbo autem tuo laxabo rete; & cùm hoc fecisset, concluserunt* [4] *piscium multitudinem copiosam.* Ambr. l. 3. de Virgin. "Nec vilis est nauis quæ ducitur in altum, hoc est, ab incredulis separatur; ex quâ doctrinæ hamum mittere iubentur in sæculum, & nunc retibus, nunc hamo piscari! duc in altum, hoc est in Christum, Altissimi Filium, qui humiles super altos exaltabit: rogate vt & mihi hoc dicatur; quis enim sine Deo piscetur hanc plebem, cùm tantæ tempestates huius mundi obsistant.) Ambros. l. 3. de Vig.

3. *Rumpebatur* [1] *autem rete eorum, &* [2] *annuerunt sociis qui erant in alia naui, vt venirent & adiuuarent eos, & venerunt, & impleuerunt* [3] *ambas nauiculas, ita vt penè* [4] *mergerentur.* Augusst. 2. qq. Euang.

Euang. 2. significat hominum carnalium multitudinem futuram in Ecclesia, &c. *quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua* [5] IESV, *dicens, exi à me quia* [6] *homo* [7] *peccator sum Domine.*" Non rogat vt deferatur, sed ne infletur.) *Stupor enim circumdederat eum & omnes qui cum illo erant.* Ambr. sup.

4. *Et ait ad Simonem* IESVS, *noli* [3] *timere, ex hoc iam* [2] *homines eris capiens, & subductis ad* [3] *terram nauibus, relictis* [4] *omnibus secuti sunt eum.* Vide Augustin. suprà. Qui & hominum carnalium altitudinem in Ecclesia, & diruptionem pacis his significari docens, suadet bonis non deserere munus Ecclesiasticum, quà tranquillius viuant, licèt vt se reficiant, ad tempus se subducant, cum Christo Domino tractaturi. Aug. sup.

XXVI.

Liberat obsessum à dæmone in synagoga. Marc. 1. 21. Luc. 4. 31.

1. ET *ingrediuntur Capharnaum, & statim* [1] *sabbathis ingressus in synagogam docebat eos, & stupebant super do-*

ctrinâ eius, erat enim docens eos quasi [3] *potestatem habens, & non* [4] *sicut Scribæ.* Insigne Euangelicis prædicatoribus exemplum, vt nihil negligant, vt sectentur solida, vt auctoritatem virtute non fastu tueantur.

2. *Et erat in* [1] *synagoga eorum homo habens* [2] *dæmonium immundum, & exclamauit voce* [3] *magna dicens:* [4] *Quid nobis & tibi* IESV [5] *Nazarene: veniſti* [6] *perdere nos, ſcio* [9] *qui ſis,* [8] *Sanctus Dei.*" Præſentia Saluatoris, tormenta ſunt dæmonum.) Hieron. In mediis tamen tormentis quanta eorum malitia, quanta verſutia! vt & *Nazarenum* compellent ex maledicentia, & dicant *Sanctum*, vt inani gloriâ inflent. Quamuis autem ab inimicis teſtimonia quandoque vſui ſint, non ſemper tamen firma ſunt aut liquida, ideò "increpuit inuidioſum, & malè adulantem dæmonem, quaſi hæc ſumma eſſet gloria Chriſti, ſi ad perditionem dæmonum veniſſet, & non potiùs ad hominum ſalutem.)

Hieron. hîc

Tertull. l. 4. contra Marcion. c. 7.

3. *Et* [1] *increpauit eum* IESVS, *dicens,* [2] *obmuteſce, &* [3] *exi ab eo; & cùm* [4] *proiecisſet illum dæmonium in medium,* [3] *exclamans*

mans voce magnâ exiit ab eo, [4] nihilq; illum nocuit. Gregor.) "deserens discerpsit, quia plerumque dum de corde expellitur, acriores tentationes generat quàm cùm quietus possidebat.) Nihil tamen nocuit, quia ad præmium non ad ruinam permittuntur. Greg. hom. 12. in Ezec.

4. *Et [1] mirati sunt omnes, ita vt [2] conquirerent inter se, quidnam est hoc? quænam doctrina [3] hæc noua? quia in potestate etiam [4] spiritibus immundis imperat, & obediunt ei; & [5] processit rumor eius statim in omnem regionem Galilææ.* Chrysost. Chrys. hîc.

"Quid quæso nouum docuerat? eadem loquebatur per se, quæ locutus fuerat per Prophetas: sed ideò stupebant, quia docebat quasi potestatem habens, & non sicut Scribæ.)

XXVII.

Socrus Simonis curatur à febre.
Matth. 8. Mar. 1. Luc. 4.

Feria 5. post 3. Domin. Quadrag. & Sabbatho 4. Tempor. dens Pentec.

1. *SVrgens autem* IESVS *de synagoga introiuit in [1] domum Simonis, socrus autem Simonis tenebatur [2] magnis febribus, & [3] rogauerunt illum pro eâ, & acce-*

dens apprehensâ [4] manu, [5] imperauit febri, & [6] demisit eam febris, & [7] continuè surgens [8] ministrabat illis. '' Febris nostra auaritia est, febris nostra ambitio est, febris nostra iracundia est, &c. hæc animum, illa corpus inflammat, &c.) Ambros. '' Sed dimittit febris quem tenuerit Christus.)

Ambr. 4. in Lucam.

Chrys. f. 8.

2. *Cùm autem sol [1] occidisset, omnes qui habebant [2] infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum, & [3] omnis ciuitas congregata est ad ianuam, & ille singulis [4] manus imponens curabat eos; exibant autem dæmonia à multis, clamantia, [5] quia tu es Filius Dei, & increpans [6] non sinebat ea loqui, quia sciebant eum esse Christum.*'' Populus negat quem dæmones confitentur, ô peior Magistro Discipulorum hæreditas!)

Ambros.

3. *Et [1] diluculo valde surgens egressus abiit in [2] desertum locum, [3] ibi & orabat; & [4] prosecutus est eum Simon, & qui cum illo erant, & cùm inuenissent eum, dixerunt ei, quia omnes [5] quærunt te, quibus ille ait, quia & aliis [6] ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum.*'' Abiit in desertũ locum vt nos

Euthym. hîc.

doce-

doceret, si quando admiratione digna fecerimus, laudem ab hominibus fugiamus, & ab aliis segregati, Deo qui nobis beneficium contulit, gratias agamus, &c.) Euthymius. Simul iudicia Dei reuerere, qui discedit à requirentibus, nam & *turba requirebant eum, & detinebant eum ne discederet.*

4. *Et* [1] *circuibat totam Galilæam, prædicans Euangelium* [2] *Regni, & sanans omnem* [3] *languorem; & abiit* [4] *opinio eius in totam Syriam, & secutæ sunt eum turbæ multæ, de Galilæa, & Decapoli, & de Hierosolymis, & de Iudæa, & de trans Iordanem.* Vide quomodo & vnde colligat suos; & relinque Galilæam, & Decapolim, &c. & quidquid præclari habet mundus, vt eum sequaris.

XXVIII.

Tres reprehenduntur quod non vt oportuit sequi volebant Christum.

Matth. 8. Luc. 9.

1. *FActum est autem ambulantibus eis in via, dixit quidam ad illum,* [1] *sequar te* [2] *quocumque ieris. Dixit ei* IESVS, *vulpes*

vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis [3] non habet vbi reclinet caput." Quid me propter diuitias & sæculi lucra sequi vis, cùm nec hospitiolum habeam. Hieron. & Aug. "Intelligimus istũ, si sequeretur Christum, sua quæsiturum, non IESV Christi; Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet; sed vbi non habet? in fide tua; vulpes enim foueas habent in corde tuo, quia dolosus es, volatilia habent nidos in corde tuo, quia eleuatus es; dolosus & elatus non me sequeris: quomodo dolosus sequitur simplicitatem?) ser. de verb. Dom.

Hieron.

Aug. ser 7. de verbis Dom.

2. *Ait [1] autem ad alterum, sequere me. Ille autem dixit, Domine [2] permitte me, primùm ire, & sepelire Patrem meum, dixitq; ei* IESVS, *[3] sine vt mortui sepeliant mortuos suos; [4] tu autem vade, & annuncia Regnum Dei.*" Pium erat quod volebat facere, sed docuit Magister quid debuisset præponere. Erunt alij per quos illa necessitas impleretur.) Et Ambros. "Bonum studium, sed maius impedimentum)" Infideles autem quando cadauer sepeliunt, mortui mortuum sepeliunt,

Aug. ser. 6.

Ambr. hîc.

Aug. ibid.

illius

illius corpus animam perdidit, illorum anima Deum.) Augustinus.

3. *Et ait alter,* [1] *Sequar te Domine, sed* [2] *permitte me primùm renuntiare his qui domi sunt. Ait ad illum* IESVS, [3] *nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei* Basilius, "Ne ad punctum quidem temporis seiungi ab ipso permisit cœlestis regni alumnes; tanquam qui ad cœlestes res animum adiunxerunt, iis neutiquam liceat eorum quæ in terrâ sunt rationem vllam habere.) *Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet*; & tam facilè das locum torpori? quid tibi tempore orationis & lectionis, &c. cum negotiis? *sine mortuos*, &c. & si *nemo mittens manum*, &c. *dignus est*, quomodo tu dignus videberis illustratione diuina, si non ante, sed retro respicias coram Deo stans? Basil. Cōst. Mon. c. 21

XXIX.

Tempestatem sedat. Matth. 8. Marc. 4. Luc. 8.

1. A *Scendente eo in* [3] *nauiculam, secuti* [2] *sunt eum Discipuli eius, & ecce* Dom. 4. post Epiphan.

motus

motus [3] *magnus factus est in mari, & descendit procella venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt operiretur fluctibus, & erat ipse in puppi* [4] *super ceruical dormiens.*

Chrysost. Chrysol. serm. 20. Vbi Chrysost " Athletas orbis terrarum tentationibus & timoribus exercet.) & Chrysol. "" Gubernatoris peritiam non probat temperies serena sed tempestas:)

Prou. 12. 21. *non contristabit autẽ Iustum quidquid acciderit ei.* Innituntur nimirum ceruicali Christi, bonæ conscientiæ; fiducia fieri in Deum, & resignatione. *Impij autem replebuntur malo.* Vnde Ambr. " Tranquillitas vbi solus Petrus tempestas vbi Iudas adiungitur; vnius delicto cunctorum merita quatiuntur.) & August. "Audisti conuitium? ventus est; iratus est? fluctus est; recole Christum, &c.

Ambr. ser. 11. de Mir.

Aug. ho. 3. int. 17. to. 10.

2. *Et accesserunt ad* [1] *eum Discipuli eius, &* [2] *suscitauerunt eum; dicentes, Magister* [3] *nõ ad te pertinet quia perimus?* [4] *Salua nos, & dixit eis* IESVS, [5] *quid timidi estis modicæ fidei?* quasi diceret, bene quidem facitis me inuocando; sed debuissetis credidisse, me etiam dormientem vestri curam habere, & posse saluare: "" si sæuiat mundus, si fremat malignus, &c.

Bern. ser. 9. qui habit.

in

in te sperabo.) Bernard. serm. 9 qui habitat.

3. *Tunc surgens* [1] *imperauit ventis & mari; & dixit mari, tace,* [2] *obmutesce; & cessauit ventus, & facta est tranquillitas magna. Porrò homines* [3] *mirati sunt, & timuerunt* [4] *timore magno, dicentes, qualis est hic? quia venti & mare obediunt ei.* Augustin. "Imitare ventos & mare, obtempera Creatori, sub iussione Christi mare audit, & tu surdus es? non vos vincat fluctus in perturbatione cordis vestri.) Chrysol." Laus fidei est Christum ita recipere vt est, & habetur in naui; hoc est in Ecclesia, dimittens turbas.) sic enim Marcus habet, *Assumunt eum ita vt erat in naui,* Aug. ho. 3. citata. Chrys. sup.

XXX.

Legio dæmonum expulsa in porcos permissa ire. Matth. 8. Marc. 5. Luc. 8.

1. *CVm venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, exeunti ei de naue occurrit vir quidam qui habebat dæmonium iam* [1] *temporibus multis, & domicilium habebat in* [2] *monumentis, & neque*

[3] *catenis*

[3] *catenus iam quisquam poterat eum ligare,* [4] *sæuus nimis, ita vt nemo* [5] *transire posset per viam illam: videns autem* IESVM *à longè cucurrit &* [6] *adorauit eum, & clamans voce magna, dixit,* [7] *quid mihi & tibi est* IESV *fili Dei Altissimi, adiuro te per Deum ne me* [8] *torqueas: dicebat enim illi,*

Hieron. [9] *exi spiritus immunde ab homine.* " Itaque non voluntatis ista confessio fuit, sed necessitatis extorsio, quæ cogit inuitos, velut si serui fugitiui, cùm Dominum viderint, nihil nisi de verberibus

Bernard. deprecantur.) Interim " malleus est cœlestis opificis, terit electos ad eorum vtilitatem, reprobos conterit in eorum damnationem.)

2. *Et interrogabat eum quod est tibi nomen, & dicit ei* [1] *legio, quia multi sumus; & deprecabatur eum multum, ne se expelleret extra regionem, &* [2] *ne* [3] *imperaret vt in abyssum irent.* horrent enim carcerem illum & societatem.

3. *Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus pascens, &* [1] *rogabant eum vt permitteret eis in illos ingredi, &* [2] *permisit illis, & exeuntes introierunt in porcos, &* [3] *magno impetu grex precipitatus*

tus est in mare, ad duo millia, & suffocati sunt in mari." Nec in porcos diabolorum legio habuit potestatem, nisi de Deo impetrasset, tantum abest vt in oues habeat Tertull." Porci autem se in stagnum præcipitarunt, vt quod recusabant dæmonia non euaderent, sed digno præcipitio demergerentur.) Ambrosius, Tertull. de fuga c. 2. Ambros.

4. *Qui autem pascebant fugerunt, & nuntiauerunt in ciuitatem; exierunt autem videre quod factum est, & viderunt hominem* [1] *sedentem,* [2] *vestitum, &* [3] *sana mente ad* [4] *pedes* IESV, *&* [5] *timuerunt, & cœperunt* [4] *rogare vt discederet de finibus eorum:* [7] *ipse autem ascendens nauim reuersus est. Et* [6] *rogabat eum vir à quo dæmonia exierant, vt esset cum eo, &* [7] *non admisit eum, sed ait illi,* [10] *vade in domum tuam, & nuntia, quanta tibi fecit Deus.* Carthusianus hîc." Miseri & imbecilles fontem salutis à se deprecabantur abire, cuius instructione eatenùs indigebant, quia vera in spiritualibus discretione carebant.) Vide ne in similem culpam incidas maiora tibi imponi existimans quàm sis ferendo, &c.

XXXI.

XXXI.

Paralyticus per tectum demissus curatur. Matth. 9. Marc. 2. Luc. 5.

Domin. 18. post Pentec. & feria 6. Pentecost.

1. ET [1] *iterum intrauit Capharnaum, & auditum est quod esset in domo, & conuenerunt* [3] *multi, ita vt non caperet domus, neque ad ianuam; & ipse sedebat* [4] *docens; & erant* [5] *Pharisæi sedentes, & legis doctores qui venerant ex omni* [6] *castello Galilææ, & Iudææ, & Hierusalem,* [7] *& virtus Domini erat ad sanandum eos.* Intra, Domine, cor meum; fac illud tibi domum, & sedem; Conuenite sancti Angeli, vt neque ad ianuam appareat occursus malus: da vt fastum excludam pharisaicum, & sanatis languoribus te in omni Castello deprædicem.

2. *Et ecce viri quatuor* [1] *portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus, &* [3] *quærebant eum inferre, & ponere ante eum, & non inuenientes qua parte eum inferrent præ turba,* [4] *ascenderunt supra tectum, & per tegulas submiserunt eum cum lecto in medium ante* IESVM: *quorum* [1] *fidem*

dem vt vidit, dixit, [6] *fili remittuntur tibi peccata tua.* Maior quippe erant illa morbus, & alterius causa, sed fide nostrâ, diligenti aliorum ministerio & subsidio impetratur remissio: simul cum Hieronymo extolle Christi humilitatem, qui '' despectum & debilem, & totis membrorum compagibus dissolutum, filium vocat, quem sacerdotes non dignabantur attingere.) Et verè filius cui peccata remissa. Consilium autem est Augustini, '' si dissoluta sunt membra; vt peruenias ad medicum, exponendo quod occultũ est, aperi tectum, & ad eius humilitatem fidei pietate descende.) l. 2. q Euang. cap. 4. & l. de past. cap. 6. Hieron.

3. *Et cœperunt* [1] *cogitare Scribæ & Pharisæi, quis est hic qui loquitur blasphemias? quis potest dimittere peccata, nisi* [2] *solus Deus? Et cùm vidisset* IESVS [3] *cogitationes eorum, dixit, vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? quid est facilius dicere,* [4] *dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, surge & ambula? vt* [5] *autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata: tunc ait paralytico,* [1] *surge,*

ge,[2] *tolle grabatum tuum,*[3] *& ambula,*[4] *& vade in domum tuam.*" Quodam modo tacens loquitur, eâdem potentiâ & maiestate, quâ cogitationes vestras intueor, possum & hominibus peccata dimittere;) "grabbatum verò nostrum, corpus est; tunc portamus illud, cùm spiritui obedire cogimus; ambulamus tamen non currimus, quia corpus quod corrumpitur aggrauat; ambulamus in domum; in quam domum? in matrem omnium; vel potiùs in domum non manufactam in Cœlis, &c.)

4. *Videntes autem turbæ,*[1] *timuerunt,* *&*[2] *glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.*

XXXII.

Matthæi vocatio. Matth. 9. Marc. 2. Luc. 2.

1. *ET cùm transisset inde* IESVS,[1] *vidit*[2] *hominem*[3] *sedentem in*[4] *telonio,*[5] *Matthæum nomine, & ait illi,*[6] *sequere me, &*[7] *surgens secutus est eum.* Chrysost. "qui corda scrutatur, perspicit quando vnus-

vnusquisque ad obediendum paratus est ; & virtutem tamen vocantis voluit ostendere, qui è medio malorum pelago ipsum abstraxit)disce etiam vocati obedientiam, non enim repugnauit, nec ambigendo secum dixit putásne Publicanum & peccatorem absque fraude vocauerit? &c.)

2. *Et fecit ei* [1] *conuiuium magnum Leui in* [2] *domo sua, & erat* [3] *turba multa Publicanorum & aliorum, qui cum illis erant discumbentes cum* IESV *& Discipulis eius, & videntes Pharisæi* [4] *dicebant Discipulis, quare cum Publicanis & peccatoribus manducat Magister vester?* Nazianze- Nazianz.' n sanctum
nus, "Quis deo med cum accusat, quod ad morbos se demittit, fœtorem sustinet, vt ægrotantibus sanitatem restituat?) Quoties in anno datur tibi occasio excipiendi Christum in domo tua? vide quid pares, quos inuites? lauacrum.

3. *At* IESVS *audiens ait: non est opus valentibus medicus, sed male habentibus: euntes autem discite quid est, misericordiam volo & non sacrificium, non enim veni vocare Iustos, sed peccatores.* Hilarius, " Sed nemo ex lege iustus est; Hilar.hîc.

ostendit ergo inanē iustitiæ esse iactantiam, quia (sacrificiis infirmis ad salutem) misericordia erat vniuersis in lege positis necessaria.) Hanc autem quàm multis exhibere in potestate tuâ est? Tob. 4. 8. *Quomodo potueris ita esto misericors; si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude*, &c.) Tob. 4. 8.

XXXIII.

Iaïri filia suscitatur: Curatur Hæmorrhoissa. Matth. 9. Marc. 5. Luc. 8. *Pars* 1.

Domin. 23. post Pentec.

1. *ET venit quidam de Archisynagogis nomine Iaïrus, & videns [1] eum, procidit ad pedes eius, & [2] deprecabatur eum multum, dicens, filia mea in [3] extremis est, [4] veni, [5] impone manum tuam super eam, vt salua sit, & [6] viuat; & abijt [7] cum illo, & sequebatur illum turba multa, & comprimebant eum.* Quid in morbis, mortibusque animæ faciendum? quæ verè extrema sunt, post hæc enim temporalia, metuenda supersunt alia grauiora:

procide

procide igitur, deprecare, sequere, roga, &c.

2. *Et ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur* [1] *annis duodecim, & erogauerat* [2] *omnia sua, nec* [3] *quidquam profecerat, sed* [4] *magis deterius habebat, accessit* [5] *retrò & tetigit fimbriam vestimenti eius, dicebat enim intra se, si tetigero tantùm vestimentum eius salua ero, & confestim* [6] *sensit quia sanata esset plaga.* Longorum morborum tuorum quære causas, & quomodo eroges tempus substantiamque tuam, & in quos; aut cur magis deterius habeas; accede cum humilitate & fiducia ad sacramenta, tange reuerenter, ne molestus fias premendo indecenter.

3. *Et ait* IESVS, *quis me* [1] *tetigit? nam & ego* [2] *noui virtutem de me exijsse.* Tanquam absens requirit, tanquam præsens sanat; præsentiam virtutis suæ in omnibus gentibus, etiam absente corpore significans. *Videns autem mulier* [3] *quia non latuit,* [4] *tremens venit, &* [5] *procidit ante pedes eius; at ipse dixit ei, filia, fides* [6] *tua te saluam fecit, vade in pace.* " Quanta gratia, quòd ea quæ videri erubescebat, Ambros l. 3. de Virg.

vitium tamen non erubuit confiteri; noli lapsus occultare tuos; fatere, quod iam nouit, &c.) Ambros.

XXXIV.

Iairi filia suscitatur. Ibid. *Pars* 2.

1. ADhuc eo loquente [1] *veniunt ad Archisynagogum dicentes, filia tua mortua est. quid vltra vexas Magistrum?* IESVS *autem audito verbo hoc, ait Archisynagogo, noli timere, crede tantùm, & salua erit* Quàm proni sunt homines vt retrahant a bono! tu tamen nullam interpellationem, quantumuis molestam admitte; neque etiam molestum existimes interpellari, si salus cuiusquam periclitetur; noli aduersa quæcumque timere.

2. *Et cùm venisset* IESVS *in domum Principis, & vidisset tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat,* [1] *recedite nõ enim* [2] *mortua est puella, sed* [3] *dormit; quid* [4] *turbamini, & ploratis? & irridebant eum, scientes quòd mortua esset.* Sic plorant & turbantur qui spem non habent, & irridentdent

dent ſperantes in iis quæ non videntur; ſed Chriſto neque hæc mortua fuit, ſed dormiebat, quia illam facilius poterat ſuſcitare quàm quiuis dormientem.

3. *Et non* [1] *admiſit quemquam ſequi præter Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & patrem, & matrem puellæ, &* [2] *eiectâ turbâ, intrauit vbi puella erat iacens, &* [3] *tenens manum eius ait, puella tibi dico ſurge, &* [4] *ſurrexit continuò, &* [5] *iuſſit illi dari manducare; & ſtupuerunt parentes eius,* [6] *quibus præcepit vehementer vt nemo id ſciret; &* [7] *exijt fama hæc in vniuerſam terram illam* Ita Deo diſponente, vt quò humilius ſtudemus ſecreto, eò Dei laus ſit clarior; bene autem ſurrexit & ambulauit, &c. quia anima à peccatis ſuſcitata, bonis proficere debet operibus, & cœleſti pane Corporis & verbi Chriſti ſatiari, ideò & carnẽ ſuam, & manum ſacratiſſimam cooperatricem adhibuit ſanitati. Si igitur vis frui vita, eijce tumultuantium turbam cogitationum, admitte quos Chriſtus vult ſocios, noli timere, ſed crede Deo.

XXXV.

Cæcis duobus redditur visus; dæmonium eijcitur. Matth. 9.

1. *ET transeunte inde* IESV, *secuti* [1] *sunt eum duo cæci, clamantes, & dicentes, miserere nostri fili Dauid; cùm autem venisset domum,* [2] *accesserunt ad eum cæci, & dicit eis* IESVS. [3] *creditis quia hoc possum facere vobis? dicunt ei, vtique Domine.*

Chrysost. hom. 33. in Matth.

"Non paruo dedecori Iudæis sunt cæci, quoniam nihil videntes auditu solo crediderunt, cùm illi signa cernentes contrà facerent: fidem autem ab eis petit, vt ad dignam sui existimationem duceret; neque solum filium Dauid crederent, sed qui posset non tantùm precibus impetrare, sed facere hoc quod petebant. Chrysost.

2. *Tunc* [1] *tetigit oculos eorum, dicens,* [2] *secundùm fidem vestram fiat vobis; & aperti sunt oculi eorum, &* [3] *comminatus est illis* IESVS, *dicens, videte ne quis sciat; illi autem exeuntes* [4] *diffamauerunt eum in tota terra illa.*

Gregor. 19. mor. c. 18.

"Vt occultatio esset custodia propria; publicatio, vtilitas aliena. Gregor.

3. *Egressis*

3. *Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem* [1] *mutum dæmonium habentem, & ejecto* [2] *dæmonio locutus est mutus, &* [3] *mirata sunt turbæ, dicentes, nunquam* [4] *apparuit sic in Israël:* [5] *Pharisæi autem dicebant, in principe dæmoniorum, ejicit dæmones.* Omnium sensuum damna sarciuntur, quia in omnibus læsi; & quoniam quotidie lædimur, quotidie nos sanandos offeramus, neque linguas obtrectatorum metuamus.'' *quid enim dementius?* inquit Chrysost.) nam Christus non solùm dæmones ejiciebat, sed peccata soluebat, & regnum Dei prædicabat, quod dæmon neque posset, neque vellet. Chrys. sup.

4. *Et circuibat* IESVS [1] *omnes ciuitates & castella* [2] *prædicans Euangelium regni, &* [3] *curans omnem languorem.*'' Voluit quippe ipso facto redarguere accusationem Pharisæorum: dæmon enim conuitium passus non benefacit, sed nocet; Dominus post conuitia non solum non punit, sed nec increpauit, quin & beneficia præstitit.) Chrysost.'' Cernis autem quod æqualiter & villis, & vrbibus, & Castellis, id est magnis, & paruis, Idem. Hieron. hîc.

paruis, Euangelium prædicarit; vt non considerarit nobilium potentiam, sed salutem credentium.)

XXXVI.

Sanatur languidus ad piscinam. Ioan. 5.

Feria 6. quatuor Temp. Quadrages.

1. POst hæc erat dies festus Iudæorum, & [1] ascendit IESVS Hierosolymam: est autem Hierosolymis probatica piscina, [2] quinque porticus habens, in his iacebat [3] multitudo magna languentium, expectantium aquæ [4] motum. Angelus autem Domini descendebat [5] secundùm tempus in piscinam, & mouebatur aqua, & qui [6] prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à [7] quacunque detinebatur infirmitate. Quantò amplior piscina Baptismus, Pœnitentia, sacramenta cætera, in quibus non vnus solus, sed quotquot descendunt curantur: sensibus quinque remedium paratum est, & quinque libris legis velamen ablatum, non Angelo, sed Spiritu sancto descendente; commendatur autem diligentia,

gentia, in eo quod priori sanitas deferatur.

2. *Erat autem quidam homo ibi* [1] *triginta octo annos habens in infirmitate sua;* [2] *hunc cùm vidisset* IESVS *iacentem, &* [3] *cognouisset quia iam multum tempus haberet, dicit ei,* [4] *vis sanus fieri? respondit ei languidus, Domine,* [5] *hominem non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam, dum venio enim ego, alius ante me descendit: dicit ei* IESVS, [6] *surge, tolle grabatum tuum & ambula, &* [7] *statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabatum suum & ambulabat.* Magna misericordia, quâ vnum è multis, huncque in infirmitate inueteratum selegit, & ne cogitantem quidem præuenit; magna iustitia, quod cæteros prætermisit; non enim fortuitò in illum incidit, sed cùm omnia cognouisset; neque frustra rogat, vis sanus fieri? beatus, qui in hunc incidit hominem misericordem Deum: Etsi 38 annis iacueris, si volueris, sanus fies. *Tolle grabatum:* " Cùm esses languidus portabat te proximus tuus, sanus factus es? porta proximum tuum.) Aug. tract. 17. in Ioan.

3. *Erat autem Sabbathum; dicebant ergo* [1] *Iudæi, ſabbathum eſt, non licèt tibi tollere grabatum tuum, reſpondit illis,* [2] *qui me ſanum fecit, ille mihi dixit, tolle grabatum tuum & ambula;* [3] *neſciebat autem quis eſſet:* IESVS *enim* [4] *declinauit à turba, poſtea inuenit eum* IESVS *in* [5] *templo, & dixit ei, ecce ſanus factus es, iam* [6] *noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat: abiit ille homo &* [7] *nuntiauit Iudæis, quia* IESVS *eſſet qui fecit eum ſanum.*

Euthym. [1] Non tanquam iniquus vt perderet, ſed tanquam gratus vt benefactorem diuulgaret. Intellige autem quod peior eſt morbo, recidiua morbi.)

XXXVII.

Chriſtus ſe defendit in calumniantibus Phariſæis ac perſequentibus.

Io. 5. *Pars* 1.

1. RESpondit itaque IESVS, *Amen dico vobis, non* [1] *poteſt filius facere à ſe quidquam niſi* [2] *quod viderit Patrem facientem* (non ob defectum potentiæ, ſed

Euthym, propter inſeparabilitatem) *quæcunque*

(igi-

(igitur) *ille* [3] *fecerit, hæc & Filius similiter facit: Pater enim diligit Filium &* [4] *omnia demonstrat ei* (hoc est communicat) *quæ ipse facit, &* [5] *maiora his demonstrabit ei opera, vt vos* [6] *miremini.*

2. *Sicut enim Pater suscitat mortuos & viuificat, sic & Filius quos* [1] *vult viuificat.* Hoc primum maius opus quàm hactenus patrauerat. *Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio.* Hoc alterum opus maius. *Vt* [3] *omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem: qui non* [4] *honorificat Filium non honorificat Patrem qui misit illum. Amen* [5] *dico vobis, qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam & in iudicium non venit, sed transijt à morte ad vitam* (à morte scilicet animæ per peccatum mortuæ, ad vitam gratiæ, & habet iure, merito, & spe vitam æternam, nec veniet in condemnationem.) *Vide* Corn. hîc.

3. *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso;* quia habet eam à se, vt Deus, in se, vt fons vitæ, & in sua potestate, vt Dominus vitæ ac mortis. *Et potestatem*

dedit ei iudicium facere quia Filius hominis est, hoc est, quia incarnari dignatus est, vt idem sit Saluator & iudex, benefactor & vindex; vt iudicet qui iudicatus est, atque vt talem eum videant boni & mali; hi enim vt Deum non videbunt.

4. *Nolite mirari hoc* (quod dixi me posse viuificare mortuos) *quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filij Dei & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in resurrectionem iudicij*. Optima ratio, vt qui bonitatis & misericordiæ Dei & Christi consideratione non mouentur, iudicij commemoratione terreantur.

XXXVIII.

Christus defendit se à calumniantibus Pharisæis. Io. 5. Pars 2.

1. NOn *possum* [1] *ego à meipso facere quidquam; sicut audio* [2] *iudico, & iudicium meum iustum est, quia non* [3] *quæro voluntatẽ meam, sed voluntatem eius qui*

qui misit me. " Bonus iudex nihil ex arbitrio suo facit & domesticæ proposito voluntatis, sed iuxta leges, &c. Ambros. serm. 20. in ps. 118.

2. *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium non est verum*; hoc est, non est omnino legitimum, quia solitarium. *Alius est qui testimonium perhibet de me* scilicet Deus Pater, cùm vox de cœlo venit dicens, *Hic est Filius meus*, &c. vel Ioannes Baptista, ad quem *vos misistis & testimonium perhibuit veritati. Ego autem ab homine testimonium non accipio*, hoc est, non habeo opus vt accipiam, *sed hoc dico vt salui sitis.*

3. *Ille erat lucerna ardens & lucens.* " Ardens in seipso, austeritate conuersationis; erga Christum, feruore deuotionis; erga peccatores, constantia liberæ increpationis: lucens verò exemplo, digito, verbo) *Vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius*: capti sanctitate & zelo, donec vitia reprehenderet, & me pauperem doceret esse Messiam. *Ego autem habeo testimonium maius Ioanne Opera enim quæ dedit Pater vt perficiam; ipsa opera quæ facio testimonium perhi-* Bern ser. in nat. Io. Ba.

perhibent de me quia Pater misit me. Vide quibusnam rebus conciliare oporteat auctoritatem apud auditores, operibus scilicet ex Deo factis.

4. *Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me: neque vocem eius vnquam audiuistis, neque speciem eius vidistis; & verbum eius non habetis in vobis manens, quia quem misit ille huic vos non creditis.* Quasi dicat, ideo non habetis, quia ad ea quæ dicta & ostensa sunt non auscultatis, non aduertitis animum. *Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me; & non vultis venire ad me vt vitam habeatis,* &c. *Quomodo potestis credere qui gloriam ab inuicem accepistis*, vanam, breuem, exilem, & in ea spes vestras collocatis; *& gloriam quæ à solo Deo est non quæritis;* quia per ardua & humilia quærendam doceo, &c.

Euthym.

XXXIX.

XXXIX.

Christus Discipulos vellentes spicas & non ieiunantes excusat. Marc. 2. Matth. 12.

1. FACTUM *est cùm* [1] *Dominus sabbathis ambularet per sata,* [2] *Discipuli esurientes cœperunt vellere spicas & manducare. Pharisæi autem dicebãt ei, Ecce* [3] *quid faciunt sabbathis quod non licet. Et ait illis,* [4] *non legistis quid fecerit Dauid quando esuriit? Quomodo intrauit in domum Dei & panes Propositionis comedit, quos non licebat manducare nisi solus sacerdotibus, & dedit eis qui cum eo erant? Aut non legistis in lege quia sabbathis sacerdotes in templo sabbathum violant, & sine crimine sunt?*

[1] Quod spicas vellunt, &c. signum austerioris vitæ, & c.) exempla verò denotant Christum, Regem, & Sacerdotem, potiore iure hæc sibi vendicare: noluit tamen se talem iactare, sed modestè subiungit, *Dico autem vobis quia templo maior est hic. Si autem* [5] *sciretis quid est, Misericordiam volo & non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes. Dominus* Hieron.

minus enim est Filius hominis etiam sabbathi. Itaque vt misericors compatior esurientibus; vt Dominus dispono de rebus meis.

2. *Et erant discipuli Pharisæorum & Ioannis ieiunantes, & dicunt, quare hi ieiunant, tui autem non ieiunant? Et ait illis, Nunquid possunt filij sponsi lugere & ieiunare quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt.*" Cum discipulis Ioannis quæ societas Phariſęis? nisi quia iunxerat inuidia quos disiunxerat disciplina. Sponsum autem esse Christum testatus fuerat Ioannes; conuenienter igitur discipulis Ioannis respondet, Magistri sui voce.)" Ieiunium verò aut in tribulatione est, ad Deum pro peccatis propitiandum; aut in gaudio, cùm tantò minus carnalia, quantò spiritualium maior est sagina) Augustinus.

Matth. 9.

Chrysol. serm. 31.

Aug. 1 qq Euang. c. 18

3. *Nemo autem immittit commissuram panni rudis (seu noui) in vestimentum vetus, alioqui & nouum rumpit & veteri non conuenit commissura cum nouo. Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres alioquin rumpuntur*, &c. *Et nemo bibens*

bibens vetus statim vult nouum, dicit enim, vetus melius est. Basil.'' Vtres noui sunt qui de die in diem vitæ genus renouant, & vinum nouum de vera vite capiunt; qui verò vitam veterem nondum deposuerunt vtres sunt veteres.) Itaque discipuli mei, cùm aduentu Spiritus sancti facti fuerint noui, noua ieiunia, austeritatemque, sponte, & ex amore suscipient. Vide Cornelium.

" Basil. ho. " in ps. 32.

XL.

Restituitur manus arida. Matth. 12. Marc. 3. Luc. 6.

1. ET *introiuit* [1] *iterum in synagogam, & erat* [2] *ibi homo habens manum aridam; &* [3] *obseruabant eum si sabbathis curaret, vt* [4] *accusarent eum.*'' Vnus quippe erat aridâ manu, plures aridâ mente. Aridam manum habet qui nulla virtutum opera facit.) *Et ait homini habenti manum aridam,* [5] *surge in medium Et dicit illis, Licet sabbathis bene facere, aut malè? animam saluam facere aut perdere? At illi* [6] *tacebant.* Misero enim non bene facere cùm possis, est quasi facere malè.

Athan. ho. de semẽte. Theophyl. Luc. 6.

2. *Et*

2. *Et dixit illis, Quis ex vobis Homo qui habet ouem vnam, & si ceciderit hac sabbathis in foueam, non tenebit & leuabit eam? quantò magis melior est homo oue? Tunc ait homini, extende manum tuam, & extendit, & restituta est sanitati sicut altera.* Quasi dicat, " Ego non te tango, ne habeant Iudæi quod calumnientur; non est prohibitum sabbatho loqui; si autem verbum opus efficiat, admirationi sit ille qui dixit.) Extende & tu manum pro misericordia frequenter ad pauperem, pro hospitalitate sæpius ad peregrinum; pro peccatis semper ad Dominum. *Ne sit manus tua ad accipiendum porrecta, ad erogandum contracta.* Eccli. 4. 36.)

Athan. sup.

Ambr. l. 8.

3. *Exeuntes autem Pharisæi* [1] *consilium faciebant aduersus eum quomodo perderent eum.* IESVS *autem sciens* [2] *recessit inde, & secuti sunt* [3] *eum multi à Galilæa & Iudæa & Hierosolymis, & multos* [4] *sanabat, ita vt irruerent* [5] *in eum vt eum tangerent: vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam. Ecce* [6] *puer meus quem elegi, dilectus meus*, &c. [7] *ponam spiritum meum super eum*, &c. *Non* [8] *contendet, neque clamabit,*

mabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius. Arundinem [9] *quassatam non confringet, & linum fumigans non exstinguet,* &c." Ad teipsum oculos reflecte & aliorum facta caueas iudicare. In iudicando alios homo frustra laborat, sæpius errat, & leuiter peccat. Thom à Kempis l 1.c.14. Vide vt in te hi fructus spiritus inueniantur.

XLI.

Duodecim Apostolorum Electio.

Marc.3 Luc.6.

1. "*Factum est autem in diebus illis exiit* [1] *in montem orare, & erat* [2] *pernoctans in oratione* [3] *Dei; & cùm dies factus esset, vocauit discipulos suos ad se, & elegit* [4] *duodecim ex ipsis quos &* [5] *Apostolos nominauit.*" Non omnis qui orat ascendit in montem; sed qui bene orat à terrenis ad superiora progrediens verticem curiæ sublimis ascendit: ille non ascendit qui de sæculi diuitiis aut de honore sollicitus est; omnes magni, omnes sublimes ascendunt: & ne putes quasi infirmum orare; Potestatis Auctor Obedien-

In festo S. Bartholomæi.

"Ambr.l.5. "in Luc. " " " " " " " "

dientiæ magister est, Aduocatus est; non quasi infirmus, sed quasi pius obsecrat. Quid te pro salute tua facere oportet quando pro te Christus in oratione pernoctat? quid facere oportet cùm vis officium pietatis adoriri, &c.

2. *Et fecit vt essent cum* [1] *illo, & vt* [2] *mitteret eos prædicare; & dedit illis* [3] *potestatem curandi infirmitates, &* [4] *eijciendi dæmonia.* Hæc Apostolorum præcipua munera ordine digesta; initium enim ducendum ab vnione cum Christo, & delectatione in dulci eius conuersatione, tum cætera amplectenda.

3. *Et imposuit Simoni nomen Petrus; & Iacobum Zebedæi & Ioannem fratrem Iacobi, & imposuit eis nomina Boanerges, quod est filij tonitrui.* Nomina immutat vt intelligamus alios nos prorsus esse oportere cùm ad gradum tam sublimem assumimur; inter humana firmissimi, inter cœlestia maximè conspicui. "Eligitur
Ambr. ibid. "tamen & Iudas non per imprudentiam,
" sed per prouidentiam. Quanta est veri-
" tas quam nec aduersarius minister in-
" firmat! quanta moralitas Domini, qui
" periclitari apud nos iudicium suum

quàm

quàm affectum maluit! suſceperat enim hominis fragilitatem, ideo nec has partes recuſauit infirmitatis humanæ, vt tu ſi a ſocio deſertus aut proditus fueris moderatè feras tuum erraſſe iudicium, perijſſe beneficium.) Victor aliam cauſam dat. "Vt palam fieret non hominum naturam, ſed liberam voluntatem in cauſa eſſe cur pereant.) Et Euthymius, "Elegit Iudam qui tunc bonus erat, oſtendens ſe bonum recipere donec malus efficiatur.)

Victor Marci 3.

Euthym. ibid.

XLII.

De ſermone Chriſti in monte. Matth. 5. Luc. 6. *Pars* 1.

In feſto omnium SS.

1. VIdens [1] IESVS *turbas* [2] *aſcendit in montem.* "In altitudine enim ſpiritualium virtutum conſiſtere debet qui docet iuſtitiam Dei, pariter & qui audit: ſi in terra eſt animus quid de cœlo loqueris?) *Et cùm ſedisſet,* [3] *acceſſerunt ad eum diſcipuli &* [4] *aperiens os ſuum.* "Tanquam vas ſcilicet plenum aromatibus odoriferis ſublimium præceptorum.)

Auctor Imperfecti.

Gregor. 4. mor. 4.

rum.) *docebat eos* & multitudinem copiosam plebis circumfusam.

2. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Fundatum in abiectione, exspoliatione & contemptu rerum terrenarum, "vt inde incipiat beatitudo iudicio diuino, vbi ærumna æstimatur humano,) & regnum Christi sicut finem, ita contrarium omnino habeat principium cum regnis mundi, sic enim edicitur apud Lucam, *Va vobis diuitibus qui habetis consolationem vestram*; quasi dicat, regnum vestrum, nec aliud potestis alibi exspectare. Beati sanè pauperes spiritu qui non cœlestia tantùm, sed" possident & terrena, tanquam nihil habentes & omnia possidentes, eo magis domini quo minus cupidi; Auarus enim terrena esurit vt mendicus, fidelis contemnit vt Dominus, &c.)

Ambr. de offic. 16.

Bern. ser. 21. in Cāt.

3. *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram.*" Homo non poterit esse mitis, nisi priùs fuerit pauper spiritu; non enim ,, fit mare tranquillū nisi cessauerint venti, non extinguitur ignis nisi materiam ,, incendij subtraxeris) Sapientis etiam ,, est consilium, *Fili in mansuetudine ope-*

Chromat. apud. Cor.

Eccl. 3. 19.

ra

ra tua perfice, & super gloriam hominis di- "
ligeris. " Nihil enim mansuetudine est " Chrysost.
violentius, nam sicut rogum aqua ex- " hom. 58.
stinguit, ita animum exardescentem " in Gen.
cum mansuetudine prolatum verbum.) "

4. *Beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur*: quasi obiectioni occurreret, si neque in diuitiis, neque in potentia gloriandum, quæ consolatio? in ipso luctu: non cùm de amissione opum, parentum, amicorum lugemus; quando prospera & aduersa mundi æquè omnia cooperantur in bonum, sed cùm " Religiosâ tristitiâ aut alienum peccatum lugetur aut proprium; nec de hoc dolet quis quod diuina iustitia agitur; sed de eo mœret quod humana iniquitate committitur) *Cor enim quod nouit amaritudinem animæ suæ* (rectè videlicet collocare) *in gaudio eius non miscebitur extraneus.* sed erunt lacrymæ eius panes die & nocte. Leo ser. in festo omn. SS. Prou. 14. v. 10.

XLIII.

De sermone Christi in monte. Pars 2.

1. *BEati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.*

Leo in ser. omn. Sanct. "Nihil hæc obliuio corporeum, nisi hil expetit sitis ista terrenum, sed iustitiæ bono desiderat saturari, ipso Domino optat impleri; illius primi mandati apprehendens veritatem. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c, quoniam nihil est aliud diligere Deum quàm amare iustitiam.) Et Hieron. hîc. Hieron." Non nobis sufficit velle iustitiam, nisi iustitiæ patiamur famem, vt sub hoc exemplo nunquam nos satis iustos, sed semper esurire iustitiæ opera intelligamus.

2. *Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur.* S. Leo sup. "Sicut dilectioni Dei, proximi cura subiungitur, ita desiderio iustitiæ virtus misericordiæ copulatur.) Et Aug. in psal. 36. Aug." Attende quid facit fœnerator, minus vult dare & plus accipere, hoc fac & tu; da terram, accipe cœlum.)

cœlum.) Item S Hieron. "Misericordia non solùm in eleemosynis intelligitur, sed in omni peccato fratris, si alter alterius onera portemus, &c.) "Hieron. "sup. " "

3. *Beati mundi corde quoniam ipsi Deum videbunt.* "Non est desperanda apprehensio puritatis, quæ dum semper appetitur; nec semper accipitur, nec remanet iudicio condemnandum quod fuerit confessione purgatum.) Gradus autem, ad Dei Visionem non solùm in cœlo adipiscendam, sed etiam in hoc mundo per eius puram & defœcatam, suauemque cognitionem, traduntur ex Cassiano isti, "Principium nostræ salutis timor Domini; de timore nascitur compunctio; de compunctione contemptus rerum terrenarum & nuditas; de nuditate humilitas; de humilitate mortificatio voluntatum; de mortificatione expulsio vitiorum; de hac expulsione succrescunt virtutes; de pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur; sic enim profitetur S. Leo," Quid est habere cor mundum, nisi eis quæ supradicta sunt studere virtutibus. Meritò autem hæc beatitudo promittitur puritati; splen-

Leo ser. 12. de Quadr.

Vide Corn. hîc. Cassian. l. 4. vit. Patr. c. 31.

Leo ser. in festo omn. Sanct. c. 7.

dorem enim veri luminis sordens acies videre non potest.) Duabus alis Homo
Th. à Kẽp. subleuatur à terrenis, &c. Thom. Kemp. lib. 2. c. 4.

XLIV.

De sermone Christi in monte. Pars 3.

1. BEati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur.'' Qui iurgia seminant,
Gregor. 3. cuius sunt sequaces agnoscant; quia si
par. Pastor. filij Dei vocantur qui pacem faciunt
Adm. 24. proculdubiò Satanæ sunt filij qui confundunt.) Pacifici igitur sunt qui pacem cum Deo habentes alios Deo & proximo conciliare studeant; verè filij Dei, quia illi similes, & eius officium explentes, qui dici voluit, *Princeps pacis.*
Leo sup. c. 8 '' Hanc pacem etiam arctissima amicitiarum vincula, & indiscretæ similitudines animorum non veraciter sibi vendicant, si non cum Dei voluntate concordent.) Thom. Kemp. l. 2. c. 3. '' Tenete primò in pace, &c.)

2. *Beati qui persecutionem patiuntur*
Chrysost. *propter iustitiam, quoniam ipsorum est re-*
ser. de pro- *gnum cœlorum.*'' Ne proditum lugeas,
dit. Iudæ. ne

ne traditum fleas, sed proditoris factum ingemisce, & futura eius lamentare supplicia) In hac autem vita etiam vtilis est persecutio , quia separat à mundo, iungit Deo, similes reddit Christo, resecat vitia, torporem excutit.'' Gloriari in tribulatione non est graue amanti, &c.) Thom. Kemp. l. 2. c. 6. n. 2.

3. *Beati estis cùm* [1] *maledixerint vobis homines, & cùm vos* [2] *separauerint &* [3] *reprobauerint & eiecerint* [4] *nomen vestrum tanquam malum, & dixerint* [5] *omne malum aduersus vos,* [6] *mentientes propter me, gaudete* [7] *& exultate quoniam merces vestra* [8] *copiosa est in cœlis, sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.*'' Ad Apostolos qui aderant sermonem dirigit ostendēs Doctoribus proprium esse probris affici ; ideo & Prophetas adducit illis in exemplum, & simul Prophetis eos adæquans eorum mentes erigit. Obserua autem post quot præcepta posuerit beatitudinem tolerandæ persecutionis, quod omnibus virtutibus prædictis oportet adiutum esse , qui hæc certamina aggreditur, &c.) Euthymius. Euthym. hîc.

'' Non es sanctior si laudaris, nec vilior

si vituperaris, &c.) Thom à Kemp. sup. num. 3.

XLV.

Apostoli sal & lux. Matth. 5. 19.

In communi Doctorũ.

1. VOs estis [1] *sal* [2] *terræ; quòd si sal euanuerit* [3] *in quo salietur? Ad* [4] *nihilum valet vltra nisi vt mittatur foras &* [5] *conculcetur ab hominibus.* Sal symbolum est prudentiæ; condit insipida & sapida conseruat, acrimoniâ suâ expurgat noxium humorem & constringit, sitim prouocat, denique res est summopere vtilis, vniuersaliterque necessaria; ita doctrina Apostolica, Apostolicique viri prædicatione & exemplo miscentes se populis ad meliora eos condiunt atque conseruant, si rectè suo fungantur munere, si negligant conculcantur.

Greg. hom. 17. in Euãg.

" Quid animas hominum nisi cibum Domini dixerimus? huius cibi condimentum nos esse debuimus, &c.

2. *Vos estis* [1] *lux* [2] *mundi: non potest* [3] *ciuitas abscondi supra montem posita; neque accendunt* [4] *lucernam & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat* [5] *omni-*

[5] *omnibus qui in domo sunt:* [6] *sic luceat lux vestra coram hominibus vt videant opera vestra bona, &* [7] *glorificent Patrẽ vestrum qui in cœlis est.* Lux, non sol; solenim Christus est; à quo lux emicat & dependet; lux non vnius gentis, sed mundi.'' Per parabolam autem ciuitatis, ad vitæ perfectionem & munitionem eos inducit, tanquam sub omnium oculis ponendos, & in medio mundi theatro certantes.) Similia sub vocabulo lucernæ & tædæ denotantur. Euthym. hîc.

3. *Nolite* [1] *putare quoniam soluere legem aut prophetas; non veni soluere, sed* [2] *adimplere. Amen quippe dico vobis donec transeat cœlum & terra, iota* [3] *vnum aut vnus apex,* [4] *non præteribit à lege donec omnia fiant.*'' Esto vigilans & diligens in Dei seruitio, &c. Thom. à Kemp. li. c. 25.

4. *Qui ergo soluerit* [1] *vnum de mandatis istis* [2] *minimis, & docuerit sic homines,* [3] *minimus vocabitur in regno cœlorum.*'' Quia cuius vita dispicitur, cùm opere non vult implere quod docet, restat vt eius prædicatio contemnatur.) *Qui autem fecerit* [4] *& docuerit, hic* [5] *magnus vocabitur in regno* [6] *cœlorum.* Mini- Greg. hom. 12. in Euãg.

ma autem vocat mandata ad Phariſæos & tepidos reſpiciens, quaſi dicat, quæ vos exiſtimatis minima." Propter leuitatẽ cordis, & negligentiam defectuum noſtrorum non ſentimus animæ noſtræ dolorem, &c.) Th. à Kemp. l. 1. c. 21. n. 2.

XLVI.

Abundantior iuſtitia docetur. Matth. 5. 20.

Domin. 5. poſt Pentec.

1. DIco autem vobis, niſi [1] *abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non* [2] *intrabitis in regnum cœlorum.* Præcellit doctor, excellit & doctrina, reſtat vt & diſcipuli vitam inſtituant excellentiorem. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, Non occides,* &c. *Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo reus erit iudicio, qui autem dixerit fratri ſuo Racha,* &c. " Per gradus culpæ creſcit ordo ſententiæ, ira

Idem 21. mor. c. 5.

" ſine voce, ira in voce, ira in voce atque
" ſermone, omnis redarguitur, ſed diſſi-
" militer iudicatur.) Gregor.

2. *Si ergo affers munus tuum ad altare,*

re, & [1] ibi recordatus fueris quia frater tuus habet [2] aliquid aduersum te, [3] relinque ibi munus tuum ante altare & vade [4] priùs reconciliari fratri tuo, & [5] tunc veniens offeres munus tuum. '' Ecce à discordantibus non vult accipere sacrificium.) Et Tertullianus, '' Quomodo placabit Patrem iratus in fratrem?) intelligit igitur, cùm frater habet iustè aliquid aduersum me, quia illum offendi; alioqui res esset consilij, non præcepti,) *Cornelius.*

Greg. ho. 8. in Ezech. Tertull. l. de orat. c. 10.

3. *Esto consentiens aduersario tuo [1] citò dum es in [2] via cum eo, ne fortè tradat te iudici, & iudex tradat te ministro, & in [3] carcerem mittaris: amen dico tibi, non exies inde donec reddas [4] nouissimum quadrantem.* Aduersarius hic variè à variis accipitur, alij conscientiam, alij Deum, aut Dei legem; alij hostem quemcunque; alij quemcunque à nobis iniustè læsum; cum his in via vitæ huius consentiendum in bonum: nam quis est qui nouit quàm districtè iudicet, quàm seuerè puniat Deus?

4. *Audistis quia dictum est oculum pro oculo, & dentem pro dente. [1] Ego autem*

dico vobis, non resistere malo; sed si quis te percusserit [2] *in dexteram maxillam præbe illi & alteram, & ei qui vult tecum iudicio* [3] *contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: & quicumque angariauerit te mille passus, vade cum* [4] *illo alia duo;* [5] *qui petit à te da ei, & volenti mutuari à te ne auertaris.*

Feria 6. post Cineres.

5. *Audistis quia dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: Ego autem dico vobis,* [1] *Diligite inimicos vestros,* [2] *bene facite his qui oderunt vos; &* [3] *orate pro persequentibus, & calumniantibus vos: vt sitis* [4] *filij Patris vestri qui in cœlis est, qui* [5] *solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* [7] *Nonne & publicani hoc faciunt. Et si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt?*

XLVII.

XLVII.

Præcepta de Eleemosyna, Oratione & Ieiunio. Matth. 6. 1.

1. *ATtendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est. Cùm ergo facis eleemosynam noli tubâ canere ante te, &c. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam nesciat sinistra tua quid faciat dextera, vt sit eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi.*" Quid multos aduocas testes, si fieri potest ne domestici quidem conscij sint.) Simul attende quòd dextrâ manu facienda sit eleemosyna, hoc est, eâ quæ sicut ad omne opus magis est prompta, ita ad istud esse debet promptissima. Chrysost. de laude Mon.

2. *Et cùm oratis non eritis sicut hypocritæ, &c. Tu[1] cùm oraueris intra in cubiculum tuum, &[2] clauso ostio ora[3] Patrem tuum in abscondito, & Pater tuus qui[4] videt in abscondito, reddet tibi. Orantes autem*

tem [6] *nolite multum loqui*, &c. *Scit* [7] *enim Pater vester quid opus sit vobis antequam petatis. Sic ergo orabitis, Pater* [8] *noster*, &c.

Ambros. 6. de Sacram. c. 3.

" " Bene addit *Intra*, nec sic ores quomodo Iudæus, cui dicitur, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me: non ergo de labiis tantummodo tua procedat oratio, animo totus intende, intra in recessum pectoris tui, totus ingredere: Non te perfunctoriè videat ille cui placere desideras; videat quia ex corde oras, vt te ex corde orantem dignetur audire.)

Feria 4. Cinerum.

3. *Cùm autem ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas* (hoc est immutant pallore & seueritate affectata) *vt appareant hominibus ieiunantes*, &c. *Tu autem cùm ieiunas vnge caput tuum & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo qui est in abscondito, & Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi.*

Basilius hom. 1.

" " Animam à peccatis ablue, vnge caput vnguento sancto vt concordiam habeas cum Christo; siquidem hypocrita est vetus histrio qui in theatro personam sustinet alienam: Heri, cùm sit seruus; Regis,

cùm

cùm sit priuatus.) "Intuere SS. Patrum "
viuida exempla in quibus vera refulsit "
perfectio & religio, &c. Th. à Kemp. l. "
1. c. 18. "

XLVIII.

Nimia sollicitudo prohibetur.
Matth. 6. 19.

1. *NOlite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur:* & mille alij casus possunt in dies & in horas incidere, quibus humana prouidentia nulla sufficit cauendis *Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, vbi neque ærugo, &c. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* "Thesaurus igitur "Ambros.
tuus sit fides, pietas, misericordia, The- "ser. 12. in
saurus tuus sit Christus.) Ambrosius. "ps. 118.

2. *Lucerna corporis tui est oculus tuus: si oculus tuus fuerit simplex totum corpus tuum lucidum erit; si autē fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Augustinus & Gre- Aug. Greg.
gorius hęc transferunt ad Intentionem,
quâ facit quisque quod facit: Ambro- Ambros.

Hieron. sius & Hieronymus, ad Prælatos in Ecclesiæ corpore: vnde & Chrysostomus, Chrysost. in ps. 4. "Quando gubernator est ebrius, & fluctuum ac ventorum imitatur inconstantiam ac perturbationem, quomodo fieri potest vt nauis seruetur?) in psalm. 4.

Domin. 14. post Pentec. 3. *Nemo potest duobus Dominis seruire, aut enim vnum odio habebit & alterum diliget, aut vnum sustinebit & alterum contemnet.* Hoc sicut ad sequentia, ita ad superiora etiam pertinet: nemo enim vno oculo sursum, altero deorsum aspicere potest. *Non potestis Deo seruire & mammonæ. Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori quid induamini. Nonne anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentum?* quasi dicat, " qui maiora præstitit minora præstabit.) Significat autem quòd nullâ in re præposterè affici debeamus. *Respicite volatilia cœli, &c. Considerate lilia agri, &c. Quis autem vestrum cogitans potest adĳcere ad staturam suam cubitum vnum? &c.*

Hieron. hìc. 4. [1] *Quærite ergo* [2] *primùm* [3] *regnum Dei &* [4] *iustitiam eius & hæc* [5] *omnia adĳcien-*

adijcientur vobis. Nolite ergo [6] *solliciti esse in crastinum: crastinus* [7] *enim dies sollicitus erit sibiipsi:* [8] *sufficit diei malitia sua.* Hoc est, labor, afflictio & præsentis temporis cogitatio. "Cùm verò Dei sint omnia, habenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit.)" Ideo autem de istis necessariis solliciti non sumus quia cùm hæc possumus agere, ille nos pascit & vestit, à quo pascuntur homines ac vestiuntur. Cùm verò hæc non possumus agere, idem ipse nos pascit ac vestit à quo aues pascuntur, & lilia vestiuntur: quoniam nos plures sumus illis, &c.)" Quando homo ad hoc peruenit quòd de nulla Creatura consolationem suam quærit, tunc ei Deus primùm perfectè sapere incipit, &c.) Th. à Kemp. l. 1. c. 25. n. 10.

Hieron. Cyprianus de or. Dominic. 8. Auguſt. de oper. Mon. c. 27.

XLIX.

Varia Documenta. Matth. 7. 1. Luc. 6.

1. *NOlite iudicare & non iudicabimini, noli condemnare & non condemnabimini, in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini & in qua mensura mensi fueri-*

Dom. 1. post Pentecost.

Auguſt. ser. 202. de Tem. 1. Cor. 5. 5.

„ *fueritis remetietur vobis.*" De iſtis enim „ quæ ſunt Deo nota & nobis incognita „ periculosè iudicamus, ſicut dicit Apoſtolus: *Nolite ante tempus iudicare quoadusque veniat Dominus*, &c.)

Bernard. ser. 11. in Cant.

2. *Dimitte & dimittemini, date & dabitur vobis; Menſuram bonam & confertam & cogitatam & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum.*" Sed hiſce velim cuius rei futura ſit illa menſura, vel potiùs illa immenſitas quæ repromittitur. Oculus non vidit, Deus abſque te quæ præparaſti diligentibus te.)

Aug ſer. 16 de verbis Dom.

3. *Nunquid poteſt cæcus cæco ducatum præſtare, nonne ambo in foueam cadent? Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum; perfectus autem omnis erit ſi ſit ſicut magiſter eius. Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo eſt non conſideras*, &c. *Hypocrita eijce primùm trabem*, &c." Feſtuca in oculo, ira „ eſt; trabs in oculo, odium eſt: trabs „ quando naſcitur priùs feſtuca eſt; ri„ gando feſtucam perducis ad trabem; „ alendo iram malis ſuſpicionibus perdu„ cis ad odium.)

4. *Petite & dabitur vobis, quærite & inue-*

inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, &c. Aut quis est ex vobis Homo quem si petierit filius suus panem nunquid lapidem porrigit ei: aut si piscem petierit, nunquid serpentem porrigit ei? si erga vos cùm sitis mali nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester qui in cœlis est dabit bona petentibus se. "Si vis habere iustitiam esto mendicus Dei.) Aug. " Aug. s. 5. " de verb. Dom.

5. *Omnia ergo quæcunque vultis vt faciant vobis homines & vos facite illis. Hæc est enim lex & Prophetæ.* "Ex vobisipsis agnoscite quid vos oporteat aliis exhibere: hinc Paulus omnia omnibus factus est vt omnes lucrifaceret; condescendendo non cadendo.) "Non dicit Christus quæ vobis fecerint homines eadem & vos facite eis ne malum crederemus pro malo reddendum, &c.) " Greg. 6. " mor. 23. " " " "Vis laudari, lauda; vis honorari, honora; vis misericordiam assequi, miserere; vis non malè audire, ne tu malè dixeris.) Chrysost. " August. " " " " Chrysost. " in ps. 4.

6. *Intrate per angustam portam, quia lata porta est & spatiosa via, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam,*

eam, quàm angusta porta & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam." Via Dei & inchoantibus
Greg ho.,, 17.in Eec.,, angusta est, & perfectè iam viuentibus
,, lata. Ipsa etiam angusta porta amantibus
,, bus lata fit, dumque scit animus se pro
,, temporalibus æterna gaudia recipere,
,, & hoc incipit quo affligitur amare.
,, Gregor.hom.17.in Ezech.

L.

Cauendi falsi Doctores. Matth.7.15.

Dom.7. post Pentecost. 1. [1] *ATtendite à falsis Prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ouium,* [3] *intrinsecus autem sunt lupi rapaces:* [4] *à fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis* [5] *arbor bona bonos fructus facit; mala autem arbor malos fructus facit: non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.* [6] *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur.*" Nec
Hieron,, cap.5.in ,, ep.ad Gal.,, spiritus vnquam potest ea vitia quæ in carnis operibus numerata sunt facere; nec caro his fructibus qui oriuntur ex

spiritu

spiritu redundare. Potest autem fieri « per negligentiam possidentis vt spiritus « qui versatur in homine non habeat fru- « ctus suos, & è contrario caro operibus « suis mortificatis peccare desistat.) «

2. *Non*[1] *omnis qui dicit mihi, Domine, Domine intrabit in regnum cælorum, sed qui*[2] *facit voluntatem Patris mei qui in cælis est.*[3] *Multi dicent mihi in illa die, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis quia nunquam noui vos; Discedite à me qui operamini iniquitatẽ.*" Qualis est enim illa confessio quæ sic Deo credit vt pro nihilo ducat eius imperium? aut quomodo ex animo dicimus Domine, si eius quem Dominum confitemur præcepta contemnimus.) Hieronymus. Hieron. ep. ad Celant.

3. *Omnis ergo qui audit verba mea*[1] *& facit ea æstimabitur viro*[2] *sapienti qui ædificauit domum suam supra petram, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, &*[4] *non cecidit, fundata enim erat supra petram. Et omnis qui audit verba*

mea

mea hæc & non facit ea, similis est viro stulto qui ædificauit domum suam super arenam, & descendit pluuia, &c. & cecidit, & fuit ruina eius magna. Petram intellige Christum aut Christi solidas virtutes aut firmum propositum mentis, iuxta illud Chrysostomi," Illud verò aliud ædificium facilè subuertitur, non præ tentationum violentiâ, alioquin & primum corruisset; sed pro fundamenti, id est, propositi infirmitate. Non lapsus causa tentatio est, sed instabilitas animi, & ignauia, quæ etiam sine tentatione interdum sponte deijcitur, nam & arenæ sponte rumpuntur; adamas verò nec malleis frangitur.) Homil. Quod nemo læditur nisi à seipso.

Chrysost. ho. quod nemo læd.

LI.

Leprosus curatur & Centurionis Puer.
Matth. 8. Marc. 1. Luc. 5. & 7.

Dom. 3. post Epiphan. Orig. ho. 3. in diuersis.

CVm autem descendisset de monte secutæ sunt eum turbæ multæ, quidam propter charitatem, plerique propter doctrinam, nonnulli propter curationem

tionem, &c.) *Et ecce* [2] *leprosus veniens* [3] *adorabat eum*, (" vt in Domino potestatis auctoritas, in illo fidei constantia declararetur) *dicens, Domine si* [4] *vis potes me mundare*;" non dixit si Deum inuocaueris;) *&* [5] *extendens manum* IESVS *tetigit eum*," vt nos doceret nullum spernere aut horrere, & quia sol erat incomparabilis) *dicens* [6] *volo*, [7] *mundare*; quasi dicat, non dubitasti credere, non tardo sanare; *&confestim* [8] *mundata est lepra eius. Et ait illi* IESVS, *vide nemini dixeris*, (" ne lepra transire possit in medicum) *sed vade* [9] *ostende te sacerdoti, &* [10] *offer munus quod praecepit Moyses, in testimonium illis*, meæ potentiæ & erga legem obseruantiæ.

Ambros.l. 5.in Luc.

Euthym.

Orig.sup.

Ambr.sup.

2. *Cùm autem introisset Capharnaum* [1] *accessit ad eum Centurio*," non carne, sed corde, non corporis præsentiâ, sed fidei potentiâ) dicitur enim apud Lucam, *Misit ad eum Seniores Iudæorum rogans vt veniret & saluaret seruum eius; & cùm non longe esset à domo misit nuncios, dicens, Domine non sum dignus*, &c." Accessit igitur externus genere, sed mente domesticus) *rogans eum & dicens, Domi-*

Aug. l. 33. cõtra Faust. c. 8.

Feria 5. post Cineres.

Orig.sup.

Idem.

ne, [2] *puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.*'' Multi pro diuersis infirmitatibus, hic solus pro seruo rogat, dicens, mihi hic seruus est, & ego Creatoris; si ego huius non misereor, quomodo ille mei? neque tamen opus est eum ostendere omnia videnti.)

3. *Et ait illi* IESVS, [1] *Ego veniam & curabo* [2] *eum. Et respondens Centurio ait, Domine non* [3] *sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantùm dic* [4] *verbo & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub* [6] *potestate constitutus, & habeo* [7] *sub me milites, & dico huic,* [5] *vade & vadit, & alij, veni & venit, & seruo meo, fac hoc & facit.* Aug. serm. 74. de temp.''. Tecto non recipiebat, corde recipiebat: quanto humilior, tanto capacior, tanto plenior.) '' Quid sibi vult ista piissima dignatio? &c.) Th. à Kemp. l. 4. c. 1. n. 3.

4. *Audiens autem* IESVS [1] *miratus est,* (quasi admirans quid nobis mirandum esset significauit) *& sequentibus se dixit, Amen dico vobis non* [2] *inueni tantam fidem in Israël: dico autem vobis quòd multi ab Oriente & Occidente venient, &* [3] *recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob*

in

in regno cœlorum: filij [4] *autem regni eijcientur in tenebras exteriores, ibi erit* [5] *fletus & stridor dentium. Et dixit* IESVS *Centurioni, vade,* [6] *sicut credidisti fiat tibi; & sanatus est* [7] *puer in illa hora.*'' Dolendum valdè & miserandum super tepiditate nostra, &c.) Th. à Kemp. ibid. n. 11.

LII.

Filius viduæ suscitatur. Luc. 7. 11.

1. *ET factum est deinceps,* [1] *ibat in ciuitatem quæ vocatur Naim* (sic dicta propter pulchritudinem) *& ibant cum eo* [2] *discipuli eius, &* [3] *turba copiosa. Cùm autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce* [4] *defunctus efferebatur* [5] *filius vnicus matris suæ & hæc* [6] *vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa.*'' Iuit in ciuitatem, &c. ne essent quandoque qui dicerent Centurionis seruum omnino moriturum non fuisse, &c.) Titus Botrens. Quid autem profuit ad vitam prorogãdam pulchritudo aut fortitudo loci, aut turba obsequens, aut iuuentus, aut quod vnicus? Rectè igitur consulebat ille. '' Ne glo-

Dom. 15. post Pentec. & feria 5. post 4. Quadrag.

Titus hîc.

glorieris in diuitiis si adsint, nec in amicis, &c.) Th. à Kemp l. 1. c. 7. n. 2.

2. *Quam cùm* [1] *vidisset Dominus* [2] *misericordiâ motus super eam, dixit illi,* [3] *noli flere.* " Desiste quasi mortuum flere, quem mox viuũ resurgere videbis,) vel cum Ambrosio, " Flere prohibetur eum cui Resurrectio debebatur; docemurq; vt non diutius inhęreamus mortuis, sed quantum est officij deferamus.) *Et accedens* [4] *tetigit loculum: hi autem qui portabant* [5] *steterunt.* " Nam cùm caro eius illi effecta sit propria qui viuificat omnia fit vt ipsa quoque viuifica sit, mortemque & corruptionem interimere idonea.) Titus, " Domine, benedictum sit verbum tuum dulce super mel & fauum: quid facerem in tantis tribulationibus meis, nisi me confortares, &c.) Th. à Kemp. l. 3. c. 57. n. 4.

Beda.

Ambr. de obitu fratr.

Titus.

3. *Et ait,* [1] *Adolescens tibi* [2] *dico,* [3] *surge: &* [4] *resedit qui erat mortuus & cœpit* [5] *loqui, &* [6] *dedit illum matri suæ. Accepit autem omnes* [7] *timor &* [8] *magnificabant Deum, dicentes, quia Propheta* [9] *magnus surrexit in nobis, & quia Deus* [10] *visitauit plebem* [11] *suam. Et exiit* [12] *hic sermo in*

uni-

vniuersam Iudæam, & in omnem circa regionem." Quæ est ista tuba, quæ inferis infert bellum, sepulchri resoluit moles, mortuis intonat vitam? Tuba quæ in principio mundum vocauit ex nihilo, ipsa in nouissimo mundum reuocabit ex perdito; & quæ initio hominem suscitauit ex limo, ipsa in fine hominem resuscitabit ex puluere.) "At quid ego egi Domine vt mihi conferres aliquam cœlestem consolationem, &c.) Thom. à Kemp. l. 3. c. 52. n. 2.

„ „ " Chrysol. " ser. 103. " " " " " "

LIII.

Ioannis ad Christum legatio.
Matth. 11. Luc. 7. 18.

1. IOannes autem cùm audisset in vinculis opera Christi mittēs duos de discipulis suis, ait illi, *Tu es qui venturus es an alium exspectamus?*" Non quasi ignorans interrogat, sed vt per hanc occasionem videntes discipuli signa atque virtutes crederent in eum & Magistro interrogante, sibi discerēt.) *In ipsa autem hora multos curauit à languoribus*, &c. *Et respondens* IESVS *ait illis, Euntes renun-*

Domin. 2. Aduentus.

Hieron. Matth. 11.

ciate Ioanni quæ audistis & vidistis, cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur, & beatus qui non fuerit scandalizatus in me." (Operibus ipsis demonstrat se perfectorem diuinarum operationum quæ per Prophetarum vocem de se dictæ erant.)[3]" Neque minus est pauperes euangelizare; hoc enim magistri rigorem, hoc præceptoris comprobat veritatem, quando omnis apud eum, qui saluari potest, æqualis est.)

Cyrillus de recta fide ad regin. Hieron. hîc.

2. *Illis autem* [1] *abeuntibus cœpit* IESVS *dicere ad turbas de Ioanne, Quid existis in desertum videre,* [2] *arundinem vento agitatam? sed quid existis videre?* [3] *hominem mollibus vestitum? ecce qui* [4] *mollibus vestiuntur in domibus regum sunt: sed quid existis videre? Prophetam?* [5] *etiam dico vobis & plusquam Prophetam,* Vide Ambr. lib. 5 in Lucam, & singula perpende, vt qualis esse debeas intelligas.)

3. *Hic est enim de quo scriptum est, Ecce ego mitto* [1] *Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam* [2] *tuam ante te. Amen dico vobis, non surrexit inter natos*

tos mulierum ³ *maior Ioanne Baptista; qui autem minor* ⁴ *est in regno cœlorum, maior est illo.*" Minor natiuitate, maior po testate, &c.) & Ambros " qui natus est ex Virgine ipse super omnes est) Conuersatione ergo sis Angelus, vt maior homine, possis ante faciem Christi comparere.

"Aug tr. "13 in Io. "Ambr. in "ps. 43.

4. *A diebus autem Ioannis Baptistæ vsque nunc regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*" Primus Ioannes pœnitentiam populis nunciauit: grandis autem violentia est, nos in terris generatos cœlorum sedem quærere; possidere per virtutem quod tenuimus per naturam.) Conandum tamen: Rectè enim Paulus, omnia possum in eo qui me confortat.

"Hieron. "hîc.

5. *Cui autem similabo generationem istam, &c. Venit enim Ioannes neque manducans neque bibens, & dicunt dæmonium habet: venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt Ecce homo vorax & potator vini, Publicanorum & peccatorum amicus Et iustificata est sapientia à filiis suis.*" Ostendit filios sapientiæ intelligere nec in manducando, nec in abstinendo

„ do esse iustitiam, sed in æquanimitate
„ tolerandi inopiam, & in temperantia
„ per abundantiam non se corrumpendi,
&c.) Augustinus. Vel, *iustificata est*, hoc est, probata, seu defensa, quod nihil omiserit ad salutem hominum necessarium.

LIV.

Peccatricis in domo Pharisæi Conuersio. Luc. 7. 36.

Feria 5. post Dom. Pass. Feriæ 6. 4. Temp. 7. & in festo S. Magdalæ. Chrysol. ser. 93.

1. [1] *ROgabat autem illum quidam de Pharisæis vt manducaret cum illo, & ingressus domum Pharisæi* [2] *discubuit.* „ Non accepturus Iudaicos cibos, sed diuinam misericordiam largiturus.) *Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt* [3] *cognouit quòd* IESVS *accubuit in domo Pharisæi, attulit* [4] *alabastrum vnguenti, & stans* [5] *retro secus* [6] *pedes eius lacrymis* [7] *cœpit rigare pedes eius, &* [8] *capillis capitis sui tergebat, &* [9] *osculabatur pedes eius &* [10] *vnguento vngebat.*" Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se inuenit holocausta.)

Gregor. hom. 32.

„ 2. [1] *Videns autem Pharisæus qui vocauerat*

cauerat eum ait intra se, Hic [2] *si esset Propheta, sciret vtique quæ & qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est. Et respondens* IESVS *dixit ad illum, Simon,* [3] *habeo tibi aliquid dicere; at ille ait, Magister, dic. Duo* [4] *debitores erant cuidam fœneratori; vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta; non* [5] *habentibus illis vnde redderent,* [6] *donauit vtrisque. Quis* [7] *ergo eum plus diligit? Respondens Simon dixit,* [8] *æstimo, quia is cui plus donauit. At ille dixit ei,* [9] *Rectè iudicasti.* " Rectè iudicauit, qui malè cogitauit; sed laudatur sententia vt excusatio adimatur.) " Quid dicam reus & omni confusione plenus, &c.) Thom. à Kem. l. 3. c. 52. n. 3.

" Ambros. " de Tob. " c. 22.

3. *Et* [1] *conuersus ad mulierem dixit Simoni Vides* [2] *hanc mulierem?* [3] *Intraui domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit.* [4] *Osculum mihi non dedisti, hæc autem ex quo intrauit non* [5] *cessauit osculari* [4] *pedes meos.* [7] *Oleo caput meum non vnxisti, hæc autem vnguento vnxit pedes meos.* " Pedes Christi qui sunt? nisi per quos peragrauit mundum?

" August. " in ps. 140.

„ quàm ſpecioſi pedes qui annunciant „ pacem, &c.) Pedes Chriſti, pauperes „ ſunt; ſuperflua tua, tibi ſunt ſuperflua, „ Domini pedibus neceſſaria.)

4. [1] *Propter quod dico tibi,* [2] *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum: cui autem minus dimittitur, minus diligit.*" O Phariſæe, ideo parum

Augug. hom. 23 „ diligis, quia parum tibi dimitti ſuſpicaris, non quia parum dimittitur, ſed quia „ parum putas eſſe quod dimittitur. Sed „ ô tu qui dicis te nõ multa cõmiſiſſe, qua„ re? quo regente? ſoluta eſt quæſtio, &c.) *Et cœperunt qui ſimul diſcumbebant dicere intra ſe, Quis eſt hic qui etiam peccata dimittit. Dixit autem ad mulierem,* [2] *fides tua te ſaluam fecit, vade in pace.*" O

Th. Kemp. l. 3. c. 46. n. 5. Domine Deus melior eſt mihi tua copioſa miſericordia, quàm mea opinata iuſtitia, &c.)

LV.

Dæmonium cæcum & mutum eijcitur. Matth. 12. Marc. 3. Luc. 11.

Domin. 3. Quadrag. 1. ET *veniunt ad domum, & conuenit iterum turba, ita vt* [1] *non poſſent neque*

que panem manducare. Tunc oblatus est ei
dæmonium habens, [2] *cæcus & mutus, &*
curauit eum, & stupebant [3] *omnes turbæ*
& dicebant, nunquid hic est filius Dauid?
Pharisæi autẽ audientes dixerunt, [4] *Hic non*
eijcit dæmonia nisi in Beelzebub principe
dæmoniorum Tria signa in vno homine perpetrata sunt: vias enim ad fidem omnes occluserat dæmon, oculos, aures, linguam; sed Christus sanat quos offert prompta voluntas per ipsum excitata.

2. IESVS *autem sciens* [1] *cogitationes*
eorum dixit eis, [2] *Omne regnum in se diui-*
sum desolabitur & domus supra domum
cadet: si autem & Satanas in seipsum diui-
sus est quomodo stabit regnum eius? Si au-
tem ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij
vestri in quo eijciunt? Ideo ipsi iudices vestri
erunt. Porrò si in digito Dei eijcio dæmo-
nia, profectò [3] *peruenit in vos regnum Dei.*

3. *Cùm fortis* [1] *armatus custodit atrium*
suum, in pace sunt omnia quæ possidet; si
autem [3] *fortior eo superueniens vicerit*
eum, [4] *vniuersa arma eius auferet in qui-*
bus confidebat, & spolia [5] *eius distribuet.*

[2] Diabolum dixit fortem, non in totum, sed

" Irenæus l.1.c.8.

sed in comparatione nostra; semetipsum autem in omnia & verè fortem ostendit.) Irenæus.

4. *Qui non est mecum contra me est, & qui non congregat mecum spargit.* "Audiat hæc qui adeò pusillanimis est vt satis sibi reputet nec persecutorem esse nec Dei coadiutorem) *Ideo dico vobis omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum sanctum non remittetur ei neque in hoc sæculo neque in futuro.* Quippe cùm facta à Deo tribuuntur diabolo, atrocius est, difficiliusque remittitur, quàm cùm hominis facta in sinistram partem interpretamur; vt cùm Pharisæi Christum vini potatorem vocabant: deinde, in se quod peccatum est facilius dimitti ostendit, quàm quod in alium.

Bernard. ser. de Cõuers. S. Pauli.

Vide Corn.

5. *Dico autem vobis, quoniam* [1] *omne verbum* [2] *otiosum quod locuti fuerint homines, reddent* [3] *rationem de eo in die iudicij. Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Quasi dicat, etiam

e tiam ex verbis tuis, &c." Quis numeret quantas modicum linguæ membrum contrahat sordes?) Bernard. de triplici custodia.

"Bern. ser. "de triplici "custodia.

LVI.

Promittitur signum Ionæ Prophetæ. Matth. 12. Luc. 11.

1. TUNC *responderunt ei quidam de Scribis, &c. dicentes,* [1] *Magister volumus à te signum videre; qui respondens ait:* [2] *Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi* [4] *signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre Ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ, tribus diebus & tribus noctibus.* Signum non dabitur quale petunt, sed pro omni signo sufficiet in Iona signum per figuram ostensum.

Feria 4. post 1. Quadrag.

2. Viri Niniuitæ [1] *surgent in iudicio cum generatione istâ, & condemnabunt eam quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plusquam Jonas hîc. Regina* [2] *Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam, quia venit*

[3] *à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis, & ecce pluſquam Salomon hîc.*

Hieron. Matt, 12. „ Condemnabunt non ſententiæ poteſtate, ſed comparationis exemplo.) Hieronymus.

3. *Cùm autem* [1] *immundus ſpiritus exierit ab homine ambulat per loca* [2] *arida & inaquoſa quærens* [3] *requiem & non* [4] *inuenit, tunc dicit, Reuertar in domum vnde exiui, & inuenit eam* [6] *vacantem, ſcopis* [7] *mundatam &* [8] *ornatam.* [9] *Tunc vadit & aſſumit* [10] *ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & intrantes* [11] *habitant ibi, & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus, ſic erit generationi huic peſſimæ.*" Si-

Aug. l. 1. qq. Euāg. c. 8. „ gnificat quoſdam ita credituros vt ferre „ non poſſint labores continentiæ. Vnde „ cupiditas carnis expulſa per pœniten- „ tiam, cùm non inuenerit in quibus de- „ lectationibus requieſceret, auidius re- „ dit & rurſus occupat mentem homi- nis, &c.) Ita Auguſt. Ad litteram autem dictum eſt de Iudæis. Septem verò ſpiritus nequiores, id eſt, callidiores, intelligi poſſunt qui contrarij ſunt ſeptem donis: ita vt quis alta ſapiens humilibus [1] non conſentiat; intellectus claritati

tati nimiam admiſceat [2] adhæſionem: conſilia quidem captet, [3] nulli autem niſi ſuo acquieſcat: fortis ſit in iis quæ [4] propria voluntate aſſumit, in aliis languidus: ſcientiam [5] oſtentet ſæcularem; pietatem potiùs [6] ſimulet quàm colat. Et à Timore [7] Domini ſub hilaritatis & amplitudinis velo declinet.

LVII.

Mater & fratres. Matth. 12. Marc. 3. Luc. 8.

1. FACTUM *eſt autem cùm hæc dixiſſet, In eadem* [1] *extollens vocem quædam mulier de* feria 4.
turba, dixit illi, [2] *Beatus venter qui Te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. At ille dixit,* [3] *Quinimò, beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud.*" Opportunè hoc dictum, quando non deerant per id tempus qui Dei verbum adeò non audiebant, vt palam condemnarent qui audiebant. Titus. Titus hîc.

2. *Adhuc autem eo loquente ad turbas, ecce* [1] *mater eius & fratres ſtabant* [2] *foris* [3] *quærentes loqui ei: dixit autem ei*

quidam, ecce mater tua & fratres tui foris stant quærentes Te; at ipse respondens dicenti sibi, ait, Quæ [4] *est mater mea & qui sunt fratres mei?* " Non quo maternæ
Ambr l. 6. in Lucam. refutet pietatis obsequia, sed quia Paternis se mysteriis amplius quàm maternis affectibus debere cognoscat.) Ambrosius. q. d. qui sunt vt propter illorum obsequium tantę multitudinis vti-
Ibidem. litatem paruipendam? " Si autem foris stantes nec ipsi agnoscuntur parentes, propter nostrum fortasse nõ agnoscuntur exemplum, quemadmodum nos non agnoscemur si foris stamus.) Idem.

3 *Et extendens* [1] *manum in discipulos suos dixit, Ecce* [2] *mater tua, & fratres mei:* [3] *quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus* [4] *frater, & soror, &* [5] *mater est.* " Et si ignobilis
Theophyl. Lucæ 8. fuerit, si tamen audierit sermonem Dei ipsum meum cognatum facio.) Theophyl. & è contra, " nec inde beatos esse
Augustde Virg. c. 3. homines dicendum est si iustis & Sanctis propinquitate iungantur; sed si eorum doctrinæ & moribus obediendo atque imitando cohæreant) Augustin.

LVIII.

Parabola seminantis. Matth. 13. Marc. 4. Luc. 8.

1. CVm autem turba [1] *plurima conuenirent, & de ciuitatibus* [2] *properarent ad eum, dixit per similitudinem,* [3] *Exijt qui seminat seminare semen* [4] *suum, & dum seminat aliud cecidit secus* [5] *viam, & conculcatum est, & volucres cœli comederunt illud; & aliud cecidit supra* [6] *petram, & natum aruit quia non habebat humorem; & aliud cecidit inter* [7] *spinas, & simul exortæ spineæ suffocauerunt illud; & aliud cecidit in terrã* [8] *bonam & ortum fecit fructum, aliud* [9] *centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum. Qui habet* [10] *aures audiendi audiat.* *Dominica Sexagesimæ.*

2. *Interrogabant autem eum discipuli eius, quæ esset hæc parabola; quibus ipse dixit: Vobis* [1] *datum est nosse mysterium regni Dei,* [2] *cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant.* [3] *Incrassatum est enim cor populi huius, auribus* [4] *grauiter audierunt, & oculos suos* [5] *clauserunt*

3. *Est autem hæc parabola: Semen est Verbum Dei: qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit Verbum de corde eorum ne credentes salui fiant.* '' Nam cùm cogitationes noxias ingerunt, verbum vitæ à memoria euellunt.) Greg *Qui supra petram, qui cùm audierint, cum* [2] *gaudio suscipiunt verbum; & hi* [3] *radices non habent, quia ad* [4] *tempus credunt, & in tempore* [5] *tentationis recedunt. Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, & à* [6] *sollicitudinibus, & diuitiis, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non* [7] *referunt fructum.*

Gregor. 19. mor. c. 1.

4. *Quod autem in terram bonam, hi sunt qui in corde* [1] *bono &* [2] *optimo audientes verbum* [3] *retinent, & fructum afferunt in* [4] *patientia.* Et '' sicut in terra mala tres fuere diuersitates, secus viam, & petrosa, & spinosa loca, sic in terra bona trina diuersitas est, centesimi, & sexagesimi, & trigesimi fructus.) & Bernard. '' Quàm multi seminarunt in te, & quàm bonum semen! quàm malè peribis, & quàm meritò, si perierit in te tantum semẽ, simul & seminantium labor! seminauit in ter-

Hieron. hîc

Bern. ser. de S. Bened.

ra noſtra tota Trinitas, ſeminarunt Angeli, pariter & Apoſtoli, &c.) ſerm. de S. Benedicto.

LIX.

Parabola Zizaniorum. Matth. 13. 14.

1. *ALiam parabolam propoſuit illis, dicens, Simile factum eſt regnum Cœlorum homini qui ſeminauit* [1] *bonum ſemen in agro* [2] *ſuo; cùm autem dormirent homines venit* [4] *inimicus eius &* [5] *ſuperſeminauit zizania in* [6] *medio tritici, &* [7] *abijt: cùm autem creuiſſet herba, &* [8] *fructum feciſſet, tunc apparuerunt & zizania.* *Dom. 5. poſt Epiphan.*

2. *Accedentes autem* [1] *ſerui Patrisfamilias, dixerunt ei, Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? vnde* [2] *ergo habet zizania? & ait illis, inimicus* [3] *homo hoc fecit: ſerui autem dixerunt ei, Vis* [4] *imus, & colligimus ea? & ait,* [5] *Non: ne fortè colligentes,* [6] *eradicetis ſimul & triticum: ſinite vtraque creſcere* [7] *vſque ad meſſem; & in tempore meſſis dicam meſſoribus, colligite* [8] *primùm zizania, & alligate ea in faſciculos* [9] *ad comburendum, triticum autem congregate* [10] *in horreum meum.*

3. Tunc

3. *Tunc dimissis turbis venit in* [1] *domum, &* [2] *accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes, Edissere nobis parabolã hanc: qui respondens ait illis, qui* [3] *seminat est filius hominus; ager* [4] *mundus, bonum semen, filij regni; zizania, filij nequam; inimicus, diabolus; messis, consummatio saeculi; messores, Angeli; sicut* [5] *ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur*, &c. Augustinus." Ex diuersis significationibus vna res plures & diuersas similitudines accipit: vnde homines ipsi fideles seruorum nomine hîc possunt intelligi, quos etiam bonum semen dicit.)" Prohibentur autẽ colligere zizania ne vnà euellant triticum; ne rapiatur peccator ad vitæ emendationem spectans; ne vnà cum impiis parentibus insontes liberi exscindantur, qui adhuc quidem sæpè in paternis lumbis sunt, sed apud Deum cuncta cernentem iam existunt) Isidorus." Prohibet etiam Dominus ne vbi quid ambiguum est citò sententiam proferamus, sed Deo iudici terminum reseruemus.)

Aug. l qq. ex Matth. c. 12.

Isidor. l. 1. ep. 195.

Hieron. hîc.

LX.

LX.

Parabolæ Sinapis & fermenti.
Matth.13.Marc.4.Luc.13.

1. *ALiam parabolam proposuit eis, dicens, Simile est regnũ cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminauit in agro suo: quod minimum quidem est omnibus seminibus, cùm autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cæli veniant & habitent in ramis eius.*" Fides Christiana primâ fronte videtur esse parua, vilis, tenuis, &c. at vbi diuersis tentationibus teri cœperit, vigorem prodit, &c.) Ambros. vide etiam sermone eius 2. plures synapis proprietates: in arborem autem dicitur excrescere in Palestina. "Assumamus igitur & nos pennas columbæ & volitantes ad altiora possimus habitare in ramis huius arboris, terrenaque fugientes ad cœlestia festinare.) Hieronymus hîc.

Dom. 6, post Epiphan.

Ambr. s. 1.

Hieron.

2. *Aliam parabolam locutus est eis: Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus donec fermentatum est totum.*" Re-

Ambr. s. 5.

étè fermento Dominus comparatur, ſpecie homo, humilitate paruus, imbecillitate deiectus, tanta intrinſecus ſapientiæ virtute pollebat vt doctrinam ipſius mundus ipſe vix caperet, &c. Quiſquis igitur fermento Chriſti adhæreſcit, efficitur & ipſe fermentum, tam ſibi vtilis, quàm idoneus vniuerſis, &c.) Ambroſius.

3. *Et dicebat: Sic eſt regnum Dei, quemadmodum ſi homo iaciat ſementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte & die, & ſemen germinet, & increſcat dum neſcit ille: vltrò enim terra fructificat primùm herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica; & cùm produxerit fructus, ſtatim mittit falcem, quoniam adeſt meſſis.*

Beda. "Semen iactat qui cordi bonam intentionem inſerit, in ſpe boni operis quieſcit, inter aduerſa & proſpera proficit; cùm adhuc incrementa ſua metiri non valet virtus concepta ad profectum ducitur, & vltrò terra fructificat, quia proueniente gratia mens hominis ſpontanea ad fructum boni operis exurgit, &c.) vide Bedam Marci 4.

LXI.

Parabolæ Thesauri, Margaritæ, & Sagenæ. Matth. 13. 44.

In communi de Virg. & Mart.

1. SImile est regnum cœlorum [1] thesauro [2] abscondito in [3] agro, quem qui [4] inuenit homo, [5] abscondit, & præ [6] gaudio illius vadit, & [7] vendit [8] vniuersa quæ habet, & [9] emit agrum illum. " Thesaurus iste in quo omnes thesauri, Christus est, in agro scripturarum, hic inuentus absconditur, non inuidiâ, sed timore seruantis.) Hieronymus. " Deum autem in Christo vel Christum in Deo esse non videt occupatus, & curarum terrestrium nube circumdatus.

Hieron. hîc.

Paulinus ep. 2.

2. *Iterum: Simile est regnum cœlorum homini* [1] *negotiatori* [2] *quærenti* [3] *bonas* [4] *margaritas, inuenta autem* [5] *vna* [6] *pretiosa margarita, abijt,* [7] *& vendidit* [8] *omnia quæ habuit, & emit eam.* "Bonæ magaritæ lex & Prophetæ; vnum pretiosissimum margaritum, scientia Saluatoris, passionis & resurrectionis arcanum.) Hieronymus, " Hæc in tegumentis mortalitatis, quasi concharum obstaculo, inter profun-

Hieron. hîc.

Aug. lib. q. ex Matth. c. 13.

profunda huius sæculi, atque inter duritias saxeas Iudæorum aliquando latuerat, &c.) Augustt.

3. *Iterum: Simile est regnum cœlorum* [1] *sagenæ missæ in* [2] *mare, & ex* [3] *omni genere piscium congreganti, quam cùm* [4] *impleta esset educentes, & secus littus sedentes* [5] *elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt: sic erit in consummatione sæculi; Exibunt Angeli &* [6] *separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in* [7] *caminum ignis, ibi erit* [8] *fletus & stridor dentium.* '' Tunc videbitur sapiens in hoc mundo fuisse qui pro Christo didicit stultus & despectus esse, &c.) Thom. à Kemp. l. 1. c. 24. n. 5.

4. *Intellexisti hæc* [1] *omnia? dicunt ei,* [2] *etiam: ait illis: Ideo omnis scriba* [3] *doctus in regno cœlorum similis est homini* [4] *patrifamilias qui profert de* [5] *thesauro suo noua* [6] *& vetera.* '' Sermo diuinus in agro mundanæ conuersationis absconditus per typos & figuras scripturarum occultatur: has Doctor Euangelicus, tanquam diligens paterfamilias, & nosse debet, & tempore suo proferre.) Irenæus.

Irenæus.

LXII.

LXII.

Docens in patria sua malè accipitur.

Matth. 13. Marc. 6. Luc. 4.

1. ET venit [1] *Nazareth vbi erat nutritus, & intrauit secundùm* [2] *consuetudinem suam in synagogam, & surrexit* [3] *legere, & traditus est illi liber Isaiæ prophetæ, & vt* [4] *reuoluit librum inuenit locum vbi scriptum erat, Spiritus Domini* [5] *super me, propter quod* [6] *vnxit me, euangelizare* [7] *pauperibus misit me, sanare contritos* [8] *corde; prædicare* [9] *captiuis remissionem, &* [10] *cæcis visum, dimittere* [11] *confractos in remissionem, prædicare annum Domini* [12] *acceptum, & diem* [13] *retributionis.*

2. *Et cùm plicuisset librum, reddidit* [1] *ministro, & sedit, & omnium in synagoga* [2] *oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos, quia* [3] *hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris; &* [4] *omnes testimonium illi dabant, &* [5] *mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipsius, & dicebant, vnde* [6] *huic sapientia hæc & virtutes? Nonne hic est* [7] *faber, filius* [8] *Mariæ? &* [9] *scandalizabantur in illo.*

3. *Et*

Feria 2. post 3. Quadrag.

3. *Et ait illis, vtique dicetis mihi hanc* [1]*similitudinẽ, Medice, cura teipsum: quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hîc in patria tua. Ait autem: Non est propheta* [2]*sine honore nisi in patria sua, & in domo sua, & in cognatione sua; Multæ viduæ* [3] *erant in diebus Eliæ in Israël, quando clausum est cœlum, & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam: & multi* [4]*leprosi erant in Israël sub Eliseo, & nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus.* "O quantas gratias tibi teneor referre quòd viam rectam & bonam dignatus es mihi ostendere, &c.) Th. à Kemp. l. 3. c. 18. n. 3.

4. *Et repleti sunt omnes in synagoga* [1]*ira, & surrexerunt, &* [2]*eiecerunt illum extra ciuitatem, &* [3] *duxerunt eum vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata, vt* [4]*præcipitarent eum; ipse autem transiens* [5] *per medium eorum ibat; &* [6] *mirabatur propter incredulitatem eorum: & circuibat* [7] *Castella in circuitu docens.* Hieronymus, "Naturale est ciues semper ciuibus inuidere; non enim considerant præsentia viri opera,

Hieron. Matth. 13.

sed

sed fragilis recordantur infantiæ, quasi non & ipsi per eosdem ætatum gradus ad maturam ætatem venerint.)

LXIII.

IESVS *circuit prædicans Euangelium.* Matth. 9. & 10. Marc. 6. Io. 9.

1. ET *circuibat* IESVS *omnes* [1] *ciuitates* & [2] *castella, docens* [3] *in synagogis eorum, & prædicans Euangelium* [4] *regni, & curans* [5] *omnem languorem, & omnem infirmitatem* Hieron. "Hoc habens operis quod mandauerat Pater, & hanc esuriem vt doctrina sua saluos faceret infideles: post prædicationem autem atque doctrinam curabat omnem languorem, vt quibus sermo non suaserat, opera persuaderent.) & Theophylactus, "Quoniam misericors est, non expectat illos ad se venientes, sed ipse circuit, &c.) Hieron. Matth. 9. Theophyl.

2. *Videns autem turbas misertus est eis, quia erant* [1] *vexati, &* [2] *iacentes, sicut oues* [3] *non habentes pastorem. Tunc dicit discipulis suis,* [4] *Messis quidem multa, operarij* [5] *pau-*

[5]autem pauci; rogate[6] ergo dominum messis vt mittat operarios in messem[7] suam.

Hier.ibid. Hieron. "Illi sunt operarij de quibus loquitur Psalmista dicens, qui seminant in lachrymis in gaudio metent; euntes ibant, & flebant, &c.)

3. *Et conuocatis duodecim discipulis dedit eis potestatem spirituum immundorum, vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & misit eos prædicare regnum Dei,*

Hieron. Matth.10. Thom.à Kemp.l.3. c.30.n.2. *& sanare infirmos,* Hieron. "Non inuidet seruis atque discipulis virtutes suas, &c.) "Nunquid mihi quidquam est difficile? aut ero similis dicenti & non facienti? vbi est fides tua? &c.)

LXIV.

Præcepta data Apostolis missis ad prædicandum. Matth.10. *Pars* 1.

Feria 5. post Pentecost.

1. ET *præcepit eis: In viam*[1] *gentium ne abieritis, & in ciuitates*[2] *Samaritanorum ne intraueritis, sed*[3] *potiùs ite ad oues quæ perierunt domus Israël. Euntes autem prædicate, dicentes,*[4] *Appropinquauit regnum cœlorum:*[5] *infirmos curate, mortuos*

mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eijcite, gratis accepiſtis, gratis date.
Auguſt. "Adhuc tempus prædicandi gentibus non erat) & Cyprianus," Addendo Samaritanos oſtendit ſchiſmaticos gentibus adæquari.)" Iuxta tropologiam verò præcipitur nobis qui Chriſti cenſemur nomine, ne in via gentium, & hæreticorum ambulemus errore, & quorum religio ſeparata eſt, ſeparetur & vita.) Hieronymus hîc. Aug q.77. Cyp.ep.76. Hieron.

2. *Nolite [1] poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris; non [2] peram in via, neque [3] duas tunicas, neque [4] calceamenta, neque [5] virgam: dignus eſt enim operarius cibo ſuo; In quamcunque ciuitatem aut caſtellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus ſit, & ibi manete donec exeatis.* Auguſtinus," Quod diſcipulis mandaſſe videtur vt nihil tollerent in via, pacis eſt cauſa, & gratia virtutum, & affabilitas doctrinæ.) & Hieron." Cæterum ſecundùm Anagogem monemur non ſæculi pondere premi, neque duplici eſſe animo, neque pedes noſtros mortiferis vinculis alligari; ſed ſanctam terram ingredientes eſſe nudos, Aug.q.104. ex vtroq.

nudos, neque in aliquo præsidio car-
Ambr.s.32. nis inniti, &c.) " Quàm verò reprehensibile est vt is qui Euangelium annuntiat, & docet errandum non esse, ipse per diuersa, incipiat oberrare, & domum cui pacem dixerat deserere!) Ambros.

3. *Intrantes autem domum salutate eam, dicentes, Pax*[1] *huic domui, & si quidem fuerit domus illa digna,* [2] *veniet pax super eam, si autem non fuerit digna, pax vestra*[3] *reuertetur ad vos: & quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel ciuitate excutite*[4] *puluerem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius*[5] *erit terra Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij quàm illi ciuitati.* Auguſt: *Excutite*
Aug.qq.ex Matth.c.7. *puluerem*: vt ostendant vsque adeò se ab ipsis nihil terrenum quærere, vt etiam puluerem de terra eorum sibi non patiantur adhærere.) & lib. de Bapt. 9. donat.c.5. " Cùm dictum est *Tolerabilius*, &c. non ideo dictum est, quia Sodomitæ non torquebuntur, sed quia illi grauius: quæcumque autem ibi mitiora tormenta sunt, peiora sunt quàm

quæ

quæ formidas in isto sæculo.) vide etiam ser. 18. de verb. Apostoli.

LXV.

Præcepta data Apostolis. Pars 2.

1. ECce [1] *ego mitto vos sicut* [2] *oues in* [3] *medio luporum; estote ergo* [4] *prudentes sicut serpentes, & simplices* [5] *sicut columbæ; cauete* [6] *autem ab hominibus; tradent enim vos in conciliis, & in synagogis; suis flagellabunt vos, & ad præsides & ad reges ducemini* [7] *propter me in testimonium* [8] *illis & gentibus.* Chrysost." Quis pastor oues mittit in medio luporum? sed magis si videt lupos, congregat oues: at verò Christus è cõtrario fecit, &c. Nec dixit ite, sed ecce ego mitto. Quis es tu? Ego sum qui cœlum extendi, &c. O virtus omnipotentis! Lupi in circuitu, & lupi mutati sunt, &c.) " Prudentes autem esse vult, &c. inquit Gregorius, " quatenus serpentis astutia columbæ simplicitatem acueret, & Columbæ simplicitas serpentis astutiam temperaret.)

In commemor. S. Pauli. In festo S. Barnabæ.

Chrysost. ser. de Pentecoste.

Greg. l. 4. ep. 31.

2. *Cùm autem tradent vos nolite* [1] *cogitare quomodo aut quid loquamini,* [2] *dabitur enim vobis in illa* [3] *hora quid loquamini: non enim* [4] *vos estis qui loquimini, sed* [5] *spiritus Patris* [6] *vestri qui loquitur in vobis.* Augustᵒ Meditari vetuit, confiteri præcepit: maluit auferre præsumptionem humanam & gratiam dare diuinam, vt in semetipsis timidi & mundo essent audaces.)

Aug. s. 43. de Sanctis.

3. *Tradet autem frater* [1] *fratrem in mortem, & exurgent filij in parentes, & morte eos afficient; & eritis odio* [2] *omnibus hominibus propter* [3] *nomen meum: qui autem* [4] *perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit. Non est discipulus* [5] *super magistrum, nec seruus super dominum suum:* [6] *sufficit discipulo si sit sicut magister eius, & seruo sicut dominus eius. Si Patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quantò* [7] *magis domesticos eius: Ne* [8] *ergo timueritis eos.*'' Domine libenter patiar pro te quidquid volueris venire super me, &c.)

Thom. à Kemp. l. 3. c. 7. n. 3.

LXVI.

Nihil opertum. Matth. 10.

In communi vnius Mart.

1. *NIhil est opertum quod non reuelabitur, & occultum quod non scietur; quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis prædicate super tecta.* Hieronymus. "Quod auditis in mysterio, apertius prædicate; quod didicistis absconditè, publicè loquimini: quod vos eruditi in paruo Iudææ loco, in toto mundo audacter dicite.) vel vt Augustinus," Quod dico vobis cùm adhuc in timore carnali estis, dicite in fiducia veritatis.) l. 4. ex Matth. c. 7.

Hieron.

Augusst.

2. *Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potiùs timete eum qui potest animam & corpus perdere in gehennam.* Augustinus, "Ecce moritur anima, & non moritur; quid est mori ipsius! quomodo moritur caro amissa anima, sic moritur anima amisso Deo qui vita est eius.)

Aug. tr. 47. in Ioan.

3. *Nonne duo passeres asse vaneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? vestri autem capilli capitis*

omnes numerati ſunt: Nolite ergo timere; multis paſſeribus meliores eſtis vos. Auguſtinus, "Omnem curam veſtram ſuper Dominum mittite; prorſus voſipſos totos proijcite in illum; non ſe ſubducet vt cadatis ille qui & de capillis veſtris ſecuritatem dedit vobis: videte quia minima veſtra non contemnit Deus, &c. quid times hominem homo in ſinu Dei poſitus? &c.)

Aug. ſer. 6. de verbis Domini.

4. *Omnis ergo qui confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cœlis eſt: qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cœlis eſt.* Auguſt. "Cùm dicitur *omnis*, nullus à remuneratione qui fuerit confeſſus excluditur. Non ſimiliter, Omnis qui negauerit negabitur: Gratiam promittit omnibus, non omnibus minatur iniuriam; quod eſt miſerationis exaggerat, quod eſt vltionis, extenuat.)

Aug. l. 1. de pœn. c. 2. & 3.

LXVII.

Crux tollenda. Matth. 10.

Pro Martyre non Pontifice.

1. *NOlite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram, non veni pacem*

cem mittere, sed [2] *gladium: veni enim separare* [3] *hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrũ suam; & inimici* [4] *hominis domestici.*" "Pensandum ergo est quando ab increpatione quiescitur, quanta culpa sit si pax cum impiis tenetur.) Greg. past q. 3. ad 13. Gregor.

2. *Qui amat patrem aut matrem* [1] *plusquam me, non est me dignus: & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus; & qui non* [2] *accipit crucem suam, & sequitur* [3] *me, non est me dignus. Qui* [4] *inuenit animam suam, perdet eam, & qui perdiderit animam suam* [5] *propter me, inueniet eam.* Euthymius." Crucem vocat Christus mortem ad ea quæ mundi sunt, quia mortis instrumentum erat crux: oportet enim eum qui Christum sequitur mortuum esse ad mundanas voluptates.) & vt est apud Hierouymum, "In alio Euangelio scribitur, *Qui non accipit crucem suam quotidie:* ne semel putemus ardorem fidei posse sufficere; semper Crux portanda est, vt semper nos Christum amare doceamus.) Euthym. Hieron.

3. *Qui recipit* [1] *vos, me recipit; & qui recipit me, recipit* [2] *eum qui misit me: qui recipit prophetam in nomine prophetæ,* [4] *mercedem prophetæ accipiet; & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et* [1] *quicunque* [2] *potum dederit* [3] *vni ex* [4] *minimis istis* [5] *calicem* [6] *aquæ* [7] *frigidæ,* [8] *tantùm in* [9] *nomine* [10] *discipuli, amen dico vobis, non perdet* [12] *mercedem suam.*

LXVIII.

Iugum Christi suaue. Matth. 11.

In festis S. Matthiæ Apostoli ac S. Francisci.

1. IN *illo tempore respondens* [3] IESVS, *dixit:* [1] *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti* [2] *hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea* [3] *paruulis: Ita Pater quoniam* [4] *sic placitum fuit ante Te.* q. d. Vtique Pater, quod feciſti ita rectiſſimè feciſti, quoniam ſic placitum fuit vt eos humiliores; & ego me humilio, & ſubijcio tibi. vbi Auguſtinus,'' Habes remedium; ſi dicendo te ſapientem ſtultus factus es, dic te ſtultum & ſapiens eris: ſed dic; dic; ſed intus dic, quia ſic eſt vt dicis; ſi dicis,

Aug. ſer. 8. de Temp.

noli

noli coram hominibus dicere, & coram Deo non dicere.)

2. *Omnia* [1] *mihi tradita sunt à Patre meo; & nemo* [2] *nouit filium, nisi Pater, neque Patrem quis nouit* [3] *nisi filius, & cui* [4] *voluerit filius reuelare.* Chrysost. " Reuelat, non quantum cognoscit, sed quantum nos recipere possumus; nam & Paulus ita fecit: *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus*, &c. Chrysost. ho. 5. de incompreh. Dei nat.

3. [1] *Venite ad* [2] *me* [3] *omnes qui* [4] *laboratis &* [5] *onerati estis, & ego* [6] *reficiam vos. Tollite iugum* [7] *meum super vos, & discite à* [8] *me quia* [9] *mitis sum &* [10] *humilis corde, & inuenietis* [11] *requiem* [11] *animabus vestris: Iugum enim meum* [13] *suaue est, & onus meum* [14] *leue.* Gregorius, " Quid graue subiectis iubet, qui declinare laborioſa mundi huius itinera admonet?) & Augustinus suprâ, " Quæ dura sunt laborantibus, iisdem ipsis nitescunt amantibus: omnia enim sæua & immania prorsus facilia & propè nulla facit Amor. Gregor. 4. mor. 39. August.

LXIX.

Mors Ioannis Baptistæ. Matth. 14. Marc. 6.

In decollatione S. Io. Bapt.

1. *ET cùm dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui cœnam fecit Principibus & tribunis, & primis Galilææ: Cumq; introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi, simulq; discumbentibus, Rex ait puellæ, Pete à me quod vis, & dabo tibi, & iurauit quia quidquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei.* Ambrosius, "Debet bonæ conscientiæ mentis esse lætitia non in inconditis comessationibus, non nuptialibus excitata symphoniis: ibi enim intuta verecundia est, illecebra suspecta, vbi comes deliciarum est extrema saltatio.) & Chrysost. "Tanti regnum facis? quid si secundò saltauerit?)

Ambr. 3. de Virg.

Chrysost. ser. de virt. & vitiis.

2. *Quæ cùm exisset dixit matri suæ, quid petam? At illa dixit, Caput Ioannis Baptistæ: cumq; introisset [1] statim cum [2] festinatione ad Regem, petiuit dicens, [3] volo vt [4] protinus des mihi in [5] disco caput Ioannis Baptistæ: & [6] contristatus est rex: propter iusiu-*

iusiurandum & propter simul discumbentes noluit [7] *eam contristari, sed misso spiculatore praecepit* [8] *afferri caput eius in disco.* Ambrosius suprà," Quanta in vno facinore sunt crimina! &c.) & Euthymius," O muliebre mancipium! Periurij testes habere timuisti; iniustæ cædis tam multos spectatores non formidasti) Ambros. Euthym.

3. *Et decollauit eum in carcere, & attulit caput eius in disco, & dedit illud puellæ, & puella dedit matri suæ: quo audito discipuli eius venerunt & tulerunt corpus eius, & posuerunt illud in monumento.* Augustinus," Ioannes impietatem Herodis publica auctoritate condemnans, propter iustitiam perdidit vitam, sed lucratus est gloriam: nos interdum pro gratia hominum vel timore offensionum præferimus adulationem, &c.) & Fulgentius," Semper Deo grata est paupertas, cuius cibus non habet sanguinem: tribus pueris cibus olus & legumina; alioqui nunquam vincerent flammas si vellent amare delicias.) Aug. s. 36. de Sanctis. Fulgent. ser. 7.

LXX.

Miraculum quinque panum. Matth. 14. Marc. 6. Luc. 9. Ioan. 6.

Domin. 4. Quadrag.

1. *CVm subleuasset* IESVS *oculos, & vidisset quia* [1] *multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Vnde* [2] *ememus panes vt manducent hi? hoc autem dicebat tentans eum; ipse enim sciebat quid esset facturus. Respondit ei Philippus, ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat. Dixit ei Andreas, est puer vnus hîc qui habet* [4] *quinque panes hordeaceos & duos pisces, sed hæc quid sunt inter tantos? Dixit ergo* IESVS, [5] *facite homines discumbere; erat autem fœnum multum ibi: discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia, per centenos & quinquanos* Hieronymus," Iuxta literam manifestus est sensus; spiritualis interpretationis sacramenta pandamus. Discumbere iubentur super fœnum, & secundùm alium Euangelistam, super terram; vt postquam calcauerint carnem suam, & omnes flores illius, & sæculi voluptates

Hieron. Matth. 14.

tes quasi arens fœnum tibi subiecerint, tunc per quinquagenarij numeri pœnitentiam ad perfectum centesimi numeri culmen ascendunt.

2. [1] *Accepit ergo* IESVS *panes, &* [2] *aspiciens in Cœlum, cùm gratias egisset, benedixit* [3] *& fregit, & dedit discipulis panes,* [4] *discipuli autem turbis; similiter & de piscibus quantum volebant; &* [5] *manducauerunt omnes & saturati sunt.* Hieron. suprà, " Aspicit in Cœlum vt illuc oculos dirigendos doceat; & frangente Domino fit seminarium ciborum; si enim fuissent integri, tantam multitudinem alere non poterant: frangitur ergo lex cum prophetis, & in frusta discerpitur, vt quod permanens in statu pristino non alebat, diuisum in partes alat gentium multitudinem.) & Augustinus, " Quinque panes quinque libri Moysi, meritò non triticei, sed hordeacei: ferebat illos puer, fortè populus Israël in sensu puerili portabat, nec manducabat, &c. frangendo multiplicati sunt: quinque libri Moysi quàm multos libros cùm exponuntur fecerunt?)

Hieron.

Aug. tr. 24 in Ioan.

3. *Vt autem* [1] *impleti sunt, dixit discipulis*

pulis suis, [2] *Colligite quæ superauerunt fragmenta ne pereant: Collegerunt ergo & impleuerunt duodecim* [3] *cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordiaceis quæ superfuerunt his qui manducauerant.* Augustinus suprà, " Quæ sunt fragmenta nisi quæ populus non potuit manducare? Intelliguntur ergo quædam secretiora intelligentiæ, quæ multitudo non potest capere; illis autem traduntur qui idonei sunt & alios docere.)

August.

4. *Illi ergo homines cùm vidissent quòd* IESVS *fecerat signum, dicebant, quia hic est verè propheta qui venturus est in mundum.*

LXXI.

IESVS *super mare cum Petro.*
Matth. 14. Marc. 6. Ioan. 6.

In S. SS. Apostolorum Petri & Pauli.

1. IESVS *ergo cùm cognouisset quia venturi essent vt raperent eum & facerent eum* [1] *regem, statim* [3] *compulit discipulos suos ascendere in nauiculam, & præcedere eum transfretum donec dimitteret turbas, & dimissa turba ascendit in montem solus* [4] *orare; vespere autem facto solus* [5] *erat ibi.*

Greg.

Greg. "Oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probrosæ mortis appetiit, vt membra eius discerent, fauores mundi fugere, terrores minimè timere, pro veritate aduersa diligere, prospera formidando déclinare; quia & ista per tumorem sæpè cor inquinant; & illa per dolorem purgant, &c.) "Etsi omnia creata bona haberes, non posses esse felix, &c.) Greg. past. p. 1. ad 3. Thom. à Kemp. l. 3. c. 16. n. 2.

2. *Nauicula autem in* [1] *medio mari* [2] *iactabatur fluctibus, erat enim* [3] *contrarius uentus; quarta* [4] *autem vigilia noctis venit ad eos* [5] *ambulans super mare; & videntes* [6] *turbati sunt, dicentes, quia phantasma est, & pra timore clamauerunt:* [7] *statimq; IESVS locutus est eis, dicens habete fiduciam,* [8] *Ego sum, nolite timere.* Theophyl hîc, "Non mox adstitit eis vt tempestatem sedaret, docens non statim petendam aduersitatum solutionem, sed ferendas fortiter.)" Quod autem dixerunt discipuli, *phantasma est*, significat id quod dictum est, *Putas inueniet fidem?* &c.) Auguſt. 1 Euang. qq. cap. 15. Theophyl. Auguſt.

3. *Respondens autem Petrus, dixit, Domine,*

mine, [1] *Si tu es, iube me ad te venire super* [2] *aquas: at ipse ait, Veni: & descendens Petrus de nauicula* [4] *ambulabat super aquas, vt veniret ad* IESVM; *videns autem ventum validum* [5] *timuit, & cùm cœpisset* [6] *mergi clamauit, dicens, Domine; saluum me fac: &* [7] *continuò* IESVS *extendens manum apprehendit eum, & ait,* [8] *Modicæ fidei quare dubitasti?* Auguſt.

Aug. ſ. 13. de verbis Dom.

" Videte Petrum qui tunc erat figura veſtra; modò fidit, modò titubat; habet Eccleſia Chriſti firmos, habet & infirmos. *Si tu es iube me,* &c. Agnouit quid ſibi eſſet à ſe, quid ab illo; Multos autem impedit à firmitate præſumptio firmitatis, &c.) & iterum ibidem. " Attendite ſæculum quaſi mare, ventus validus, & magna tempeſtas; Amas Deum? ambulas ſuper mare, ſub pedibus tuis eſt timor ſæculi: Amas ſæculum? abſorbebit te; vnicuique ſua cupiditas tempeſtas eſt; quando temporali felicitate ſæculum arridet, vide ſi non te ſubuertit ventus interior: Magnæ virtutis eſt cum felicitate lucrari; magnæ felicitatis, à felicitate non vinci.)

4. *Et cùm aſcendiſſet in nauiculam*

[1] ceſſa-

[1]*cessauit ventus; qui autem in nauicula erant* [2] *venerunt, & adorauerunt eum, dicentes, Verè* [3] *filius Dei es: & statim* [4] *nauis fuit ad terram ad quam ibant.*" Ego Dominus confortans in die tribulationis; venias ad me, cùm tibi non benè fuerit, &c.) Thom. à Kemp. l. 30. c. 30.

LXXII.

Filia Cananæa liberatur.

Matth. 15. Marc. 7.

Feria 5. post 1. Quadrag.

1. *ET egressus inde* IESVS *secessit in partes Tyri & Sidonis; & ecce mulier Cananæa* [1] *egressa à finibus illis clamauit, dicens ei,* [2] *Miserere mei Domine, fili Dauid, filia mea* [3] *malè à damonio vexatur: qui non* [4] *respondit ei verbum.* Aug." Clamabat auida impetrandi beneficij, fortiterque pulsabat, & & dissimulabatur ab eo, non vt misericordia negaretur, sed vt desiderium accenderetur, humilitas commendaretur.) Aug. s. 74. de Temp.

2. *Et accedentes discipuli eius* [1] *rogabant eum, dicentes, Dimitte eam quia clamat* [2] *post nos: Ipse autem respondens ait: Non sum* [3] *missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël.* Ambrosius, " Eos quos primò

Ambr. in ps. 43.

primò elegerat nequaquam refutare cupiebat: sed vbi ipsi Auctorem proprium reliquerunt, paulatim conuersus est ad gentes, vt & nationum plus probaretur affectus, & illorum meritò pertinacia condemnaretur.) & infrà, "Ergo qui vicinus est exeat, vt Christum videre desideret, & in oratione clamet, &c.)

3. *At illa* [1] *venit &* [2] *adorauit eum, dicens, Domine,* [3] *adiuua me: qui respondens ait, Non est* [4] *bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus: At illa dixit,* [5] *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis qua cadunt de mensa dominorum suorum.* Chrysost. "Confiteor me catulum esse, igitur sicut catulum dignare me micis mensæ, &c.)

Chrysost. hom. 44. in Gen.

4. *Tunc respondens* IESVS, *ait illi: O mulier,* [1] *magna est fides tua, fiat* [2] *tibi sicut vis; & sanata* [3] *est filia eius in illa hora.* Euthym. "Non desperauit, &c. Nos vbi statim non assequimur desistimus, cùm propiùs oporteret accedere, & feruentiore, orationi incumbere.) & Chrysologus, "Meritò adoptatur in filiam, leuatur ad mensam, quæ se sub mensa laudabili humilitate deiecit.)

Euthym.

Chrysol. ser. 100.

LXXIII.

LXXIII.

Surdus & mutus curatur. Marc. 7.

3. ET *iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilæa, inter medios fines Decapoleos. Et adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum vt imponat illi manum.* Theophyl. " Non moratur diu in gentilium locis.) " Muti autem sunt (inquit Glossa) qui non laudant Deum, surdi qui obtemperant, &c.) Dom. 11. post Pentecost. Theophyl. Glossa.

2. *Et* [1] *apprehendens eum de turba seorsum,* [2] *misit digitos suos in auriculas eius, &* [3] *expuens tetigit linguam eius, & suspiciens* [4] *in cœlum* [5] *ingemuit, & ait illi, Ephetha, quod est,* [6] *adoperire; & statim aperta sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè.* Victor Antioch. " Christus non ita ad suam dignitatem spectare videtur sicut ad nostram salutem; neque adeò curare vt magnum aliquod sonet, atque illud depromat quo nos ad se pertrahere queat; quare sublimibus eius dictis factisque multa passim tenuia inseruntur, &c.)" Fortè etiam eum à turba seorsim Victor.

appre-

apprehendit, vt doceret, qui mente curari volunt praua debere vitare consortia, & Deo secreto vacare; peccatores etiam sæpè priuatim monendos, ne ex humano rubore à pœnitentia auertantur, &c.) Idem.

3. *Et præcepit* [1] *illis ne cui dicerent*; [2] *quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant, & eò* [3] *amplius admirabantur, dicentes: Bene* [4] *omnia fecit; & surdos fecit audire, & mutos loqui.* Augustinus, " Vt quid hoc præcipiebat? nisi quia pigris volebat ostendere quantò studiosius, quantoque feruentius eum prædicare debeant quibus iubet vt prædicent, quando illi qui prohibebantur, tacere non poterant.) lib. 4. de Consensu Euang. c. 4.

Augustinus.

LXXIV.

Dom. 6. post Pentecost.

Septem panibus quatuor millia reficiantur. Matth. 15. Marc. 8.

1. ITerum *cùm turba multa esset, nec haberent quod manducarent, conuocatis discipulis, ait illis,* [1] *Misereor super turbam,*

turbam: quia ecce iam [2] *triduo* [3] *ſuſtinent me, nec habent quod manducent; & ſi dimiſero eos ieiunos, deficient in via. quidam enim ex eis de* [1] *longè venerunt.* Hieronymus, '' Vult paſcere quos curauit; conuocat quoque diſcipulos, vt vel magiſtris exemplum tribuat cum minoribus atque diſcipulis communicanda eſſe conſilia; vel ex conſultatione intelligant ſigni magnitudinem.)'' Digni autem erant ſollicitudine Domini qui tribus diebus expectauerant Dominũ) ° Turba enim triduo Dominum ſuſtinet, quando multitudo fidelium peccata quæ perpetrauit per pœnitentiam declinans ad Deum ſe in opere, locutione, cogitatione conuertit. Quidam verò de longè venerũt; quantò enim quiſque plus in prauo opere errauit, tantò ab omnipotente Domino longius receſſit: qui ſæpè à Doctoribus tantò neceſſe eſt vt largioribus cibis doctrinæ ſatientur, quantò feſſi maioribus vitiis venerunt.)

Hieron. Matth. 15.

Chryſoſt. hom. 8. in Matth.

Greg. hom. 11. in Euãg.

2. *Et reſponderunt ei Diſcipuli ſui,* [1] *Vnde illos quis poterit* [1] *hîc ſaturare panibus in* [3] *ſolitudine? & interrogauit eos, quot panes*

panes habetis? qui dixerunt, septem: & præcepit turbæ discumbere super terram.

Theophyl. Theophyl. "Quamuis autem illos oblitos esse priorũ, sic hebetes tamen erant, vt cùm postea eos videris tantâ sapientiâ præditos mireris Dei gratiam. Secundum Hilarium, septem panes, sunt septem dona Spiritus sancti; quæ vt vtiliter accipiamus. Discumbere oportet super terram, hoc est, sedulò meminisse quàm ex nobis terrei luteique simus, non valentes boni aliquid cogitare ex nobis tanquam ex nobis, sed sufficientiam omnem nostram ex Deo esse.

3. *Et accipiens septem panes, gratias* [1] *agens* [2] *fregit, & dabat Discipulis suis vt apponerent, &* [3] *apposuerunt turbæ: & habebant piscículos paucos, &* [4] *ipsos benedixit, & iussit apponi; &* [5] *manducauerunt, &* [6] *saturati sunt; &* [7] *sustulerunt quod superauerat de fragmentis septem sportas; erant autem qui manducauerant quasi quatuor millia, & dimisit eos; &* [8] *ascendens nauim cum Discipulis suis venit in partes Dalmanutha.* Ambrosius,

Ambr. l. 6. in Lucam. "Non piget æstimare quòd quatuor millia ex quatuor mundi collecta partibus,

bus, in quibus Ecclesia figuratur, maioris gratiæ cibum sumant, iuxta quod scriptum, *Quia venient ab Oriente & Occidente, & recũbent cum Abraham*, &c.

LXXV.

Cauendum fermentum Phariſæorum. Matth. 16. Marc. 8.

1. ET *accesserunt ad eum Phariſæi, & Sadducæi:* [1] *tentantes & rogantes eum vt ſignum de Cœlo oſtenderet eis. At ille reſpondens ait illis, facto veſpere dicitis ſerenum erit, rubicundum eſt enim cœlum; & manè, hodie tempeſtas, rutilat enim triſte cœlum:* [2] *faciem ergo Cœli diiudicare noſtis, ſigna autem temporum non poteſtis ſcire? &* [3] *ingemiſcens ſpiritu ait, Generatio mala & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei,* [4] *niſi ſignum Ionæ Prophetæ; &* [5] *relictis illis abiit.* Hieronymus hîc, [6] Hoc fermentum eſt de quo Apoſtolus modicum fermentum totam maſſam corrumpit, &c. ita & doctrina Hæretica ſi vel modicam ſcintillam in tuum pectus iecerit, in breui ingens flamma creſcit, &c. Hieron.

2. *Et*

2. *Et cùm veniſſent Diſcipuli eius trans fretum obliti ſunt panes accipere, qui dixit illis: Intuemini & cauete à fermento Phariſæorum, & Sadducæorum; At illi cogitabant intra ſe dicentes, quia panes non accepimus. Sciens autem* IESVS *dixit, quid cogitatis intra vos, modicæ* [1] *fidei, quia panes non habetis? Nondum intelligitis, neque* [2] *recordamini quinque panum in quinque millia hominum, & quot cophinos ſumpſiſtis? neque ſeptem panum in quatuor millia, & quot ſportas fragmentorum tuliſtis? quare* [3] *non intelligitis quòd non de pane dixi vobis, ſed cauendum à doctrina Phariſæorum & Sadducæorum.* Chryſoſtomus, "Non ſemper verborum remiſſio laudabilis eſt, &c.)" Fermentum autem ideo nominat doctrinam Phariſæorum, quia amara eſt, malitiæque veteris plena.) Theophyl. in 8. Matth.

Chryſoſt. hom. 54. in Matth.

3. *Et veniunt Bethſaidam, & adducunt ei Cæcum & rogabant eum vt illum tangeret, & apprehenſa manu cæci* [1] *eduxit eum extra vicum, &* [2] *expuens in oculos eius, impoſitis* [3] *manibus ſuis interrogauit eum ſi quid videret, & aſpiciens ait, video homines velut* [4] *arbores ambulantes:*

tes: deinde [5] iterum imposuit manus super oculos eius, & cœpit videre, & [6] restitutus est ita vt clarè videret omnia; & misit illum in [7] domum suam, dicens, vade in domum tuam, & si in vicum [8] introieris nemini dixeris Beda," Quisquis lumen veritatis videre desiderat, non exempla turbarum, sed ducatum necesse est semper sui redemptoris sequatur: paulatim verò curat vt magnitudinem humanæ cæcitatis ostendat, quæ pedetentim ad lucem diuinæ visionis solet peruenire.) & infrà, " Quisquis ita obscuritate depressus est vt inter sinceræ pietatis opera, & simulationem iustitiæ adhuc discernere nesciat, quasi ambulantes homines instar arborum cernit, quia facta multitudinis absque luce discretionis videt.) Quòd autem in domum suam misit, mysticè admonet omnes qui agnitione veritatis illustrantur, vt ad cor suum redeant, & quantum sibi donatum sit, solicita mente perpendant, collatisque sibi beneficiis digna operum executione respondeant.) Beda Marci 8.

LXXVI.

Claues regni cœlorum traduntur Petro Christum confitenti. Matth. 16. Marc. 8.

In festo SS. Apost. Petri & Pauli.

1. VEnit autem IESVS *in partes Cæsareæ Philippi & interrogabat discipulos suos, dicens, quem dicunt homines esse filium hominu: at illi dixerunt, Alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Hieremiam, aut vnum exprophetis.* Beda, Beda in homilia de hac lectione. '' Notet dilectio vestra quàm miranda distinctione sit factum vt Dominus de se quod minus est, discipulus de Domino intimet quod maius est: sed nos tanto humilius necesse est diuinitatis eius alta venerari; quanto illum meminimus pro nostra exaltatione ad humanitatis infima descendisse. Pulchrè autem homines appellat qui de filio hominis tantum loqui nouerant; nam qui diuinitatis mysteria capiunt meritò super homines esse dicuntur.)

2. *Dicit illis* IESVS: *Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit,*

dixit, [2] *Tu es* [3] *Christus* [4] *filius Dei viui. Respondens autem* IESVS *dixit ei, Beatus* [6] *es Simon Bar-iona, quia* [7] *caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater* [5] *meus qui in cœlis est.* Augustinus, " Respondit Petrus vnus pro omnibus, quia vnitas in omnibus. Iunge vtrumque, quod de se Christus, & quod de Christo Petrus, & venit Christus in carne: quid de se Christus? *quem dicunt homines esse filium hominis*? quid de Christo Petrus? *Tu es filius Dei viui.*) & Ambrosius, " Non licèt mihi scire generationis seriem, non licèt tamẽ nescire generationis fidem.) " Et ideo *Beatus*, quia non te opinio terrena fefellit, sed inspiratio cœlestis instruxit.) Leo ser. 2. de natali Apost.

Aug. ser. 33. de v. Apost.

Ambr. 7. in Lucam.

Leo.

3. *Et* [1] *ego dico* [2] *tibi, quia Tu es* [3] *Petrus, & super* [4] *hanc petram ædificabo ecclesiam* [5] *meam, & portæ inferi non* [6] *præualebunt aduersus eam; & tibi dabo claues* [7] *regni cœlorum, &* [8] *quodcunque ligaueris super terram erit ligatum & in cœlis*, &c. Hieronymus, " Ego dico tibi, cuius dixisse fecisse est.) & Theophyl. " Remunerat Petrum Dominus, mercedem illi dans magnam, quòd super eum ædi-

Hieron.

Theophyl.

ficauit Ecclesiam; nam licèt innumeras condamus virtutes, non habeamus autem fundamentum rectam confessionem, inutiliter ædificamus.) ''Enitere ergo & Tu vt Petra sis; Petra tua fides est, &c.)'' Claues autem regni cœlorum ipsam discernendi sapientiam, potentiamque nominat, qua dignos recipere, indignos secludere deberet à regno.)

Ambr. sup.

Beda hic.

LXXVII.

Christus mortem suam prædicens Petrum obstantem reprehendit.

Marc. 8.

1. [1]EXinde cœpit IESVS. [2]*ostendere Discipulis quia* [3]*oportet eum ire Hierosolymam, &* [5]*multa pati à* [6]*senioribus, & Scribis, & principibus sacerdotum, &* [7]*occidi & tertia die* [8]*resurgere: &* [9]*assumens eum Petrus cœpit* [10]*increpare illum, dicens, Absit à* [11]*te, Domine, non erit tibi hoc: qui conuersus dixit Petro, Vade post* [12]*me Satana, quia non sapis ea* [13]*quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.* Error de pietatis affectu; & vt sciamus quòd absque Deo

Deo neque ille locutus est magnum quiddam: vnde Hieronymus: "Diabolo dicitur, *vade Satana.* Petrus audit, *vade retro me*, hoc est, sequere sententiam meam; meæ voluntatis & Patris est vt pro hominum salute moriar.) Hier. hîc.

2. *Tunc* IESVS *dixit Discipulis suis, Si quis*[1] *vult venire post*[2] *me, abneget*[2] *semetipsum, & tollat crucem*[4] *suam, & sequatur*[5] *me; qui enim*[6] *voluerit animam suam saluam facere, perdet eam, qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* q.d. "Tu quidem me prohibes; Ego autem dico tibi, non solùm si non patiar, tibi damnosum esse, sed neque tu saluari poteris, nisi & ipse moriaris; & quisquis alius, siue vir, siue mulier, siue diues, siue pauper. " Cæterùm vide quod non dixit, etsi non velit quis, morietur, sed quicunque vult: quid verò sit abnegare seipsum discimus, si didicerimus quid sit abnegare alium, &c.) Idem, " Sed iam qui se à vitiis abnegat, exquirendæ ei sunt virtutes in quibus crescat, vnde protinus adiungitur, *Et tollat crucem suam & sequatur me*) Beda. *Pro Martyre Pontif.* Theohyl. Matth. 8. Beda Marci 8.

3. *Quid enim prodest homini si*[1] *vniuersum*

uersum mundum lucretur, [2] *animæ verò suæ* [3] *detrimentum patiatur? aut quam dabit homo* [4] *commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in* [5] *gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet* [6] *unicuique secundùm opera eius.*" Neque enim aliam habes animam quam pro amissa rependas.) Victor, "Hîc quidem potes dare lachrymas & eleemosynam, & ieiunare, illic autem non: Iudex enim tunc non accipiet, dona respuens.) Theophyl. & Hieronymus, "Times mortem? Audi gloriam triumphantis: Vereris Crucem? auscultа Angelorum ministeria: *reddet unicuique*; non est distinctio pauperum & diuitum; non personæ, sed opera considerantur.)

Victor Marci 8. Theophyl. Matth. 16. Hier. ibid.

LXXVIII.

Domini Transfiguratio. Matth. 17. Marc. 9. Luc. 9.

Sabb. quatuor Temp. & Dom. 2. Quadrag. & in Transfiguratione.

1. ET *post dies sex* [1] *assumit* IESVS *Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in* [2] *montem* [3] *excelsum* [4] *seorsim, & transfiguratus est ante eos;*

eos; & resplenduit [5] *facies eius sicut sol,* [6] *vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.*" In montem oraturus, & transfigurandus ascendit, vt ostendat eos qui regem in decore suo videre desiderant, mente in excelsis habitare, & continuis precibus incumbere debere. Tres autem solùm secum ducit, quia multi sunt vocati, pauci electi.) Beda in hom. de hac lect.

2. *Et ecce duo viri loquebantur cum illo: erant autem Moyses & Elias, visi in* [1] *Maiestate, & dicebant* [2] *excessum eius, quem* [3] *completurus erat in Ierusalem. Petrus autem & qui cum eo erant,* [4] *grauatī erant somno, & euigilantes viderunt maiestatem eius, & duos viros qui stabant cum illo.* "Moyses mortuus, Elias raptus in cœlum futuram in illo omnium Sanctorum gloriam significant, ipsumque esse qui cuncta legis & Prophetarum oracula promiserat.)" Denique vt Crucis gloriam ostendant; non tacebant, sed loquebantur de excessu: suspicionemque tollunt eorum qui ipsum Eliam aut vnũ ex prophetis dicebant.) Chrysost. & Theophyl. Beda. Chrysost. Theophyl.

3. *Factum est autem cùm discederent*

ab illo, ait Petrus ad IESVM, *Praceptor, Bonum* [1] *est nos hîc esse; si* [2] *vis, faciamus hîc tria tabernacula: Tibi* [vnû, *Moysi vnum, & Eliæ vnum:* [4] *nesciens quid diceret.* Augustinus," Vnam stillam dulcedinis ille gustauit, & omnem aliam fastidiuit dulcedinem: quid si magnam illam multitudinem dulcedinis diuinitatis tuæ gustasset quam abscondisti timentibus Te?)" At iure reprehenditur quia nec-dum mentis perfectione roboratus veritatis claritate cognita, in terra figere tabernaculum conatur, vbi peregrinos se & hospites iusti nouerunt: ei tamen rationabiliter indulgetur, quia tantum bonum videbat quod sic non amari nullatenus poterat.)

Aug. solil. c. 22.

Gregor. 8. mor. 41. & 1. Reg. 3.

4. *Adhuc eo loquente, ecce nubes* [1] *lucida obumbrauit eos, &* [2] *timuerunt intrantibus illis in nubem: Et ecce vox de nube dicens,* [3] *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui,* [4] *ipsum audite; & audientes ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde.* Damascenus," Hic qui nuper homo factus est, qui humiliter & abiectè vobiscum versatur, cuiusque nunc facies resplenduit, hic est filius meus

Damascen. orat. de Transfig.

meus dilectus', 'sæculis omnibus antiquior, solus ex solo, &c.) *In quo mihi bene complacui.* '"Verè enim hic est in quo non est quod Patri displiceat, quod oculos Maiestatis offendat; vnde & ipse ait, quia quæ placita sunt ei facio semper.) Bernardus. Bernar. s. 1. de Epiph.

5. *Et accessit* IESVS *& tetigit eos, dixit q; eis, Surgite, & nolite timere: leuantes autem oculos suos neminem viderunt nisi solum* IESVM; *& descendentibus illis de monte præcepit eis* IESVS, *dicens, Nemini dixeritis visionem donec filius hominis à mortuis resurgat: Et verbum continuerunt apud se conquirentes quid esset cùm à mortuis resurrexerit.* Chrysost. '"Mandauit eis ne cui dicant, &c. Nam quantò maiora de ipso dicebantur, tantò difficiliora tunc creditu multis videbantur.) Chrys. ho. 97. in Mat.

LXXIX.

Eijcit dæmonium quod non poterant discipuli expellere. Matth. 17. Marc. 9. Luc. 9.

1. ET *veniens ad discipulos suos vidit turbam magnam circa eos, & Scribas* *Fer. 4. quatuor Temp. Septembris.*

bas conquirentes cum illis; & confestim omnis populus videns IESVM [1] *stupefactus est, &* [2] *expauerunt, & accurrentes* [3] *saluzabant eum: & interrogauit eos, quid inter vos conquiritis?*

2. *Et respondens vnus de turba dixit, Magister, attuli filium meum ad Te, habentem spiritum* [1] *mutum, qui vbicunque eum apprehendit* [2] *allidit eum, &* [3] *spumat, &* [4] *stridet dentibus, &* [5] *arescit: & dixi discipulis suis vt eijcerent illum & non* [6] *poterunt.* Dicitur hic idem apud Matthæum *lunaticus*; & infrà, quòd *frequenter eum in ignem & in aquam misit, vt eum perderet.* Vnde Origines eos significari posse existimat qui ab eo statu boni in quo stare videbantur,, minuuntur, & quod videbatur in eis lumen inuenitur non esse diurnum, sed nocturnum & lunare, & tamdiu minui vt non videatur lumen esse omnino: licèt in talibus videre sit impetus quosdam quasi bonorum operum subrepere, ita vt ab hominibus laudes possint subripere qui nesciunt occultam cordis eorum inconstantiam.)

Orig. tr. 4. in Matth.

3. *Qui respondens eis dixit: O generatio incre-*

incredula? quamdiu [1] *apud vos ero? quamdiu vos* [2] *patiar? afferte illum ad me: & attulerunt eum: & cùm vidisset eum,* [3] *statim spiritus conturbauit eum, & elisus in terram* [4] *volutabatur spumans: & interrogauit patrem eius, quantum temporis est ex quo hoc ei accidit? At ille ait,* [5] *Ab infantia: &* [6] *frequenter eum in ignem, &c. Sed si quid* [7] *potes, adiuua nos misertus nostri.* IESVS *autem ait illi, si potes* [8] *credere, omnia possibilia sunt credenti. Et continuò exclamans pater pueri cum* [9] *lachrymis aiebat, Credo Domine,* [10] *adiuua incredulitatem meam.* Beda, [11] Sæpè dum conuerti ad Dominum post peccata conamur, maioribus nouisque antiqui hostis pulsamur insidiis.) Beda.

4. *Et cùm videret* IESVS *concurrentem turbam comminatus est spiritui immundo dicens illi, Surde & mute spiritus* [1] *Ego præcipio tibi,* [2] *exi ab eo, &* [3] *amplius ne introeas in eum; & exclamans* [4] *& multum discerpens eum exijt ab eo: & factus est sicut mortuus, ita & multi dicerent quia mortuus est.* IESVS *autem tenens manum eius, eleuauit eum, & surrexit, & curatus est puer ex illa hora.* Gregorius,

Gregor.10. mor.28. " Multi mortuum dicunt, quia qui spiritualiter viuere nesciunt, eum qui carnalia bona non sequitur, extinctum funditus arbitrantur.)

5. *Tunc accesserunt ad eum discipuli secretò & dixerunt, quare nos non potuimus eijcere illum? dixit illis* IESVS, *propter incredulitatem vestram. Hoc autem genus non eijcitur nisi per orationem & ieiunium.* Leo ser.2. de ieiun 7. mensis. " Grata est Deo & terribilis diabolo ieiunantis oratio; nec latet quantum acquirat saluti suæ, quæ tantum præstet alienæ.

LXXX.

Didrachma soluitur & Humilitas commendatur. Matth.17. Marc.9. Luc.9.

1. *ET cùm venissent Capharnaum accesserunt qui didrachma accipiebant ad Petrum & dixerunt ei, Magister vester non soluit didrachma? ait, Etiam. Et cùm intrasset domum præuenit eum* IESVS *dicens, Quid tibi videtur Simon? Reges terræ, à quibus accipiunt tributum, à*

filiis

filiis suis, an ab alienis? & ille dixit, ab alienis: dixit illi IESVS, *ergo liberi sunt filij: vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens da eis pro me & te.* Augustin." Sic persoluit & mortem; non debebat, & persoluebat; ille nisi indebitum solueret, nunquam nos à debito liberaret.) & Hieron." Sed & ædificat auditorem dum tantæ Dominus fuit paupertatis, vt vnde tributa redderet non habuerit.)

Aug. s. 6. de verb. Dom.

Hieron.

2. *Et cùm domi esset interrogabat eos,* *quid in* [1] *via tractabatis? At illi* [2] *tacebant: siquidem in via inter se disputauerant quis* [3] *eorum maior esset: & residens vocauit* [4] *duodecim, & accipiens puerum statuit in medio, quem cùm* [5] *complexus esset ait illis, Amen dico vobis, nisi* [6] *conuersi fueritis & efficiamini sicut* [7] *paruuli non intrabitis in regnum cœlorum:* [8] *quicunque ergo humiliauerit se sicut paruulus, hic* [9] *est maior in regno cœlorum; & qui susceperit* [10] *vnum paruulum talem in nomine meo; me suscipit.*

In festo S. Michaëlis.

3. *Qui autem scandalizauerit vnum*

de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris; va mundo à scandalis: necesse est enim vt veniant scandala, verumtamen va homini illi per quem scandalum venit. Hieronymus, "Multò melius est pro culpa, breuem recipere pœnam quàm cæteris seruari cruciatibus: non enim vindicabit Dominus bis in idipsum.)

Hieron. Matth. 18.

4. *Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscide eum & proijce abs te: bonum est tibi ad vitam ingredi debilem vel claudum, quàm duas manus aut duos pedes habentem mitti in ignem æternum: & si oculus tuus scandalizat te, erue eum & proijce abs te; bonum est tibi cum vno oculo ad vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Euthym. "Non de membris corporis hoc dicit, sed de cognatis & amicis, & ministris, quos horum membrorum loco habemus.) & Hieronymus, "Ergo non frater, non vxor, non filij, non amici, non omnis affectus amori Domini præponatur: Nouit vnusquisque credentium quid sibi noceat, &c. Gre-

Euthym.

Hieron.

go-

gorius verò,'' Nonnulli inquieti ſpiritus dum plus exquirunt contemplando quàm capiunt, vſque ad peruerſa dogmata erumpunt, & dum veritatis diſcipuli eſſe humiliter negligunt, magiſtri errorum fiunt. Hinc per ſemetipſum veritas dicit, ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, &c.) Gregor. 6. mor. c. 26.

5. *Videte ne* [1] *contemnatis vnum* [2] *ex his puſillis: dico enim vobis, quia Angeli* [3] *eorum* [4] *ſemper vident faciem Patris mei qui in cœlis eſt.* Chryſoſt.'' Si Angelos habemus, ſobrij ſimus tanquam ſi Pædagogi quidam adeſſent.) Chryſoſt.

LXXXI.

Parabola Regis ponentis rationem cum ſeruis ſuis. Matth. 18. *Domin. 21. poſt Pentec.*

1. TVnc *accedens Petrus ad eum dixit, Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vſque ſepties? dicit illi* IESVS, *non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties.* Theoph.'' Non concludit veniam numero: abſurdum enim ſedere & numerare vſque dum quadra- Theophyl

quadringẽta & nonaginta habeas; quoties quis lapsus fuerit, & pœnitentiam aget, concede ei veniam.) & Basilius, "Illud autem, De Cuiusmodi peccatis hoc intelligi debeat? ne quæri quidem arbitror oportere.) & Hieronymus, "Sed dicis, non ex toto corde conuertitur; Nos dimittamus iudicium Deo: Ego vocem audio: Christus cor intelligit: ego suscipio quod audio: suscipiat Christus quod nouit.)

Basil reg. bre. 15.

Hieron. in psal. 119.

2. *Ideo assimilatum est regnum cœlorum homini* [1] *regi qui voluit rationem ponere cum* [2] *seruis suis, & oblatus est ei vnus qui debebat ei* [3] *decem millia talenta; cùm autem* [4] *non haberet vnde oeddere, iussit eum Dominus eius venundari, & vxorem eius & filios &* [5] *omnia quæ habebat & reddi.* [6] *Procidens autem seruus ille orabat eum dicens,* [7] *Patientiam habe in me & omnia reddam tibi. Misertus autem Dominus serui illius dimisit eum, &* [8] *debitum dimisit ei.* Chrysostomus, "Bonus dominus non solum quantũ petiit, sed quantum ne cogitare quidem ausus esset donauit.) hom. 27. in Gen.

Chrysost.

3. [1] *Egressus autem seruus ille inuenit vnum*

vnum de [2] *conſeruis ſuis qui debebat ei* [3] *centum denarios, & tenens* [4] *ſuffocabat eum dicens, Redde quod debes: & procidens conſeruus ille rogabat eum dicens, Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi: Ille autem* [6] *noluit, ſed abiit, & miſit eum in* [7] *carcerem donec redderet.* Chryſoſtomus. "O ſummam ingratitudinem! habebat adhuc in recenti memoria, &c.) Chryſoſt.

4. *Videntes autem* [1] *conſerui eius* [2] *contriſtati ſunt valde, & venerunt, & narrauerunt Domino ſuo* [3] *omnia. Tunc* [4] *vocauit illum Dominus ſuus & ait illi, Serue nequam,* [5] *omne debitum dimiſi* [6] *tibi quoniam* [7] *rogaſti me: nonne ergo oportuit & te* [8] *miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? & iratus Dominus eius tradidit eum* [9] *tortoribus, quoadusque redderet* [10] *vniuerſum debitum. Sic & Pater* [11] *veſter cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque* [12] *fratri ſuo de* [13] *cordibus veſtris.* Chryſoſt. ſuprà, "Nihil omnium ita odit, vt hominem vltionis auidum, & in animo ſuo perpetuas aduerſus proximum ſuum ſeruantem inimicitias.) Chryſoſt.

LXXXII.

Hierosolymam ad diem festum clàm proficiscitur. Io.7. Luc.9.

Feria 3. post Dom. Pass.

1. ERat *autem in proximo dies festus Iudaeorum Scanopegia. Dixerunt autem ad eum fratres eius:* [1] *Transi hinc & vade in Iudaeam, vt & discipuli tui videant opera tua quae facis.* [2] *Nemo quippe in occulto quid facit, & quaerit ipse in palam esse: neque enim* [3] *fratres eius credebant in eum.* Beda hîc,'' Opera Domini

Beda.

discipulos non latebant; sed isti in eum credere ipsa propinquitate fastidierunt; & humanam gloriam requirebant dicentes, *Transi hinc*, &c. hoc est, Transi in Iudæam vt principatus gentis, & ciuitas caput regni videat mirabilia tua: Appare omnibus vt laudari possis ab omnibus.)

2. *Dixit ergo* IESVS, *Tempus* [1] *meum nondum aduenit, tempus autem vestrum* [2] *semper est paratum; non potest* [3] *mundus odisse vos; me* [4] *autem odit: vos ascendite ad diem festum hunc, Ego autem non ascendo*

ad

ad diem festum istum; quia meum tempus nondum impletum est. Hæc autem cùm dixisset, ipse mansit in Galilæa. Augustinus, "Tempus gloriæ meæ non aduenit, tempus autem vestrum, id est mundi gloria, semper paratum est." Chrysostomus verò aliter, "Quid autem tempus vt moriar præparatis? non interficient vos, mihi autem protinus mortem machinabuntur." Aug. tr. 28. in Io.

3. *Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifestè, sed quasi in* [1] *occulto. Et misit* [2] *nuntios ante conspectum suum, & euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum vt pararent illi, & non* [3] *receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Hierusalem. Cùm audissent autem Discipuli eius Iacobus & Ioannes dixerunt,* [4] *Domine, vis dicimus vt ignis descendat de cœlo, & consumat illos? Et conuersus increpauit eos dicens,* [5] *Nescitis cuius spiritus sitis: filius hominis non* [6] *venit animas perdere, sed saluare* Ambrosius, "Non habet vltionis studium perfecta virtus; nec vlla sit iracundia vbi plenitudo est Charitatis; nec excludenda infirmitas, sed iuuanda; Ambr. 7. in Lucam.

procul

procul à Religiosis indignatio.)

4. *Iudæi ergo [1] quærebant eum in die festo, & dicebant vbi est ille? & murmur [3] multum erat in turba de eo: quidam [4] enim dicebant, quia bonus est; alij autem dicebant, Non; sed seducit turbas: Nemo tamen [5] palàm loquebatur de illo propter metum Iudæorum.* Augustinus, "Si seducere, decipere est, nec Christus seductor, nec Apostoli eius, nec quisquam seductor debet esse Christianus. Si autem seducere, aliquando aliquem ad aliud persuadendum ducere est; quærendum est vnde, & quò! si à malo ad bonum, bonus est seductor; si à bono ad malum, malus seductor est; In hac ergo parte quâ seducuntur homines à malo ad bonum, vtinam omnes seductores & vocemur & simus.) "Desideria te sæpè accendunt, & vehementer impellunt; sed considera, &c.) Thom. à Kemp. l. 3. c. 11. n. 3.

Aug. tr. 29. in Ioan.

LXXXIII.

Decem leprosi mundantur. Luc. 17.

1. ET *cùm ingrederetur quoddam Castellum* [1] *occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à* [2] *longè, & leuauerunt* [3] *vocem suam dicentes,* IESV *praeceptor miserere nostri: quos vt* [4] *vidit dixit, Ite,* [5] *ostendite vos sacerdotibus. & factum est, dum* [6] *irent mundati sunt.* Greg.'' In lepra pars cutis in fulgorem ducitur, & pars in colore suo retinetur: Hæreticos itaque exprimunt, qui dum rectis praua permiscent, colorem sanum maculis aspergunt.) Augustinus verò etiam ad omnes extendit.'' Cicatricum tuarum arbiter, Dei vice, presbyter adhibeatur, & reuela ei vias tuas, & ipse tibi adhibebit antidotum reconciliationis.) & de vera & fal. pœnit. cap. 10.'' Mundati sunt dum irent, vnde patet Dominum ad cor respicere dum ex necessitate prohibetur ad sacerdotem peruenire.)

Dom. 13. post Pentecost.

Gregor. 5. mor. 11.

Aug. l. 2. de Visit. Infir. c. 4.

2. [1] *Vnus autem ex illis vt* [2] *vidit quia mundatus est, regressus est cum* [3] *magna voce magnificans Deum, &* [4] *cecidit in faciem*

Bern, serm. cũ fru vit. Ingratitud.

ciem suam ante pedes eius, gratias agens, & hic erat [5] *Samaritanus* Bernardus, "Felix Samaritanus ille qui cognouit se nihil habere quod non accepisset; felix qui ad singula dona gratiæ redit ad eum in quo est plenitudo omnium gratiarum, cui dum nos pro acceptis non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, vt maiora accipere mereamur.)

3. *Respondens autem* IESVS *dixit, Nonne* [3] *decem mundati sunt, &* [2] *nouem vbi sunt? Non est* [3] *inuentus qui rediret, & daret gloriam* [4] *Deo nisi hic alienigena: & ait illi, Surge; vade, quia fides* [5] *tua te saluum fecit.* Bernardus suprà, "Benè Saluator nouem illos vbi sunt quærit, quoniam longè est à peccatoribus salus. Sic enim & primum hominem post peccatum vbi sit interrogat, & in iudicio nescire se profitebitur operarios iniquitatis.)

Bern. sup.

LXXXIV.

IESVS *in templo docet in Scænopegia.* Ioan. 7.

Feria 3. post 4. Quadrag

1. *IAm autem die festo mediante ascendit* IESVS *in templum & docebat, & mirabantur Iudæi dicentes,* [1] *Quomodo hic literas scit cùm non didicerit? Respondit* IESVS, *Mea* [2] *doctrina non est mea, sed eius qui misit me; si quis voluerit* [3] *voluntatem eius facere cognoscet de doctrina vtrùm ex Deo sit, an ego à meipso loquar. Qui à semetipso loquitur* [4] *gloriam propriam quærit; qui autem quærit gloriam eius qui misit eum,* [5] *hic verax est, &* [6] *iniustitia in illo non est.* Augustinus," Secundùm formam Dei suam dicit, secundùm formam serui non suam)" Nam cùm sine eruditione literarum doceat, non quasi homo, sed vt Deus videtur docere.) Ambrosius. & iterum Augustinus tr. 29. in Ioan." Quid est, *si quis voluerit voluntatem*, &c. Si non intellexisti, crede vt intelligas, quoniam nisi credideritis non intelligetis: Quid intelliges? quia Christus

Aug. 1. de Trin. c. 12. Ambr. lib. de fide c. 4.

stus Dei filius, qui est doctrina Patris, non est ex seipso, &c.

2. *Nonne Moyses dedit vobis legem, & [1] nemo ex vobis facit legem? quid [2] me quæritis interficere? Respondit turba, [3] Dæmonium habes, quis te quærit interficere? Respondit* IESVS, *Vnum opus feci & omnes [4] miramini? Propterea Moyses dedit vobis Circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex patribus; & in sabbatho circumciditis hominem. Si circumcisionem accipit homo in sabbatho, mihi indignamini quia [5] totum hominem sanum feci in sabbatho?* Ambros. "Hoc est *totum*: non vt facultatum collatione ditaret, non vt honorum insignibus, non vt gloriæ sæcularis cumularet augmento; hæc enim non habent beatitudinis plenitudinem, sed *totum* hoc est quod longitudinem vitæ complecteretur æternæ.)

Ambr. in ps. 118. c. 14.

3. *Nolite iudicare secundùm faciem, sed iustum iudicate; dicebant ergo quidam ex Hierosolymis, Nonne hic est quem quærunt interficere? Et ecce palàm loquitur, & nihil ei dicunt: Nunquid verè cognouerunt Principes quia hic est Christus? sed hunc scimus vnde sit: Christus autem cùm venerit*

rit nemo scit vnde sit. Augusᵗ. " Vtrumque prænuntiauerunt scripturæ, secundùm hominem vnde esset: secundùm Deũ, latebat impios & quærebat pios.)

4. [1] *Clamabat ergo* IESVS *in templo, Et me* [2] *scitis, & vnde sim scitis, & à meipso non veni; sed est verus* [4] *qui misit me quem vos nescitis. Ego* [5] *scio eum quia ab ipso sum, & ipse me misit. Quærebant ergo eum apprehendere,* [6] *& nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius. De* [7] *turba autem multi crediderunt in eum & dicebant, Christus cùm venerit, nunquid* [8] *plura signa faciet quàm hic facit?*

LXXXV.

Missi ad eum comprehendendum reuersi laudant. Io. 7.

1. [1] *AVdierunt Pharisæi turbam murmurantem de illo hæc, & miserũt Principes ministros vt apprehenderẽt eum: dixit ergo eis* IESVS: *Adhuc* [2] *modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum qui misit me: quæretis me &* [3] *non inuenietis, & vbi sum vos* [4] *non potestis venire: dixerunt ergo* Feria 2 post Dom. Pass.

Iudæi ad semetipsos, [5] quò hic iturus est? quia non inueniemus eum; nunquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes.

2 *In nouissimo autem die magno festiuitatis stabat* IESVS *& clamabat dicens, Si quis sitit, veniat ad me & bibat; qui credit in me (sicut dicit scriptura) flumina de ventre eius fluent aquæ [2] viuæ. Hoc autem dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat spiritus datus, quia* IESVS *nondum erat glorificatus.* Ambros. '' Voce verè magna clamabat qui vocabat homines ad regnum cœlorum, ad illum venerabilem potum quo vitæ æternæ fluctus infunditur)

Ambros. in ps. 118. c. 19.

Auguſt in Med. c. 17. '' Trahe me ad fontem hunc viuum, vt inde pro captu meo bibam, vnde semper viuam, Deus meus, vita mea)

3. *Venerunt ergo Ministri ad Pontifices & Phariſæos, & dixerunt eis illi, quare non adduxisti illum? Responderunt Ministri, Nunquam [1] sic locutus est homo, sicut hic homo. Responderunt ergo eis Phariſæi, [2] Nunquid & vos seducti estis? Nunquid ex Principibus aliquis credidit in eum? aut ex [4] Phariſæis? ſed [3] turba hæc quæ non nouit legem,*

legem, maledicti sunt Dixit Nicodemus ad eos: Nunquid lex nostra iudicat hominem nisi priùs audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat? Respondérunt ei: [6] Nunquid & tu Galilæus es? Scrutare scripturas, & vide quia à Galilæa propheta non surgit: & reuersi sunt vnusquisq; in domum suam. Chrysost. "Cùm compungi & mutare sententiam oportuisset, accusant: sed interrogandum fuerat quid admiratione dignum IESVS loqueretur: id certè cauerunt, &c.) Chrysost.

LXXXVI.

Mulier in adulterio deprehensa liberatur. Io. 8.

Sabbatho post Dom. 3. Quadrag.

1. IESVS *autem perrexit in* [1] *montem oliueti, & diluculo iterum venit in templum, & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos Adducunt autem Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam* [4] *in medio, & dixerunt ei: Magister hæc mulier modò deprehensa est in adulterio: In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare: Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant*

bant tentantes eum, vt possent accusare eum: IESVS *autem inclinans se deorsum digito scribebat in terra.* Ambros." Quid scribebat nisi illud propheticum, Terra, terra, scribe hos viros abdicatos; non scribuntur in terra fidelium nomina, sed in cœlo.)

Ambr.l.7. ep.58.

2. *Cùm autem perseuerarent interrogantes eum, erexit se, & dixit eis, Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat; & iterum se inclinans scribebat in terra; Audientes autem, vnus post vnum exibant, incipientes à senioribus; & remansit solus* IESVS, *& mulier in medio stans.* Ambros." Scribebat in terra digito quo legem scripserat: quid? festucam quæ in oculo est fratris tui vides, trabem autem, &c. *Qui sine peccato est,* &c.

Ambr.l.9, ep.76.

" O responsio sapientiæ! quomodo eos intromisit in seipsos, &c. Hæc vox iustitiæ est, impleatur lex, sed non â præuaricatoribus legis, &c.) Beda.

Beda hîc.

3. *Erigens autem se* IESVS *dixit ei, Mulier vbi sunt qui te accusabant? nemo te condemnauit? quæ dixit, Nemo Domine: dixit autem* IESVS, *Nec ego te condemnabo: vade, & iam amplius noli peccare.*

Am-

Ambros." Meruit & mulier absolui quæ recedentibus Iudæis remansit sola cum Christo: Ita nullum damnari vult, absolui omnes. Addidit autem deuiæ, *Vade*, &c. Etenim seueriore sententia culpa damnatur, si vnusquisque crimen suum oderit, & in se incipiat condemnare delictum.) & Augustinus," Et Dominus damnauit, sed peccatum, non hominem: nam si peccatorum fautor esset, diceret, non te condemnabo, vade, viue sicut vis, &c. Dicit autem, Deleui quod commisisti; obserua quod præcepi; vt inuenias quod promisi, &c.) Ambr. sup. Aug. s. 47. de v. Dom

DISTRIBVTIO

Mysteriorum quæ supersunt Doctrinæ & Miraculorum Christi Domini,

Cui plura videbuntur esse mysteria doctrinæ ac miraculorum Christi Domini, quàm vt vno anno omnia percurrantur ; is cùm proximâ distributione vsus fuerit à Pentecoste ad Aduentum, alio iterum anno inchoaturus, finita Hebdomada quæ Dominicam quintam subsequitur, in modum hîc subiectum partiri poterit quæ supersunt.

21. Myst. Christum in templo calumniantur Iudęi.
Dom. 6. 22. Myst. Christo prædicante Iudæi aliqui conuertũtur.
23. Myst. Christum conantur lapidare.
24. Myst. Cæcus natus. *Pars 1.*
Dom. 7. 25. Myst. Cæcus natus. *Pars 2.*
26. Myst.

26. Myſt. Cæcus natus. *Pars* 3.
27 Myſt. Paſtor bonus. *Pars* 1.
Dom 8. 28 Myſt Paſtor bonus. *Pars* 2.
29. Myſt Mittit ſeptuaginta duo.
30 Myſt. Septuaginta reuerſi.
Dom. 9 31. Myſt. Parabola vulnerati.
32 Myſt. A Martha excipitur.
33. Myſt Docet orare.
Dom. 10. 34 Myſt. Inuitatur à Phariſęo.
35. Myſt. Auaritiam docet fugiendam.
36. Myſt Fidelis ſeruus. *Pars* 1.
Dom. 11. 37. Myſt. Fidelis ſeruus. *Pars* 2.
38. Myſt. Ignis & ſeparatio miſſa in terram.
39. Myſt. Suadetur pœnitẽtia.
Dom. 12. 40. Myſt. Mulier contracta ſanatur.
41 Myſt. Via Anguſta.
42 Myſt Phariſæi ſuadent Chriſto fugam.
Dom. 13. 43 Myſt Hydropicus ſanatur.
44 Myſt. Omnibus renunciandum.
45. Myſt In Encœniis conantur Chriſtum lapidare.

Dom.14. 46. Myſt. Parabola ouis & drachmæ.

47 Myſt. De filio Prodigo. *Pars* 1.

Dom.15. 48. Myſt. De filio Prodigo. *Pars* 2.

49. Myſt. De Villico Iniquitatis

Dom.16. 50 Myſt. De duobus dominis.

51. Myſt De Diuite Epulone.

52. Myſt. Varia documenta.

53 Myſt De Iudice iniquo.

Dom.17. 54. Myſt De Phariſæo & Publicano.

55. Myſt. Adoleſcenti ſuadetur perfectio.

56. Myſt. Præmium ſequentium Chriſtum.

Dom.18. 57. Myſt, Operarij miſſi in vineam.

58. Myſt. De Lazari ſuſcitatione. *Pars* 1.

59. Myſt. De Lazari reſuſcitatione. *Pars* 2.

Dom.19. 60. Myſt. De Lazari reſuſcitatione. *Pars* 3.

61. Myſt. Concilium primum de

de perdendo IESV.

62. Myſt. Chriſtus prædicit paſſionem.

Dom.20. 63. Myſt. Filij Zebedæi ambiunt primas ſedes.

64. Myſt. Cæcus iuxta Iericho

65. Myſt. Zachæus.

Dom.21. 66. Myſt. Parabola decem mnarum.

67. Myſt. Maria vngit IESVM in Bethania.

68. Myſt. Negotiantes eijciuntur è templo.

Dom.22. 69. Myſt. Ficus arefacta.

70. Myſt. Gentiles cupiunt videre Chriſtum.

71. Myſt. De Chriſti exaltatione in Cruce.

Dom.23. 72. Myſt. Chriſtus Deum ſe credi vult.

73. Myſt. De Ioan. baptiſmate.

74. Myſt. Parabola vineæ.

Dom.24. 75. Myſt. De Rege qui fecit nuptias filio.

76. Myſt. Quæſtio de tributo Cæſaris.

77. Myſt. Mandatũ magnum.

78. Myst. Scribæ audiendi & cauendi.

Dom. 25. 79. Myst. Vidua pauper.

80. Myst Signa Aduentus. *Pars* 1.

81. Myst Signa Aduentus. *Pars* 2.

Dom. 26. 82. Myst. Signa Aduentus. *Pars* 3.

83. Myst. De præparatione ad iudicium.

84. Myst. De decem Virginibus.

Dom. 27. 85. Myst. De Talentis.

86. Myst. Iudicij extremi descriptio.

Ad maiorem Dei Gloriam.

CAPI-

CAPITIS QVARTI
PARS ALTERA

Continens reliqua Doctrinę Christi, & miraculorum Mysteria.

XXI.

Christum in Templo docentem Iudæi calumniantur. Ioan. 8 12.

Sabbatho post Quadr.

1. ITerum *locutus est eis* IESVS *dicens: Ego sum* [1] *lux* [2] *mundi; qui sequitur* [3] *me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen* [4] *vitæ.* Augustinus, " Lux est qui fecit hanc lucem: nube tegitur carnis, non vt obscuretur, sed vt temperetur: si sequaris istum solem visibilem, te deserit in occasu; à Deo si non facis casum, nunquam ad te ille faciet occasum. Aug. h. 34.

2. *Dixerunt ergo ei Pharisæi: Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. Respondit* IESVS: *Etsi ego testimonium perhibeo de meipso, verum*

est testimonium meum, quia scio [1] *vnde veni, & quò vado; vos autem* [2] *nescitis vnde veni aut quò vado. Vos secundùm* [3] *carnem iudicatis; ego non iudico* [4] *quemquam; & si iudico, iudicium meum* [5] *verum est, quia* [6] *solus non sum, sed ego & qui misit me Pater*, &c. Augustinus & Glossa, Augustinus. "Videbant hominem, & Deum non credebant: ideo secundùm quod oculis carnis cernebant iudicantes, & hominem purum existimantes (cui in laude sua credendum non est) errabant: Ipse autem neminem secundùm carnem iudicat, id est, aut effectu carnali & peruerso, aut iuxta speciem carnis exteriorem.)

3. *Dicebant ergo Iudæi, Vbi est Pater tuus? Respondit* IESVS, *Neque me scitis, neque Patrem meum scitis: si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis. Hæc verba locutus est* IESVS *in Gazophylacio docens in templo; & nemo apprehendit eum, quia necdũ venerat hora eius.* Cyrillus apud Corn. Cyrillus, "Concursat cum Patris appellatione, filij mentio: simulque rursus filij significationem Genitoris nomen comitatur; Idcirco tanquam ianua quædam est fi-

lius

lius in Patris cognitionem ducens,)

Clarifica me, IESV bone, claritate interni luminis, & educ de habitaculo cordis mei tenebras vniuersas. Thom. à Kemp. l. 3. c. 23. n. 8.

XXII.

Christo prædicante Iudæi aliqui conuertuntur. Ioan. 8. 23. *Feria 2. post 2. Quadrag.*

1. DIXIT *eis iterum* IESVS, *Vos de* [1] *deorsum estis: Ego de* [2] *supernis sum: vos de* [3] *mundo hoc estis; ego non sum de hoc* [4] *mundo: si non credideritis quia ego* [5] *sum, moriemini in* [6] *peccato vestro.* Augustinus, "An verò non in te sunt viscera Christianæ miserationis? vt plangas corpus à quo discessit anima, & non plangas animam à qua recessit Christus?) Vnde & Sapiens: *Luctus mortui septem dies; fatui autem & impij omnes dies vitæ illorum.* Aug. ser. 13. de SS. Eccli. 22. 13

2. *Dicebant ergo ei, Tu* [1] *quis es? Dixit eis* IESVS, [2] *Principium, qui &* [3] *loquor vobis.* videlicet principium, vt per quem facta sunt omnia in principio, qui & ipse cum hominibus deinde conuersatus est. [4] *Multa habeo de vobis loqui & iudicare,*

sed qui misit me [5] *verax est.* q d. hoc vnum perpendite, & multa in rem vestram bona inde concludere poteritis: nam, *Et ego quæ audiui ab eo hæc loquor in mundo*, & non alia: *Et non* [7] *cognouerunt quia patrem eius dicebat Deum.*

3. *Dixit ergo eis* IESVS, *Cùm* [1] *exaltaueritis filium hominis*, [2] *tunc cognoscetis quia ego* [3] *sum, & à meipso facio* [4] *nihil sed sicut docuit* [5] *me Pater hæc loquor. Et qui misit me* [6] *mecum est, & non reliquit me solum, quia ego quæ placita sunt ei facio semper.* Tertull. " Quis nunc medullas scripturarum magis nouit quàm ipsa Christi schola; quos & sibi discipulos Dominus adoptauit, omnia vtique docendos; & nobis Magistros ordinauit, omnia vtique docturos)

Tertull. in Gnost. c. 12

4. *Hæc autem illo loquente multi crediderunt in eum, dicebat ergo* IESVS *ad eos qui crediderunt ei Iudæi, si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, &* [4] *cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Responderunt ei, Semen* [6] *Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam: Respondit* IESVS, *Amen, amen dico vobis quia* [7] *omnis qui facit peccatum*

seruus

seruus est peccati, seruus autem non [8] *manet in domo in æternum*, &c. Ambros'' Seruilis est omnis passio: & quod peius est, multorum seruus est qui subiectus est vitiis, vt seruitio ei exire vix liceat. Ambr. l. 2. de Iacob. c. 3.

XXIII.

Christum calumniantur & conantur Iudæi lapidare Ioan. 8. 46.

1. QVis ex [1] *vobis arguet me de peccato? si veritatem dico vobis* [2] *quare non creditis mihi? Qui ex Deo est* [3] *verba Dei audit; propterea vos non auditis quia* [4] *ex Deo non estis.* q d.'' Cum nullus possit arguere vitam, cur non accipitis doctrinam?) An quia ex Deo non estis? '' Loquere Domine IESV; verbũ tuum medicina est; verbum tuum lumen est; verbum tuum nostræ colluuionis ablutio est) Ambrosius. *Dominica Passionis.* Hugo Card. hîc. Ambros. in præf. ps 45.

2. *Responderunt ergo Iudæi: Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Respondit* IESVS. *Ego* [2] *dæmonium non habeo sed honorifico Patrem, &* [3] *vos* [4] *inhonorastis me: Ego autem non* [5] *quæro gloriam meam; est qui quæ-*

ras

rat & iudicet: Amen dico vobis, si quis sermonem meum 7 *seruabit, mortem non gustabit in æternum.* Greg. " Cùm multorum peruersitas crescit, non solùm prædicatio non debet minui, sed augeri.)

Greg. hom. 18. in Euāg.

" Illatas verò contumelias, patris iudicio reseruat, vt nobis insinuet quantum nos esse patientes debemus, dum se adhuc vlcisci non vult ipse qui iudicat.) Idem.

3 *Dixerunt ergo Iudæi: Nunc cognouimus quia dæmonium habes: Abraham mortuus est, & prophetæ, & tu dicis, si quis sermonem, &c. nunquid tu maior es patre nostro Abraham? quem teipsum facis? Respondit* IESVS, *Si ego glorifico meipsum, gloria mea* 1 *nihil est: Est Pater qui* 2 *glorificat me, quem vos* 3 *dicitis quia Deus vester est, &* 4 *non cognouistis eum: Ego autem noui eum.*

Cyrill l. 6. in Io. c. 11.

" Nam soli cognoscere Deum dicuntur qui viam mandatorum eius perambulant, nec ab ea declinant.) Cyrill.

4. *Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum; vidit & gauisus est.*

vide Corn. hîc.

Vidit in promissione seminis, in immolatione filij, cùm tret videt, vnum adorauit, vidit denique in exultatione operis.

ris. *Dixerunt Iudæi, Quinquaginta annos nondum habes & Abraham vidisti? dicit eis* IESVS, *Antequam Abraham fieret Ego sum. Tulerunt ergo lapides vt iacerent in eum:* IESVS *autem abscondit se, & exiuit de Templo.*" Imitatione etenim Dei gloriosius est iniuriam tacendo fugere, quàm respondendo superare. Greg. sup.

XXIV.

Cæcus natus. Ioan. 9. *Pars* 1. *Feria* 4. *post* 4. *Quadr.*

1. PRAETERIENS IESVS [1] *vidit hominem* [2] *cæcum à* [3] *natiuitate, & interrogauerunt eum Discipuli eius, Rabbi, quis* [4] *peccauit, hic, an parentes eius vt cæcus nasceretur? Respondit* IESVS; *neque* [5] *hic peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestentur* [6] *opera Dei in illo: Me oportet operari opera eius* [7] *qui misit me* [8] *donec dies est; venit* [9] *nox quando nemo potest operari: quamdiu* [10] *sum in mundo lux sum mundi.* Chrysost. [11] Ergo iniuriam propter Dei gloriam accepit? quam quæso iniuriam? & si eum omnino non produxisset: Ego verò etiam ex cæcitate beneficium accepisse dico.) Chrysost. hom. 55. in Ioan.

2. *Hæc*

2. *Hæc cùm dixisset, exspuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & linuit lutum super oculos eius, & dixit ei, Vade lauа in natatoria Siloë, quod interpretatur, missus. Abiit ergo & lauit, & venit videns* Chrysost. Chrysost supra, " Cùm ex limo formatum à Deo hominem audissent, ideo Christus nunc ad eum modum oculum finxit) & Ambros. 3. de sacr. 4." Imposuit tibi lutum, id est, verecundiam, pudentiam, considerationem fragilitatis tuæ, & dixit, Vade ad fontem in quo omnium Christus redemit errorem.)

3 *Itaque vicini & qui viderant eum priùs quia mendicus erat, dicebant, Nonne hic est qui sedebat, ac mendicabat? Alij dicebant, quia hic est, aly autem nequaquam, sed similis est eius: Ille verò dicebat, quia ego sum: dicebant ergo ei, quomodo aperti sunt tibi oculi? Respondit, Ille homo qui dicitur* IESVS, *lutum fecit, & vnxit oculos meos, & dixit mihi, vade ad natatoriam Siloë, & laua; & abij, & laui, & video: & dixerunt ei, Vbi est ille? Ait, Nescio.* Chrysost. Chrysost." Mirabilis Dei clementia! eos qui mendicabant, cum multa deuotione curabat, ignobiles etiam sua

dignos

dignos ducens prouidentia; pro salute enim omnium venerat.

XXV.

Cæcus natus. Ioan. 9. *Pars* 2.

1. *ADducunt eum ad Pharisæos qui cæcus fuerat. Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi quomodo vidisset: Ille autem dixit eis, Lutum mihi posuit super oculos, & laui & video. Dicebant ergo ex Pharisæis quidam, Non est hic homo à Deo qui sabbathum non custodit. Alij autem dicebant: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? & schisma erat inter eos. Dicunt ergo cæco iterum, Tu quid dicis de illo qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit, quia Propheta est.*'' Homo passionatus etiam bonum in malum trahit, & faciliter malum credit.) Thom. à Kemp. l. 2. c. 3. n. 1.

2. *Non crediderunt ergo Iudæi de illo quia cæcus fuisset, & vidisset, donec vocauerunt parentes eius qui viderat, & interrogauerunt eos dicentes: Hic est filius vester, quem vos dicitis quia cæcus natus est? quomodo ergo nunc videt? Responderunt parentes eius, 2 Scimus quia hic est filius noster,*

noſter, & quia cæcus natus eſt; quomodo autem nunc vident,[3] *nſcimus, aut quis eius aperuit oculos, nos neſcimus; ætatem habet, ipſum interrogate, ipſe de ſe loquatur: Hoc dixerunt parentes, quoniam timebant Iudæos: Iam enim conſpirauerunt Iudæi, vt ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, extra ſynagogam fieret.* Chryſoſt. "Hæc veritatis eſt natura; per quæ putatur ab hoſtibus inſidias pati, per hæc fortior fit, per hæc claret per quæ obumbratur.) Sed ſunt qui, heu! veritatis inquiſitione nimiâ magis cæcantur.

Chryſoſt.

3. *Vocauerunt ergo* [1] *rurſus hominem qui fuerat cæcus, & dixerunt ei, Da* [2] *gloriam Deo* Gregorius," Deo gloriam dare eſt de ſtudio boni operis, & de æſtimatione humilitatis, in ſeipſo inaniter non gloriari, ſed Dei omnipotentis laudibus, omne quod agitur impendere.) *Nos* [3] *ſcimus quia hic homo peccator eſt. Dixit ergo eis ille: Si* [4] *peccator eſt* [5] *neſcio; vnum ſcio, quia cùm cæcus eſſem, modò video. Dixerunt ergo illi, Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos. Reſpondit eis, dixi vobis iam & audiſtis; quid iterum vultis audire? nunquid & vos* [5] *vultis diſcipuli*

eius

eius fieri? [6] *Maledixerunt ergo ei, & dixerunt, Tu discipulus illius sis; Nos autem Moysi discipuli sumus: nos* [7] *scimus quia Moysi locutus est Deus, hunc autem* [8] *nescimus vnde sit.* Chrysost. " Quomodo scitis quoniam Moysi locutus est Deus? A progenitoribus, inquiunt: ergo quæ audistis, certos reddunt, & quæ vidistis maiora, in dubium vocatis?) Chrysost.

XXVI.

Cæcus natus. Ibidem.

1. *RESpondit ille homo & dixit illis, In hoc enim* [1] *mirabile est quia* [2] *vos nescitis vnde sit, & aperuit meos oculos: scimus autem quia Deus peccatores non* [3] *audit; sed si quis Dei cultor est,* [4] *& voluntatem eius facit, hunc exaudit. A* [5] *sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati; nisi esset hic à Deo* [6] *non poterat facere quidquam.* Bernard. serm. 1. de Conu. S. Pauli, " Expauescite consortia eorum qui salutem impediunt animarum. Horrendum penitus sacrilegium; quod & ipsorum videtur excedere facinus qui Domi-

Domino maiestatis manus sacrilegas iniecerunt)

1 *Responderunt, & dixerunt ei: In* [1] *peccatis natus es totus, & tu doces nos? & eiecerunt eum* [2] *foras* Donec expectant eum negaturum, fide dignum reputabant; quia verò veritatem locutus est in nullo confusus quando eum maximè admirari oportebat, tunc condemnant.) *Audiuit Iesus quia eiecerunt eum foras, & cùm inuenisset eum, dixit ei, Tu credis in filium Dei? Respondit ille,* [6] *Quis est Domine, vt credam in eum? Et dixit ei* IESVS, *& vidisti eum,* [7] *& qui loquitur tecum, ipse est: At ille ait,* [8] *Credo Domine; &* [9] *procidens adorauit eum* Bernard." Inter verbum & animam, ac si inter duos vicinos familiaris admodum celebratur confabulatio: cedit fastus vbi conualescit affectus, &c.) & Chrysost." Qui propter veritatem & Christi confessionem, malo aut contumeliâ afficiuntur, hi maximè a Deo honorantur.)

Chrysost.

Bern. s. 45. in Cant.

Chrys. sup.

3. *Et dixit* IESVS: *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident videant, & qui vident caci fiant; & audierunt quidam ex Phariseis qui cum ipso erant,*

erant & dixerunt ei: Nunquid & nos cæci sumus? dixit eis IESVS, *si cæci essetis non haberetis peccatum, nunc verò dicitis quia videmus, peccatum vestrum manet* Augustinus." Dicendo *videmus*, Medicum non quæritis, in cæcitate vestra remanetis; qui enim se non videre confitentur medicum quærunt vt videant; qui verò se putant videre & medicum non quærunt, in sua cæcitate permanent; ergo istam discretionem vocauit *Iudicium*, &c) Augustin. 44. in Io.

XXVII.

Pastor bonus. Ioan. 10. Pars 1.

Feria 3. post Pentecost.

1. AMen, amen dico vobis, qui non intrat per [1] ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro; qui autem intrat per ostium pastor est ouium. Huic [2] ostiarius aperit, & oues vocem eius [3] audiunt, & proprias oues vocat [4] nominatim, & educit [5] eas; & cùm proprias oues emiserit, ante eas [6] vadit, & oues illum [7] sequuntur, quia sciunt [8] vocem eius: Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum. Hoc prouerbium dixit eis IESVS; illi autem non

non cognouerunt quid loqueretur eis. Au-
Aug.tr. 45. in Ioan. guſtinus, "Multi ſunt qui ſecundùm quamdam vitæ huius conſuetudinem dicuntur boni homines, boni viri, bonæ fœminæ, innocentes, quaſi obſeruantes ea quæ in lege præcepta ſunt, & Chriſtiani non ſunt; quia verò plerumque ſe iactant quomodo iſti, *Nunquid & nos cæci ſumus?* Dominus de grege ſuo, & de oſtio ſimilitudinem propoſuit.)

2. *Dixit ergo eis* [1] *iterum* IESVS, *Amen, amen dico vobis* [2] *Ego* [3] *ſum oſtium ouium: Omnes quotquot venerunt* (non miſſi; vel titulo Meſſiæ, vt Theodas, &c.) *fures ſunt & latrones, & non audierunt eos oues Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit* [3] *ſaluabitur, &* [4] *ingredietur & egredietur, &* [5] *paſcua inueniet; fur non venit niſi vt* [6] *furetur, &* [7] *maſtet, &* [8] *perdat: Ego veni vt vitam habeant* [9] *& abundantius habeant.* Auguſtinus ſuprà, "Humilis eſt
Auguſt. ianua Chriſtus Dominus; qui intrat per per hanc ianuam oportet humiliet ſe vt ſano capite poſſit intrare; qui autem non ſe humiliat, ſed extollit, per maceriam vult aſcendere; qui autem per maceriam aſcendit ideo exaltatur vt cadat.)

dat.)" Ingredietur verò per fidem, egredietur per speciem, & pascua inueniet in æterna resurrectione.) Greg. Siue vt alij, ingredietur per Contemplationem, egredietur ad Actionem, & vtrobique pascua inueniet vberrima. Greg. ho. 13. in Ezec.

3. *Ego sum Pastor* [1] *bonus: Bonus Pastor* [2] *animam suam dat pro ouibus suis. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propria,* [3] *videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit & dispergit oues: Mercenarius autem fugit quia mercenarius* [4] *est, & non pertinet ad eum de ouibus.* Greg." Dominus ac Redemptor noster cum sancta Ecclesia quam redemit, secundùm carnem vna substantia est: Huius Capitis corpus Ecclesia est, huius Corporis Caput Christus est: Cùm ergo Electi quique ad vitam perueniunt, quia membra eius intrant per eum, ipse per se intrat ad se.) & iterum; *Mercenarius autem fugit*, non mutando locum, sed subtrahendo solatium; fugit, quia iniustitiam vidit, & tacuit; fugit quia se sub silentio abscondit.) *Dom. 2. post Pasch & in festo S. Th. Cant.* Idem ho. 15. in Ezec.

XXVIII.

Pastor bonus. Ibidem v. 14. *Pars* 2.

1. EGo *sum Pastor bonus, & [1] cognosco oues meas & [2] cognoscunt me meæ: sicut [3] nouit me Pater & ego cognosco Patrem, & animam [4] meam pono pro ouibus meis; & alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili, & illas [5] oportet me adducere, & vocem [6] meam audient, & fiet [7] vnum ouile, & vnus pastor.* Basilius, "Quid vocat cognoscere? An essentiam suam intelligere? vel ex præcedentibus potiùs mensuram huius cognitionis agnoscamus: Oues meæ, inquit, vocem meam audient: Ecce quomodo cognoscatur Deus: Audiunt, non disputant; obedientes sunt, non contendunt.)

Basil. hom. 26.

2. *Propterea me diligit Pater, quia ego [1] pono animam meam vt iterum sumam eam; [2] Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso; & [3] potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: Hoc [4] mandatum accepi à Patre meo.* Chrysostomus, "Mors inuitis imperat,

Chrys. l. 5. de Iuda proditore.

perat, volentibus seruit; Ergo quod volens moritur non casus est, sed potestas. Si nemo tollit, ergo neque mors. Denique nec mors tollere, nec Infernus potuit hunc tenere; etiam vinctas animas quas tenebat amisit.)

3. *Dissensio iterum facta est inter Iudæos* [1] *propter sermones hos. Dicebant autem multi ex ipsis, dæmonium* [2] *habet, &* [3] *insanit, quid eum* [4] *auditis? Alij dicebant: Hæc verba* [5] *non sunt dæmonium habentis: nunquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?* " Non sit pax tua in ore hominum; siue enim bene, siue malè interpretati fuerint, non es ideo alter homo.) Th. à Kemp. l. 3. c. 28. n. 2.

XXIX.

Missio discipulorum septuaginta duorum. Luc. 10.

In festis Euangel. Marci & Luca.

1. *POst hæc autem designauit Dominus & alios septuaginta duos, &* [1] *misit illos* [2] *binos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum quo* [4] *erat ipse venturus; & dicebat eis, Messis quidem* [5] *multa,*

operarij autem[6] *pauci*: [7] *Rogate ergo Dominum Messis vt mittat operarios in messem*[8] *suam.* Gregor. " Ecce mundus Sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde inuenitur operator.)

Greg. hom. 17. in Euāg.

1. *Ite, Ecce*[1] *ego mitto vos sicut*[2] *agnos inter*[3] *lupos: Nolite*[4] *portare sacculum neque peram neque calceamenta; &*[5] *neminem per viam salutaueritis: In quamcunque domum intraueritis, primùm dicite,* [6] *Pax huic domui; & si ibi fuerit filius pacis* [7] *requiescet super illum pax vestra; sin autem ad vos reuertetur In eadem autem domo* [8] *manete edentes & bibentes quæ apud*[9] *illos sunt; dignus est enim operarius mercede sua: nolite transire de domo in domum.* Ambrosius," Bonus pastor lupos gregi suo timere non nouit, ideoque isti discipuli non ad prædam, sed ad gratiam diriguntur: solicitudo enim pastoris boni efficit vt lupi in agnos audere nil possint.) " Prædicatori autem tanta debet esse in Deo fiducia vt præsentis vitæ sumptus quāuis non prouideat, tamen sibi hos non deesse certissimè sciat, &c.) Gregor.

Ambr. 7. in Lucam.

Greg. sup.

3. Et

3. *Et in quamcunque ciuitatem intraueritis, & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis, & curate infirmos qui in illa sunt, & dicite illis, appropinquauit in vos regnum Dei: In quamcunque autem ciuitatem intraueritis & non susceperint vos, exeuntes in plateas eorum dicite, etiam puluerem qui adhæsit nobis de ciuitate vestra extergimus in vos: tamen hoc scitote quia appropinquauit regnum Dei. Dico vobis quia Sodomis in illa die remissius erit quàm illi ciuitati.*" Certissima ergo ratio est quâ & nos qui in plurimis Euangelia negligimus pœnas aliquando timere debeamus.)

Saluianus l. 4. de prouidentia.

XXX.

Septuaginta reuersi instruuntur.
Luc. 10. 17.

1. *REuersi sunt autem septuaginta duo cum gaudio dicentes, Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo: & ait illis, Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Hieron. "Si altissima illa sublimitas cecidit, quis cadere non

In communi plurimorum Martyrum.

Hieron. 2. cont. Iouin.

possit? Si in Cœlo ruinæ, quantò magis in terra?) q. d. ad hoc aduertite animum, ne superbiâ elati corruatis.

2. [1] *Ecce dedi* [2] *vobis potestatem calcandi* [3] *supra serpentes & scorpiones, & supra* [4] *omnem virtutem inimici, & nihil* [5] *vobis nocebit, verumtamen in hoc* [6] *nolite gaudere quia spiritus vobis subijciuntur;* [7] *Gaude autem quòd nomina vestra scripta sunt in Cœlis.* Gregorius, "Discamus igitur abundare, & cuncta quæ ab eo accepimus cum indigentibus partiamur, vt mentem abundantia non eleuet; ne fortasse gaudeat quod hoc adest quod deest alteri, & non tam communi bono, sed proprio lætetur: Quisquis enim in eo gaudet quod alter non habet, ex ipsa sua abundantia deterior factus gaudium priuatum habet.)

Greg. ho. 19. in Ezec.

Dom. 12 post Pentecost.

3. *Et conuersus ad Discipulos suos dixit,* [1] *Beati oculi qui vident quæ vos videtis; dico enim vobis, quod* [2] *multi prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis & non viderunt, & audire quæ auditis & non audierunt.* Bernardus, "Beati oculi qui videbant Dominum Maiestatis in carne præsentem, auctorem vniuersitatis

Bern. ser. 6. de Asc. Do.

tis

tis inter homines conuersantem, virtutibus coruscantem, infirmos curantem, dæmoniis imperantem, & potestatem similem hominibus conferentem, mitem & humilem corde, benignum, affabilem, Agnum Dei peccatum non habentem & omnium peccata portantem, &c.)

XXXI.

Parabola vulnerati descendentis in Iericho. Luc. 10. 25.

Dom. 12. post Pentecost.

1. ET *ecce quidam legisperitus* [1] *surrexit* [2] *tentans eum, & dicens Magister, quid faciendo vitam* [3] *æternam possidebo? At ille dixit ad eum, In* [4] *lege quid scriptum est? quomodo legis? Ille respondens dixit, Diliges* [5] *Dominum* [6] *Deum tuum* [7] *ex toto* [8] *corde tuo, & ex tota* [9] *anima tua, & ex omnibus* [10] *viribus tuis, & ex omni* [11] *mente tua; & proximum tuum* [12] *sicut teipsum. Dixitq; illi,* [13] *Rectè respondisti, hoc fac & vives.*

2. *Ille autem volens iustificare* [1] *seipsum dixit ad* IESVM, *Et quis est meus* [2] *proxi-*

mus? Suscipiens autem IESVS *dixit,* [3] *Homo quidem descendebat Hierusalem* [4] *in Iericho, &* [5] *incidit in latrones, qui &* [6] *despoliauerunt eum, &* [7] *plagis impositis abierunt* [8] *semiuiuo relicto: Accidit autem vt sacerdos quidam descenderet* [9] *eadem via, & viso illo præterijt, similiter & Leuita, cùm esset secus locum, & videret eum, pertransijt.* Augustinus, "Homo iste ipse est Adam in genere humano, à beatitudine quam habuit lapsus in mortalitatem, incidit in latrones, dæmones & Angelos eius, qui & spoliauerunt eum immortalitate, & plagis impositis suadendo peccata, reliquerunt semiuiuum; quia in parte qua potest cognoscere Deum viuus est, ex parte qua peccatis contabescit, & perimitur, mortuus est: sacerdos autem & Leuita, sacerdotium & ministerium veteris testamenti significant.)

Aug. l. 2. qq. Euang q. 8. & 9.

3. *Samaritanus autem quidam iter faciens venit* [1] *secus eum & videns eum* [2] *misericordia motus est, &* [3] *appropians* [4] *alligauit vulnera eius, infundens* [5] *oleum & vinum, & imponens illum in* [6] *iumentum suum, duxit in* [7] *stabulum, &* [8] *curam eius egit.*

egit. Et altera die protulit [9] duos denarios & dedit ſtabulario, & ait, [10] Curam illius habe, & quodcunque [11] ſupererogaueris ego cùm rediero reddam tibi. Quis horũ trium videtur tibi proximus fuiſſe illi qui incidit in latrones? At ille dixit, qui fecit miſericordiam in illum: & ait illi IESVS, *Vade, [12] & tu fac ſimiliter.* Chryſoſt. "Et tu igitur cùm videris aliquem egentem curatione, vel corporis, vel animæ, ne dicito apud teipſum, quare ille aut ille eum non curauerunt? ſed à morbo libera; ſi inueneris aurum iacens non dicis apud teipſum quare ille aut ille non ſuſtulerunt? ſed feſtinas ante alios rapere: itidem & de fratribus collapſis cogita te theſaurum reperiſſe, nimirum occaſionem illis medendi, &c.)

Chryſoſt. or. 5. contra Iudæos.

XXXII.

Hoſpitio à Martha excipitur. Luc. 10 38.

In feſto Aſſumptionis B M V. & S. Martha.

1. *FActum eſt autem dum irent, & ipſe intrauit in quoddam Caſtellum, & mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum ſuam; & huic erat ſoror,*

nomine Maria, quæ etiam ſedens ſecus pedes Domini audiebat verbum illius. Bernardus "Quod eſt hoc caſtellum niſi cor humanum? quod priuſquam Dominus veniat Cupiditatis foſsâ vallatur, muroque obſtinationis clauditur, atque in interiori latitudine ſua Babylonicâ turri erigitur; victum habens voluptatem corporis & ſæculi vanitatem; pro armis, Carnalis ſapientiæ argumenta. At verò Chriſto intrante, hoc Caſtellum euertitur, nouum conſtruitur, &c.

Bern. ſer. 5 de Aſſumpt.

2. *Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium: quæ ſtetit, & ait. Domine non eſt tibi curæ quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? dic ergo illi vt me adiuuet.* Bernard. "Felix domus & beata ſemper congregatio eſt vbi de Maria Martha conqueritur; nam Mariæ Martham æmulari prorſus indignum, prorſus illicitum eſt. Alioqui vbi legimus Mariam cauſantem, quia ſoror mea reliquit me ſolam vacare: Abſit, abſit, &c. Martha ſemper inſufficiens ſibi, & minus idonea videatur, &c.)

Idem ſer. 3,

3. *Et reſpondens dixit illi Dominus, Martha, Martha, ſolicita es & turbaris*

erga

erga plurima, porrò vnum est necessarium; Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea: Gregor." Actionis feruor tunc rectè disponitur, cùm sic insistimus operi, vt tranquillo corde eum cui opera nostra consecrare nitimur videamus. quid est ergo nimietas solicitudinis nisi confusio supernæ intentionis?) Greg. l. 5. in 1. Reg. 4.

XXXIII.

Docet orare. Luc. II.

1. ET *factum est cùm esset in quodam loco* [1] *orans, vt cessauit, dixit vnus ex discipulis eius ad eum, Domine, doce* [2] *nos orare, sicut docuit & Ioannes discipulos suos; & ait illis, cùm oratis dicite, Pater,* [4] *sanctificetur nomen tuum, &c.*

2. *Et ait ad illos, Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media* [1] *nocte, & dicet illi, Amice, commoda mihi tres panes quoniam amicus meus venit ad me de via, & non habeo quod ponam ante illum; & ille de intus respondens dicat, Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere & dare tibi; & si ille perseue-* In Missa Rogationũ.

rauerit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens eò quòd amicus eius sit, propter [4] *improbitatem tamen eius surget & dabit illi* [5] *quotquot habet necessarios* Hieron.

Apud Hieron ser. de hac. lect.

" Magna perseuerantia est quæ quamuis importuna est, quamuis molesta sit Deo, tamen plus amica est quàm amicus, Ecce enim quod negatur amico, perseuerantia promeretur)

3. *Et* [1] *ego dico vobis,* [2] *petite & dabitur vobis,* [3] *quærite & inuenietis,* [4] *pulsate & aperietur vobis;; Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur.* Augustᵉ. '' Erubescat humana pigritia; plus vult ille dare, quàm nos accipere; plus vult ille misereri, quàm nos à miseria liberari: nam ille quod hortatur, propter nos hortatur.)

Aug. s. 29. de v. Dom.

4. *Quis ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? aut piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit illi? aut si petierit ouum, nunquid porriget illi scorpionem? Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?* Augustᵉ. " Fides significatur in pisce cui contrarius est serpens,

Aug. ep. 12. c. 8.

pens, qui vt non crederetur Deo venenosa fraude persuasit Spes in ouo, quia vita pulli nondum est, sed futura est, nec iam videtur, sed adhuc speratur, cui noxium est retrò respicere; Charitas in pane, cui contrarius est lapis, quia dura corda respuunt Charitatem.)

XXXIV.

Inuitatur à Pharisæo, & eorum præposteram religionem reprehendit.

Luc. 11. 33.

1. *NEmo accendit lucernam, & in abscondito ponit, neque sub modio, sed supra candelabrum, vt qui ingrediuntur lumen videant.* Beda," De seipso Dominus hîc loquitur: ipse quippe lucernam accendit qui restam humanæ naturæ flamma suæ diuinitatis impleuit; quam nec credentibus abscondere, nec sub mensura legis includere, vel intra vnius Iudææ gentis terminos voluit cohibere.) *In festo S. Martini.* Beda hîc.

2. *Lucerna corporis tui est oculus tuus: si oculus tuus fuerit simplex totum corpus*

tuum lucidum erit ; si autem nequam fuerit , etiam corpus tuum tenebrosum erit; vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint ; si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum; & sicut lucerna fulgoris illuminabit te. Ambros. "Corpus dicit opera quæ palàm cunctis appareat; oculum verò ipsam mentis intentionem; de cuius merito eadem opera, lucis an tenebrarum sint opera, discernuntur.)

Ambros. in ps. 43.

3. *Et cùm loqueretur, rogauit eum quidam Pharisæus vt prandere apud se , & ingressus recubuit Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere , quare non baptizatus esset ante prandium & ait Dominus ad illum, nunc vos Pharisæi quod deforis est calini mundatis, quod autem intus est vestrum [2] plenum est rapina & iniquitate. [3] Stulti , nonne qui fecit quod deforis est, etiam id quod deintus est fecit? Verumtamen quod superest, date eleemosynam, [4] & ecce omnia munda sunt vobis* Augustin. "Quid est eleemosyna? Misericordia. Audi Scripturam , *Miserere animæ tuæ placens Deo* Fac eleemosynam. Mendicat

Aug. s. 30. de v. Dom.

cat à te anima tua redi ad conſcientiam tuam; quicunque malè viuis redi ad conſcientiam tuam, ibi inuenis mendicantem animam tuam, inuenis egentem, nec fortè egentem, ſed egeſtate obmuteſcentem; nam ſi mendicat, eſurit iuſtitiam.)

XXXV.

Auaritia fugienda. Luc. 12 13.

1. *Dixit autem ei quidam de turba: Magiſter, dic fratri meo vt diuidat mecum hæreditatem: At ille dixit illi; Homo, quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem ſuper vos. Dixitq; ad illos, videte & cauete ab omni auaritia; quia non in abundantia cuiuſquam vita eius eſt ex his quæ poſſidet* Auguſt " Quid eſt *ab omni?* quare addidit *ab omni*? fortè tu auarum & cupidum diceres ſi quæreret aliena: Ego autem dico, cupidè & auarè non appetas nec tua: hoc eſt, *ab omni*. Magnum pondus; ſi fortè hoc pondus infirmis imponitur, rogetur vt qui imponit, vires dare dignetur: Non enim leuiter habendum eſt, quod Dominus dicit, *cauete:* Aug. ſ 196 de temp.

uete: Nouit ille quantum malum sit nos non nouimus; illi credamus.)

2. *Dixit autem similitudinem ad illos, Hominis cuiusdam diuitis uberes fructus ager attulit, & cogitabat intra se, quid faciam? quia non habeo quo congregem fructus meos: & dixit, hoc faciam, destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea; & dicam animæ meæ, Anima habes multa bona posita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare.* Gregor. "O Angustia ex satietate!) & Basilius,

Basil. ho. 6. "*Quid facam?* Parata tibi responsio fuerat; Esurientium animas explebo, imitabor Ioseph, &c. quæ autẽ dicit? *Anima habes*, &c. ô verba stultissima! Nam si porcinam habuisses animam, quid aliud enuntiare potuisses?)

3. *Dixit autem illi* [1] *Deus*, [2] *Stulte* [3] *hac* [4] *nocte* [5] *animam tuam* [6] *repetent à te, quæ autem parasti* [7] *cuius erunt? Sic est qui thesaurizat, &* [8] *non est in Deum diues.* Aug.

August. "Si seruaueris, tua non erunt; si erogaueris, tua erunt; quid reponis quod relicturus es? præcedant magis quò securus es.)

6. No-

4. *Nolite timere pusillus* [1] *grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis* [2] *regnum; vendite* [3] *quæ possidetis, & date eleemosynam; facite vobis sacculos qui non* [4] *veterascunt, thesaurum* [5] *indeficientem in* [6] *cœlis, quo fur non appropiat neque tinea corrumpit; ubi enim thesaurus vester est, ibi &* [7] *cor vestrum erit.* *Pro Confessore non Pontifice.*

XXXVI.

Dominus fideli seruo quomodo expectandus. Luc. 12. 35. *Pars* 1.

Pro Confs. non Pontif.

1. *SInt lumbi vestri* [1] *præcincti, & lucerna* [2] *ardentes in* [3] *manibus vestris, & vos similes hominibus* [4] *expectantibus dominum suum quando reuertatur à* [5] *nuptiis, vt cùm venerit & pulsauerit* [6] *confestim aperiant ei. Beati serui illi quos cùm venerit dominus inuenerit* [7] *vigilantes.*

Tertull. "Expediti esse debemus ab impedimentis lacinioſæ vitæ, & implicitæ; mentes etiam à fide habere accensas, & operibus veritatis relucentes, atque ita expectare Dominum, id est Christum.) Tertull. 4. cõtra Marc.

2. *Amen*

2. *Amen dico vobis quòd* [1] *præcinget se, & faciet illos* [2] *discumbere, &* [3] *transiens ministrabit* [4] *illis; & si venerit in secunda* [5] *vigilia, & si in* [6] *tertia vigilia venerit, & ita* [7] *inuenerit, beati sunt serui illi.* Greg.

Greg. hom. 13. in Euāg. "Sed quid si serui in prima vigilia negligentes existunt? neque hîc desperandum est, & à bono opere cessandum: nam longanimitatis suæ patientiam insinuans subdit, *& si in secunda vigilia:* prima vigilia, pueritia est; secunda, iuuentus; tertia, senectus: Concluſit Dei pietas duritiam nostram: non est iam quid homo excusationis inueniat;)" sed nemo hanc eius longanimitatem negligat, &c. Idem.

3 *Hoc autem* [1] *scitote, quia si sciret Paterfamilias quâ horâ fur* [3] *veniret, vigilaret vtique, & non sineret* [4] *perfodi domum suam: & vos estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet.*

Greg. sup. Greg. "Horam vltimam Dominus idcirco voluit nobis esse incognitam, vt semper posset esse suspecta, &c.) "Ah

Thom à Kemp. l. 1. c. 23. n. 7. stulte quid cogitas, te diu victurum, &c.)

XXXVII.

Dominum fidelis seruus expectat. Ibid. v. 41. *Pars* 2.

1. *AIt autem ei Petrus, Domine, ad* [1] *nos dicis hanc parabolam an ad omnes? dixit autem Dominus: Quis* [2] *putas est* [3] *fidelis* [4] *dispensator &* [5] *prudens, quem constituit Dominus super familiam* [6] *suam vt det illis in* [7] *tempore, tritici* [8] *mensuram? Beatus ille seruus quem cùm venerit Dominus, inuenerit ita* [9] *facientem: verè* [10] *dico vobis, quoniam supra* [11] *omnia bona sua constituet eum.* Greg. " Per mensuram tritici exprimitur modus verbi; ne cùm angusto cordi incapabile aliquid tribuitur, extra fundatur. Hinc Paulus, *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus*, &c.) Greg. 3 p. past. c. 5.

2. *Quòd si dixerit seruus ille in* [1] *corde suo:* [2] *Moram facit Dominus meus venire, & cœperit* [3] *percutere seruos, & ancillas; &* [4] *edere, & bibere, & inebriari: veniet Dominus serui illius in die qua* [5] *non sperat, & hora* [6] *qua nescit, &* [7] *diuidet eum, partemq; eius cum* [8] *infidelibus ponet.* Chry-

Chryſ.ſ.25. Chryſologus, "Propriè dixit, inebriari & percutere: nam Ebrietas cædis eſt mater, parens litium, furoris genitrix, petulantię deformiter eſt magiſtra.) quę ad eos transferri propriè poſſunt qui ſua ipſorum æſtimatione ebrij ſunt, aut ambitione, aut auaritia, &c.

3. *Ille autem ſeruus qui cognouit voluntatem Domini ſui, & non præparauit, & non fecit voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo; & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.* Baſilius "Illud *multis* & illud *paucis*, non finem, ſed diuerſitatem ſupplicij declarat: fieri enim poteſt vt alius quidem dignus ſit igne inextinguibili, atque hoc ipſo vel leuiùs vel acriùs vrente; alius verò verme nunquam morituro; alius gehennâ, habente prorſus ipſa etiam varia tormentorum genera; alius exterioribus tenebris; quo in loco alius in fletu eſt ſolùm, alius præter fletum, in ſtridore etiam dentium, propter cruciatuum, videlicet acerbitatem: quia & hæ quoque tenebræ quæ vocantur exte-

Baſ. in reg. 61. interr. 167.

exteriores, aliàs etiam prorsus esse interiores significant, vt illud dictum in proverbiis, *in profundum inferni*, &c.)

XXXVIII.

Ignem & separationem mittit Christus in terram. Luc. 12. 49.

1. IGnem *veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur? Baptismo habeo baptizari; & quomodo coarctor vsque dum perficiatur?* Clemens Alexandrinus, "Multiplices habet Seruator voces & modos ad salutem hominum: minans admonet, maledicens conuertit, deflens miseretur, psallens per nubem loquitur; igne terret homines, ex columna flammas accendens, quod est simul gratiæ & terroris indicium: si obedieris, lucem; si non obedieris, ignem.) Clem. Al. in exhort. ad gentes.

& Hieronymus, "Quærimus vbi sit hoc incendium salutare? Nulli dubium quin in sacris voluminibus, ex quorum lectione vniuersa hominum vitia repurgantur.) Hieron. ep. 142. ad Da.

2. *Putatis quia veni pacem dare in terram?*

ram? non, dico vobis, sed separationem: erunt enim ex hoc quinque in domo vna diuisi, tres in duos & duo in tres diuidentur: Pater in filium: & filius in patrem; mater in filium; & filia in matrem; socrus in nurum; & nurus in socrum suam. In Matthæo habetur, *non pacem sed gladium.*

Hilarius. vnde Hilarius," Gladius est instrumentum iustitiæ: separationem igitur faciendam iustam esse minimè dubitemus: suum cuique diuidit: magnum parentibus amorem, sed maiorem Deo.)

3. *Cùm autem vadis cum aduersario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo: ne fortè trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem; dico tibi, non exies inde donec etiam nouissimum minutum reddas,*

Greg. hom. 39. in Euãg. Greg." Aduersarius noster in via est verbum Dei: contrarius nostris carnalibus desideriis in præsenti vita, à quo ipse liberatur qui præceptis eius humiliter

Bas. in reg. br. int. 222. subditur, Alioqui, &c.) At Basilius," Aduersarium hic Dominus illum appellat qui aliquid nobis conatur adimere eorum quæ ad nostrum ius pertinent: porrò illi consentientes sumus si præceptum

ceptum Domini illud seruemus, qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.) Quod & de quacumque contentione cum proximo, etiam extra iudicium, dici potest.

XXXIX.

Suadetur Pœnitentia. Luc. 13.

1. *Aderant autem quidam ipso in tempore nuntiantes illi de Galilæa, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum: & respondens dixit illis: Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non, dico vobis: sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis; sicut illi decem & octo supra quos cecidit turris in Siloë, & occidit eos: putatis quia & ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Ierusalem? Non, dico vobis; sed si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Chrysost. "Cùm igitur videris aliquos vel in naufragium incidisse, vel ædium ruinâ oppressos esse, vel incendio Chrysost. conc 3. de Lazaro.

dio periisse, vel à fluuiis abreptos esse, &c. verùm reputa, quòd Deus illi qui passus est mitiorem fortè præparet in futuro cruciatum: hunc sustinere vt alterius supplicio castigatus resipiscat: vel si perseuerauerit crudelissimam ei coaceruet vltionem, &c.)

Sabbatho 4. Temp. Septembr.

2. *Dicebat autem & hanc similitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit* [1] *quærens fructum in illa, & non* [1] *inuenit: dixit ergo ad cultorem vineæ, Ecce* [3] *anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio:* [4] *succide ergo illam, vt quid etiam* [5] *terram occupat? At ille respondens dicit illi, Domine, dimitte illam, & hoc* [6] *anno vsquedum* [7] *fodiam circa illam, & mittam* [8] *stercora: & si quidem fecerit fructum: sin* [9] *autem, in futurum succides illam.* Greg. "Terram ficulnea sine fructu occupat quando mens tenacium hoc quod prodesse multis poterat, inutiliter seruat: quando locum quem exercere alius per solem boni operis valuit: stultus per desidiæ vmbram premit.)" Memento semper finis, & quia perditum tempus non redit, &c.)

Gregor. in past. p. 3. ad 21.

Thom. à Kemp. l. 1. c. 25. n. 11.

XL.

XL.

Mulier Contracta ſanatur.

LUC. 13. 10.

1. *ERat autem docens in ſynagoga eorum ſabbatis, & ecce mulier quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat ſurſum reſpicere: quam cùm videret* IESVS *vocauit eam ad ſe, & ait illi. Mulier, dimiſſa es ab infirmitate tua. & impoſuit illi manus. & confeſtim erecta eſt, & glorificabat Deum.* Auguſt." Quod ſignificauit triennium in arbore, hoc decem & octo anni in illa muliere.) & Ambroſius, "Curua erat, nihil enim magis mentem onerat quàm iſtius mundi ſolicitudo, & cupiditas, vel pecuniæ, vel potentiæ: inclinabatur ad terrena compendia, & cœleſtem gratiam non videbat) Aug. ſer. de v. Dom. Ambroſ. 3. hexam. c. 12.

2. *Reſpondens autem Archiſynagogus indignans quòd ſabbatho curaſſet* IESVS, *dicebat turbæ: Sex dies ſunt in quibus oportet operari, in his ergo venite & curamini, & non in die ſabbathi.* Cyrillus in Cate- Cyrillus.

na," Domini gloriæ imitatur inuidia, arguitque miraculum quasi videretur solicitari pro sabbatho.)

3. *Respondens autem ad illum Dominus, dixit,* [1] *Hypocritæ, vnusquisque vestrum sabbatho non soluit* [2] *bouem suum aut asinum à præsepio & ducit adaquare? Hanc autem* [3] *filiam Abrahæ quam alligauit* [4] *satanas, ecce* [5] *decem & octo annis non oportuit solui à vinculo* [6] *isto die sabbathi? Et cùm hæc diceret,* [7] *erubescebant omnes aduersarij eius: & omnis populus gaudebat* [8] *in vniuersis quæ gloriosè fiebant ab eo.*

Ambr. s. 8. in ps. 118. Ambrosius," Ligat nos vinculis carnis illecebra: vinculum nostrum Auaritia est: vinculum nostrum ebrietas est: vinculum nostrum superbia est. Sunt & diaboli vincula: ligat nos diabolus criminum nexu, vinculo inuidiæ, vinculo crudelitatis, &c.)

XLI.

Via Angusta. Luc. 13. 22.

1. ET *ibat per ciuitates* [1] *& Castella docens & iter faciens in Hierusalem.*

Ait

Ait autem illi quidam, Domine, [2] *si pauci sunt qui saluantur? Ipse autem dixit ad eos,* [3] *Contendite intrare per* [4] *angustam portam, quia* [5] *multi, dico vobis,* [6] *quærent intrare & non poterunt.* Augustin. "Aream video & grana quæro, & vix videntur grana quando area trituratur: pauci ergo sunt qui saluãtur cõparatione multorum perituroru; nam ipsi pauci magnam massam facturi sunt cùm venerit ventilator.) & Beda, "Benè dixit, *Contendite*, quia nisi mentis contentio ferueat, vnda mundi non vincitur: *quærunt* intrare salutis amore prouocati, *& non poterunt*, itineris asperitate deterriti: Non quod onus Domini sit graue, sed quia nolunt discere ab eo, *quoniam mitis sum*, &c.)

Aug. s. 32. de v. Dom.

Beda hîc.

2. *Cùm autem intrauerit paterfamilias &* [2] *clauserit ostium, incipietis foris* [2] *stare, &* [3] *pulsare ostium dicentes, Domine aperi nobis: & respondens dicet vobis,* [4] *Nescio vnde sitis: Tunc incipietis dicere, Manducauimus* [5] *coram te, & bibimus, & in plateis* [6] *nostris docuisti; & dicet vobis, Nescio vos, discedite à me omnes* [7] *operarij iniquitatis.* Basil." Quidquid non Charitatis

Bas. in reg. br. ciu. 282.

ritatis erga Deum, sed humanæ laudis causa fit, id non laudem pietatis meretur, sed iudicium incurrit aut studij hominibus aliis placendi, aut tibi; aut æmulationis, aut inuidentiæ, aut alterius cuiuspiam criminis.) & Augustᵘˢ "Mutet ergo vitam qui vult accipere vitam: nam si non mutet vitam, ad iudicium accipiet vitam, &c.)

Aug. ser. 1. de temp.

3. *Ibi erit fletus & stridor dentium: cùm videritis Abraham & Isaac & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras: Et venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Austro, & accumbent in regno Dei: & ecce sunt nouissimi qui erunt primi, & sunt primi qui erunt nouissimi* Beda suprà, "Potest & ita; quia multi serò ad Dei seruitium venientes magnis vitæ meritis excellunt; Alij verò in primâ ætate spirituali studio feruentes ad extremum otio torpente lassescunt.)

Beda.

XLII.

XLII.

Phariſæi ſuadent Chriſto fugam: Lucæ 13. 30.

1. IN ipſa die acceſſerunt quidam Phariſæorum dicentes illi, Exi, [1] & vade hinc, quia Herodes [2] vult te occidere. Et ait illis: Ite, & dicite vulpi illi, Ecce [3] eijcio dæmonia, & ſanitates perficio hodie, & cras, & tertia die conſummor: verumtamen oportet me hodie & cras, & ſequenti die ambulare; quia non capit prophetam perire extra Hieruſalem. q. d. Ego quod mei eſt muneris perficio; alienis me non intromitto: hinc eſt quod mihi Herodes (quem non offendi) nocere non poſſit; præterquam quod qui dæmonibus impero, cur hominem metuam, &c. vide Cornel.

2. *Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, [1] quoties volui [2] congregare [3] filios tuos, quemadmodum [4] auis nidum ſuum ſub pennis, & [5] noluiſtis?* Theophyl. "Nihil adeò diſpergit vt peccatum, nihil ita ad Deum aggregat ſicut virtus." Theophyl: & Auguſt.

Auguſt.in pſ.90. "Gallina protegit pullos ſuos ſub alis: quantò magis tu ſub alis Dei tutus eris? Nulla ſic auis infirmatur cum pullis ſuis; quia ergo & nos infirmi eramus, infirmum ſe fecit ſapientia Dei, quia Verbum Caro factum eſt, & habitauit in nobis, vt ſub alis eius ſperemus.)

3. *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta; dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat cùm dicetis, Benedictus qui venit in nomine Domini.* Beda,

Beda hîc. "Non immeritò Domini auxilio nudata, ſuæ ditioni relinquitur, quin non ſolùm Auis illius Omnipotentis alis protegi deſpexit, ſed & eamdem Auem ſe protegere volentem vulpibus deuorandam tradidit.)

Theophyl. & Theophyl. "Quamdiu vitam veſtram bene gerebatis Templum meum erat; quia autem illud contaminaſtis, non vltra mea erit domus, ſed *veſtra*; & non ſolùm Templum, ſed & genus veſtrum.)

XLIII.

XLIII.

Hydropicus curatur, & dantur monita salutaria inuitatis. Lucæ 14.

1. *ET factum est cùm intraret* IESVS *in domum* [1] *cuiusdam Principis Pharisæorum sabbatho manducare panem, & ipsi* [2] *obseruabant eum: Et ecce homo quidam* [3] *Hydropicus erat ante illum: Et respondens* IESVS *dixit ad legisperitos & Pharisæos dicens, si licet sabbatho curare? At illi* [4] *tacuerunt Ipse verò apprehensum sanauit eum & dimisit. Et respondens ad eos dixit, Cuius* [5] *vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum in die sabbathi? & non poterant ad hæc illi respondere.* Chrysost.'' Sicut hydrope laborantes cùm larga fruuntur potione, tunc præcipuè sunt miserrimi, si verò siti iuxta leges medicorum cruciantur spem habent salutis, sic, &c.) Dom. 16. post Pentec. Chrysost. ho. 6. ad pop.

2. *Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne fortè honoratior te sit inuita-*

tus ab illo, & veniens is qui te & illum vocauit, dicat tibi, da huic locum, & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere: sed cùm vocatus fueris, vade, recumbe in nouissimo loco, vt cùm venerit qui te inuitauit, dicat tibi, Amice, ascende superius; tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus: quia omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Basil. Basil. "Vniuersam Domini dispensationem ad humilitatem nos instituere deprehendimus: Cùm infans esset, mox, &c.) vide & Bernardum ser. 37. in Cant.

3. *Dicebat autem ei qui se inuitauerat. Cùm facis prandium aut Cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites, ne fortè te & ipsi reinuitent, & fiat tibi retributio. Sed cùm facis conuiuium voca pauperes, debiles, claudos & cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum.* Chrysost. in catena. Chrysostomus, "Si pauperem vocaueris, Deum habebis debitorem; & quantò minor est frater, tantò magis per eum Christus accedit, & visitat; qui magnum

gnum suscipit, sæpè ob gloriam aut vtilitatem facit.)

XLIV.

Omnibus renuntiandum. Luc. 14. 25.

1. IBant autem turbæ [1] *multæ cum eo, &* [2] *conuersus dixit ad illos: Si quis venit ad me &* [3] *non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem &* [4] *animam suam non potest meus esse discipulus: & qui non baiulat* [5] *crucem suam, &* [6] *venit post me, non* [7] *potest meus esse discipulus.* Gregor. "Sic exhibere proximis nostris odij discretionem debemus, vt in eis & diligamus quod sunt, & habeamus odio quod in Dei nobis itinere absistunt.) *Pro Martyre Pontif.* Greg. hom. 37. in Euāg.

2. *Quis enim ex vobis volens* [1] *turrim ædificare non priùs* [2] *sedens computat* [3] *sumptus qui necessarij sunt si habeat ad perficiendum; ne posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere,* [4] *omnes qui vident incipiant illudere ei dicentes, quia hic* [5] *homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Augustinus, "Dat signum Dominus vt ædificemus turrim Aug. ep. 38.

de qua hoſtem ſempiternæ vitæ & proſpicere, & propellere valeamus.)& Gregor. ſuprà, "Quia ſublimia præcepta data ſunt, comparatio ædificandæ ſublimitatis adiungitur."Sumptus verò vires ſunt ad diſcipulatum Chriſti obtinendum. Auguſt. Hæ ſecundùm Gregorium non colligendo (vt mundanæ) ſed diſpergendo quæ mundi ſunt comparantur hom.32.in Euang.

Gregor.

Aug.2.qq. Euāg.c.31.

3. *Aut quis* [1] *rex iturus committere* [2] *bellum aduerſus alium* [3] *regem, non ſedens priùs cogitat ſi poſſit cum* [4] *decem millibus occurrere illi qui cum* [5] *viginti millibus venit ad ſe; alioquin adhuc illo longè agente legationem mittens rogat ea quæ pacis ſunt.* Auguſt." Decem millia præliaturi cum rege qui habebat viginti millia oſtendunt ſimplicitatem Chriſtiani populi dimicaturi(eum duplicitate diaboli, hoc eſt, cum dolis & fallaciis eius) in affectu conſtituti renunciantis omnibus quæ ſunt eius.) ita enim concludit.

Aug.ibid.

4. *Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet non poteſt meus eſſe diſcipulus.* "Inter quæ omnia etiam iſta temporalis vita intelligatur

Aug.ibid.

neceſſe

necesse est.) August. vide plura apud Gregorium de Rege, &c. quam ipse similitudinem transfert ad iudicium extremum, in quo difficulter homo respondebit vnum pro mille.

XLV.

In Encœniis conantur Christum Iudæi lapidare. Ioan. 10. 22.

1. FACTA *sunt autem Encænia in Hierosolymis, &* [1] *hyems erat, &* [2] *ambulabat* IESVS *in templo, in porticu Salomonis.* [3] *Circumdederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei, quousque* [4] *animam nostram tollis? Si tu es Christus dic nobis* [5] *palam. Respondit eis* IESVS, *loquor vobis &* [6] *non creditis: opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc* [7] *testimonium perhibent de me, sed vos non creditis quia non* [8] *estis de ouibus meis*: quia scilicet non vultis mihi tanquam Pastori vestro subijci. Nam

Feria 4. post Dom. Pass.

2. *Oues meæ vocem* [1] *meam audiunt, & ego* [2] *cognosco eas, &* [3] *sequuntur me, & ego vitam* [4] *æternam do eis, &* [5] *non peribunt in æternum, &* [6] *non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod de-*

dit mihi[7] *maius omnibus est, & nemo potest rapere de manu*[8] *Patris mei; ego & Pater*[9] *vnum sumus.* Ambrosius." Cùm dicit, *Ego & Pater*, reuelatur æqualitas, cùm dicit, *vnum sumus*, vnitas declaratur. Æqualitas Patrem Filiumque distinguit; vnitas Patrem Filiumque non separat: Nescit vnitas ordinem, gradum nescit æqualitas) & Augustin. " Gignendo dedit vt æqualis esset, hoc est, quod maius omnibus est.)

Ambr.tr.3. de Spir.S. c.18.

Aug.tr.48. in Ioan.

3. '*Sustulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum. Respondit eis* IESVS: *Multa*[2] *bona opera ostendi vobis à Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* '*Responderunt ei Iudæi, de bono opere non lapidamus te; sed quia tu homo cùm sis,*[3] *facis teipsum Deum.* Ambros." Non capiunt fidei magnitudinem angusta impiorum pectora.) At " Dominus qui non patiebatur quod nolebat pati, & non est passus nisi quod volebat pati, adhuc eos lapidare cupientes alloquitur.

Auubr. sup.

Aug. sup.

4. *Respondit eis* IESVS: *Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi, Dij*[1] *estis? Si illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui Scriptura, Quem Pater*

Pater [2] *sanctificauit, & [3] misit in mundum, vos dicitis quia blasphemas, quia dixi filius Dei sum? Si non [4] facio opera Patris mei nolite credere mihi; si autem facio, etsi mihi non vultis credere, operibus credite: vt cognoscatis & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre. Quærebant ergo eum [5] apprehendere, & exiuit de manibus eorum.* Augustin. " Iudæi intellexerunt quod non intelligunt Arriani. Dominus autem vidit eos non ferre splendorem veritatis, & eum temperauit in verbis.) & infrà, Vtinam apprehenderent, sed credendo, & intelligendo, non sæuiendo & occidendo: Non enim apprehenderunt, quia manus fidei non habuerunt.) Aug. sup.

5. *Et abijt trans Iordanem, in eum locum vbi erat Ioannes baptizans, primùm, & mansit illic; & multi venerunt ad eum, & dicebant, quia Ioannes quidem signum nullum fecit, omnia autem quæcunque dixit Ioannes de hoc vera erant, & multi crediderunt in eum.* Beda." Quantus Iudæorum contra Dominum furor extiterit, ex omnibus penè locis Euangelij docemur; Ioannem de quo dictum est, Beda in 6. Marci.

quia signum fecit nullum, à mortuis potuisse resurgere, nullo attestante credebant; IESVM autem, virum approbatum à Deo virtutibus & signis, &c.)

XLVI.

Parabola Ouis & Drachmæ.
Luc. 15.

Dom. 3. post Pentecost.

1. ERant autem [1] appropinquantes ei Publicani & peccatores, vt [2] audirent eum, & [3] murmurabant Pharisæi & Scribæ dicentes, quia hic peccatores [4] recipit & manducat cum eis.

2. Et ait ad illos parabolam illam dicens: Quis ex vobis [1] homo qui habet centum oues, & si perdiderit [2] vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in [3] deserto, & vadit [4] ad illam quæ perierat, [5] donec inueniat eam, & cùm inuenerit eam, imponit in [6] humeros suos gaudens, & veniens domum conuocat amicos & vicinos dicens, Congratulamini [7] mihi quia inueni ouem meam quæ perierat. Dico vobis quod ita gaudium erit in Cœlo super [8] vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis qui non indigent pœni-

pœnitentia. Ambros. "Humeri Christi, Crucis brachia sunt: diues pastor cuius omnes nos centesima portio sumus.) & iterum, "Venit non cum virga, sed Charitate, spirituque mansuetudine. Noli dubitare relinquere in montibus nonaginta nouem oues tuas, quia in montibus constitutas lupi incursare non possunt.) Ambr. 7. in Lucam. Idem s. 22. in ps. 118.

3. *Aut qua mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam vnam, nonne* [1] *accendit lucernam &* [2] *euerrit domum, & quærit diligenter donec inueniat eam; & cùm inuenerit, conuocat amicas & vicinas dicens, Congratulamini mihi,* &c. Ita dico, *vobis gaudium erit,* &c. Chrysost. "Hominem drachmam nominat, quod illi tanquam nummo imago & inscriptio regis cœlestis insculpta sit, &c.) Aliter verò Chrysolog. "Christus est plenum deitatis numisma; Christus est drachma nostræ redemptionis & pretij; Christus est qui & erat in legis Decalogo & latebat; Christus est, quem habebat synagoga, & tenebris impugnantibus non videbat. Decem drachmas decem legis dicimus verba, Chrysost. s. de duob. filiis. Chrysol. s. 169.

ex

ex quibus verbum perdiderat synagoga vnum illud, de quo Euangelista, *In principio erat Verbum*: sed nos lucernam Matris Ecclesiæ iam sequamur, & ambulantes in lumine Dominici vultus, Christi perueniamus ad drachmam?)

XLVII.

De *filio prodigo*. Luc. 15. 11. *Pars* 1.

Sabb. post 2. Quadrages.

1. *AIt autem: Homo quidam habuit duos filios, & dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da* 2 *mihi portionem substantiæ quæ me contingit; & diuisit illis substantiam; & non post* 3 *multos dies, congregatis omnibus adolescētior filius peregre profectus est in regionem* 4 *longinquam, &* 5 *ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè; & postquam omnia consummasset facta est* 6 *fames valida in regione illa, & ipse cœpit* 7 *egere, & abiit & adhæsit vni ciuium regionis illius, & misit illum in villam suam vt* 8 *pasceret porcos, & cupiebat implere ventrem suum de* 9 *siliquis quas porci manducabant, & nemo* 10 *illi dabat.* Chrysologus, "Petente vno; ambobus

Chrys. s. 1.

bobus totam substantiam mox diuisit, vt scirent filij quod antè tenebat pater non fuisse auaritiæ, sed amoris. Beati filij quibus manet tota in patris cultura possessio: Cæterum facultates vnitatem scindunt, fraternitatem separant.) & infra: "*Adolescentior* planè non ætate, sed sensu, qui abiit longè plus mente quàm loco, vt dato, non accepto pretio miseræ se venderet seruituti; *& cœpit egere*; sic inuenit qui se negat patri, qui se committit extraneo, vt sentiat seuerum iudicem, qui fugit indulgentissimum prouisorem. Quam crudele ministerium, quia neque conuiuit porcis qui viuit porcis!)

2. *In se autem* [1] *reuersus dixit, Quanti* [2] *mercenarij in domo patris mei abundant panibus, & ego* [3] *hîc fame pereo;* [4] *surgam & ibo ad* [5] *patrem meum, & dicam ei, Pater peccaui in* [6] *Cœlum & coram te; Iam non sum dignus* [7] *vocari filius tuus, fac me* [8] *sicut vnum de mercenariis tuis; &* [9] *surgens venit ad patrem.* Augustin." Regio longinqua, obliuio Dei est; fames, indigentia verbi veritatis; siliquæ, sæculares doctrinæ: vnde cùm iste saturari cupiebat, Aug. qq. Euāg. c. 33.

piebat, aliquid solidum & rectum quod ad beatam vitam pertineret inuenire volebat, & non poterat ; in conscientiam autem interiorē reducem faciens intentionem suam dixit, *quanti mercenarij*, &c.) & Chrysologus, "Iacere se turpis luxuriæ respexit in lubrico, & ideo exclamat, *surgam*: neque dicit, non sum dignus esse filius tuus, sed *vocari*, & quia perdiderat quod erat naturæ, iudicat se, quod est gratiæ, nō mereri, &c.) & Ambrosius," Benè in se reuertitur, quià se recessit; etenim qui ad Dominum regreditur, se sibi reddit; qui recedit à Christo, se sibi abdicat. Mercenarij autem qui sunt? Bonus mercenarius Petrus, Ioannes, Iacobus, quibus dicitur, Venite post me faciam vos piscatores hominum. Isti non siliquis, sed panibus abundabant ; denique & collegerant fragmentorum cophinos duodecim. O si nos quoque Domine IESV mercenarios digneris conducere . licèt serò venientes!)

Chrys. s. 2.

Ambr. 7. in Lucam.

XLVIII.

XLVIII.

De filio Prodigo. Pars 2.

1. CVm autem adhuc [1] *longè esset* [2] *vidit illum pater ipsius &* [3] *misericordia motus est, &* [4] *accurrens, cecidit* [5] *super collum eius, &* [6] *osculatus est eum; dixitq; ei filius: Pater peccaui in Cœlum & coram te,* [7] *iam non sum dignus vocari filius tuus. Dixit autem Pater ad seruos, Citò* [8] *proferte stolam* [9] *primam, & induite illum, & date* [10] *annulum in manu eius, &* [11] *calceamenta in pedes eius, & adducite vitulum* [12] *saginatum &* [13] *& occidite, & manducemus, &* [14] *epulemur, quia hic* [15] *filius meus* [16] *mortuus erat & reuixit, perierat, &* [17] *inuentus est.* Chrysologus," Pater *occurrit longè*, cùm adhuc impij essemus Christus pro nobis mortuus est: occurrit Pater in filio, cùm per ipsum de Cœlo descendit; *Pater*, inquit, *qui me misit mecum est: Cecidit super collum eius*, cùm per Christum diuinitas tota, nostrâ decumbit, & incumbit in carne; *& osculatus est eum*; quando? quando misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia Chrys.s.5.

tia & pax oſculatæ ſunt.) & ſermone 3. " Non dixit, vnde venis? vbi fuiſti? vbi ſunt quæ tuliſti? quare tantam gloriam tanta turpitudine commutaſti? ſed *Citò proferte ſtolam*, &c. A ſeruis ante veſtiri voluit filium quàm videri, &c.)

2. *Et cœperunt epulari. Erat autem filius eius ſenior in* [1] *agro, & cùm veniret, & approp inquaret domui, audiuit ſymphoniam, & chorum. & vocauit vnum de ſeruis. & interrogauit quid hæc eſſent, [2] dixit illi, frater tuus venit, & occidit Pater tuus vitulum ſagin atum, quia ſaluum illum recepit: [2] Indignatus autem nolebat introire.* Hieron. " Erat filius ſenior in agro, in terrenis operibus labore deſudans: hic eſt qui ait, *Agrum emi & neceſſe habeo videre illum, rogo te habe me excuſatum*, &c.)

Hieron. ep. 146.

3. *Pater ergo illius* [1] *egreſſus cœpit* [2] *rogare illum: At ille reſpondens dixit patri ſuo,* [3] *Ecce tot annis ſeruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui, & nunquam dediſti* [4] *mihi hœdum, vt cum* [5] *amicis meis epularer; ſed poſtquam filius tuus* [6] *hic, qui deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, venit, occidiſti* [7] *illi vitulum ſaginatum:*

natum: At ipse dixit illi, Fili, tu [8] *semper mecum es, & omnia mea* [9] *tua sunt; epulari autem & gaudere* [10] *oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat & revixit, perierat & inventus est:* Hieron "Pater supplex ad concordiam deprecatur: Ille iustitiam quæ ex lege est sequens, Dei iustitiæ non subijcitur: Porrò quæ maior iustitia Dei, quàm ignoscere pœnitentibus, filium suscipere redeuntem? *Ecce tot annis*, &c. quasi hoc ipsum non sit præterire mandatum, saluti alterius inuidere, &c.) & Chrysologus, "Hoc tibi non tua innocentia, sed patris venia dedit, &c.) & infrà, "O quid facit vis amoris! quamuis malo filio, non esse nescit, non esse non potest pater.) Hier. sup-

XLIX.

De villico iniquitatis. Luc. 16.

1. *Dicebat autem & ad* [1] *discipulos suos: Homo quidam erat* [2] *dives qui habebat villicum, & hic diffamatus, est* [3] *apud illum* [4] *quasi dissipasset bona* [5] *ipsius, &* [6] *vocavit illum, & ait illi, quid hoc* [7] *audio de te? redde* [8] *rationem villicationis tuæ, iam enim* *Dom. 8. post Pentecost.*

enim non [9] poteris villicare. Theophyl.

Theophyl. "Primùm hoc discimus quod non sumus domini.) " Cognita verò (inquit

Chrys.t.125 Chrysologus) velut audita imputat, quia in reum non vult accelerare sententiam: & conuictum penes se, velut accusatum conuenit, quia iudicium gestit veniâ sic præire. Rationem petit vt petatur; petit hîc, vt non petat ibi; petit citò, ne pœnarum tempus satisfactionis tempus excludat.)

2. *Ait autem Villicus [2] intra se, quid [2] faciam, quia dominus meus aufert à me villicationem! [3] fodere non valeo, [4] mendicare erubesco: scio quid faciã, vt cùm amotus fuero à villicatione recipiãt me in domos*

Chrys.sup. *suas.* Chrysol. "Semper homo bona facere tunc cupit quando mors faciendi tempus ademit: pungit verò cor suum, stimulat mentem vt à se pœnitentiam quam pro se dare possit extorqueat: Nec vires isti, sed tempora defecerunt ad laborem. Miser planè, si quem temporalitas habuit diuitem, mendicum sempiternitas possidebit. Vtinam quando nos de vocatione cõmonet ægritudo, huius villici factum, sensumque sequeremur.

3. Con-

3. *Conuocatis itaque singulis* [1] *debitoribus domini sui, dicebat primo, quantum debes domino meo? at ille dixit, centum cados* [2] *olei: dixitq; illi, accipe cautionem tuam, & sede,* [3] *citò scribe quinquaginta: deinde* [4] *alij dixit, Tu verò quantum debes? qui ait, centum coros* [5] *tritici: ait illi, accipe litteras tuas, & scribe octoginta Et* [6] *laudauit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset; quia filij huius saeculi, prudentiores filiis lucis in* [7] *generatione sua sunt.* Hieron. "Si dispensator iniqui mammonæ domini voce laudatur, &c. quantò magis Christus qui nullum damnum sustinere potest. & pronus est ad clemẽtiam, laudabit discipulos suos, si in eos qui crediturí sibi sunt, misericordes fuerint?) Hieron. ad Algarium ep. 151.

4. *Et ego dico vobis, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.* Chrysost. "Non nos defendit eorum amicitia, sed quod ex mammona amici facti sunt; nam nec cognatio, nec familiaritas quidquam potest absque factis, &c.) Chrysost. in ps. 48.

L.

Duo Domini. Luc. 16. 13.

1. *QVi fidelis est in minimo, & in maiori fidelis erit, & qui in modico iniquus est & in maiori iniquus est. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est quis credet vobis? & si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis?* Theophyl. Theophyl. " *Minimum* vocat terrenas diuitias, vt reuera paruas, imò quæ nihili sunt quia transitoriæ; *multum* verò Cœlestes quia duraturas, & quibus semper accedit. Alienæ autem sunt illæ quia pauperibus designatæ; vel quia nudi in hunc mundum nati sumus, & dispensatores sumus non domini. Qui verò in illis iniustus fuerit, & sibi eas vendicat, neque hoc *multo* dignus inuenietur, sed sicut iniustus repudiabitur.)

2. *Nemo seruus potest duobus dominis seruire, aut enim vnum odiet, & alterum diliget, aut vni adhærebit, & alterum contemnet: non potestis Deo seruire & mammonæ.* Ambros. " Non quia duo, sed vnus Ambr. 7. in Luc.

est

est Dominus: neque enim iusta est potestas, sed iniusta est seruitus.) " *Contemnet* autem dixit, sicut solent minas Dei postponere cupiditatibus suis qui de bonitate eius ad impunitatem sibi blandiuntur.) Augustinus, " Cùm verò dicit, *Non potestis Deo seruire & mammonæ*, corripit auaritiam & dicit eum qui amat pecuniam, Deum amare non posse.) Hieron. Aug. 2. qq. Euāg. c. 36. Hieron. ad Algasiam.

3. *Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant auari, & [1] deridebant illum; & ait illis: Vos estis qui iustificatis vos [2] coram hominibus: Deus autem nouit [3] corda vestra; quia quod hominibus [4] altum est abominatio est apud Deum. Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem; ex eo regnum Dei euangelizatur, & [5] omnis in illud vim facit: [6] facilius est autem Cœlum & terram præterire quàm de lege vnum apicem cadere.* Videapud Hugonem Card. Tres altitudines: Bonam, malam, indifferentem. Bona, Dei Altitudo; Potentiæ, sapientiæ, bonitatis: Bona etiam hominis; Nobilitas spiritualis, filij enim excelsi omnes; Virtus, sapientia, fortitudo. Altitudo, mala diaboli, superbia: Hugo hîc.

Hominis, prosperitas, proteruia, ambitio. Altitudo indifferens, Nobilitas carnis, potentia prælationis, diuitiæ.

LI.

Diues Epulo, & pauper Lazarus. Luc. 16. 19.

Feria 5. post 2. Quadrag.

1. HOmo *quidam erat* [1] *diues qui induebatur* [2] *purpura & byſſo, & epulabatur* [3] *quotidie ſplendidè; & erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad* [4] *ianuam eius,* [5] *vlceribus plenus, cupiens* [6] *ſaturari de* [7] *micis quæ cadebant de menſa diuitis, & nemo* [8] *illi dabat, ſed &* [9] *canes veniebant, & lingebant vlcera eius.* Titus, " Hunc tanquam durum & immanem Dominus Anonymum inducit.) " Attende autem duos hos, vnum in diuitiis, & ſanitate miſerum, alterum in egeſtate & vulnere multum beatum. Diues ille quàm inanis fuit in epulis, quàm pauper in multitudine diuitiarum, quàm nudus in pulchritudine veſtium, &c. Lazarum verò in paupertate diuitem; ſine domo, ſed

Titus Boſt. hîc.

Fulgentius ep. 2. c. 9.

sed non sine Domino ; sine veste , sed non sine fide ; canibus expositum, sed socium Angelorum; qui non accipiebat de micis, sed cœlestem panem visceribus ructabat internis.)

2. *Factum est autem vt moreretur mendicus, & [1] portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ; [2] mortuus est autem & dives, & sepultus est in [3] Inferno. Eleuans autem oculos suos cùm esset in tormentis [4] vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius & ipse [5] clamans dixit, Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarũ vt intingat [6] extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret [7] linguam meam, quia crucior in hac flamma: & dixit illi Abraham: Fili, [8] recordare quia recepisti bona in vita [9] tua, & Lazarus similiter mala; [10] nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Et in [11] his omnibus inter nos & vos chaos magnum [12] firmatum est , vt hi qui volunt hinc transire ad vos non possint, neque inde huc transmeare.* Chrysologus, "O mira pietas! adhuc vocat filium quem degenerasse propria crudelitate sic respicit, vocat filium, vt intelligat iudicij esse quod patitur, non furoris) Chrys. s. 123.

3. *Et ait, rogo ergo te Pater, vt mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: Habent Moysen & prophetas, audiant illos: At ille dixit: Non, Pater Abraham; sed si quis ex mortuis ierit ad eos pœnitentiam agent: Ait autem illi, Si Moysen & prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.*

Aug tr 44. in Ioan.

" O infelix, quando viuebas tunc erat tempus operandi; modò in nocte es quando nemo potest operari.)

LII.

Varia documenta. Luc. 17.

1. *ET ait ad Discipulos suos: [1] Impossibile est vt non veniant scandala: væ autem illi [2] per quem veniunt; vtilius est illi si [3] lapis molaris imponatur circa collum eius & proïciatur in mare, quàm vt scandalizet [4] vnum de pusillis istis. [5] Attendite vobis.*

Theophyl.

Theophyl. " Videns quempiam medicus malam diætam seruare & insatiabilem esse, dicit, necessarium est illum

lum ægrotare, &c. non neceſſe autem vos perire, ſiquidem armaueritis vos.)

2. *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum, & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi: & ſi ſepties in die peccauerit in te, & ſepties in die conuerſus fuerit ad te dicens, Pœnitet me, dimitte illi.* Theophyl. "Non cogites quòd Dominus ponat numerum remiſſionis, ſed intellige ſine numero.)" Oportet enim nos qui infirmi ſumus, & affectionibus vincimur, condolere his qui ſimiliter affecti ſunt.) Euthymius. Theophyl. Euthym.

3. *Et dixerunt Apoſtoli Domino, Adauge nobis fidem. Dixit autem Dominus, Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis dicetis huic arbori moro, eradicare & tranſplantare in mare, & obediet vobis.* Theophyl. "Apoſtoli credebant Domino; ſed cùm veniſſent in conſcientiam infirmitatis ſuæ, & audiuiſſent Dominum de magnis quibuſdam ſibi dicentem, & de periculo ab offendiculis, precantur vt augeatur in eis virtus fidei: nihil enim adeò ad paupertatem, de qua locutus fuerat, perficiendam conducit, atque credere, & confidere Deo; nihil ita facit Theophyl.

thesauros reponere vt non credere quòd magnus sit Thesaurarius Deus, & inexhaustum promptuarium bonitas eius.

4. *Quis autem vestrum habens seruum arantem aut pascentem qui regresso de agro dicat illi, statim transi, recumbe; & non dicat ei, para quod cœnem, & præcinge te, & ministra mihi, donec manducem & bibam, & post hæc tu manducabis & bibes? nunquid gratiam habet seruo illi quia fecit quæ ei imperauerat? Non puto: sic & vos, cùm feceritis* [1] *omnia quæ* [2] *præcepta sunt vobis, dicite,* [3] *Serui* [4] *inutiles sumus, quod* [5] *debuimus facere fecimus.* Euthym.

Euthym. " Væ mihi est, inquit Paulus, si Euangelium non prædicauero. Attamen cùm bonus sit Deus, debitum obsequium tanquam facinus egregium suscipit, & præmium tribuit, quod labores etiam excedat. Vincit namque bonitas eius id quod iustum est & æquum.)

LIII.

De Regno Dei & Iudice iniquo.

Luc. 17. & 18.

1. *INterrogatus autem à Pharisæis, quando* [1] *venit regnum Dei? Respondens eis dixit:*

dixit: Non venit regnum Dei cum [2] *obseruatione; neque dicent, ecce hîc, aut ecce illic,* id est, ecce in Hierusalem thronus eius; ecce ibi, aut ibi regnat in magnificentia, quasi alter Salomon, *Ecce enim regnum Dei* [3] *intra vos est:* si videlicet fidem Christi gratiamq; amplectimini." Omnino enim Regnum Dei est more Angelorum viuere (inquit Theophyl.) quando nihil mundanum in animabus nostris versatur. *Et ait ad Discipulos suos, venient dies quando desiderabitis videre* [1] *vnum diem filij hominis, & non videbitis.* Non enim semper cum ipsis visibiliter erat futurus Christus.

2. *Dicebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet* [1] *semper orare, & non* [2] *deficere, dicens: Iudex quidem erat in quadam ciuitate, qui Deum non* [3] *timebat, nec hominem reuerebatur. Vidua autem quadam erat in ciuitate illa, & veniebat ad eum dicens, Vindica me de aduersario meo, & nolebat per multum tempus; Post hæc autem dixit intra se, Etsi Deum non timeo, nec hominem reuereor, tamen* [4] *quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens sugillet me.* Aug.

Aug.2.qq. Eu.c.45. ” Quantò certiores esse debent qui Deum perseueranter rogant fontem iustitiæ atque misericordiæ, cùm apud iniquissimum iudicem vsque ad effectum implendi desiderij valuit perseuerantia deprecantis.)

3. *Ait autem Dominus: Audite quid Iudex iniquitatis dicit; Deus autem non faciet* [1] *vindictam electorum suorum* [2] *clamantium ad se die* [3] *ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico vobis quia* [4] *citò faciet vindictam illorum: Verumtamen filius hominis veniens putas inueniet* [5] *fidem in terra?* Augustinus, ” Ergo vt oremus credamus; & vt ipsa fides non deficiat quâ oramus, oremus: fides fundit orationem; fusa oratio, fidei impetrat firmitatem.)

Aug.tr.36. de v.Dom. sec.Luc.

LIV.

Pharisæus & Publicanus. Luc.18.9.

Dom.10. post Pentec. 1. *Dixit autem & ad quosdam qui in se* [1] *confidebant tanquam iusti, &* [2] *aspernabantur cæteros, parabolam istam: Duo homines ascenderunt in templum vt orarent, vnus Pharisæus & alter Publicanus:*

nus: Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orabat, Deus gratias tibi ago quia non ſum ſicut [3] *cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri, velut etiam hic* [4] *Publicanus: ieiuno bis in ſabbatho, decimas do omnium quæ poſſideo.* Auguſt." Quid rogauerit Deum quære in verbis eius nihil inuenies: Ergo iam plenus es? ergo non eſt tentatio vita hominis ſuper terram (&c. Aug. ſ. 36. de v. Dom.

2. *Et publicanus à* [1] *longè ſtans, nolebat nec* [2] *oculos ad cœlum leuare, ſed* [3] *percutiebat pectus ſuum, dicens, Deus* [4] *propitius eſto mihi peccatori.* Auguſt. " Veni, veni pauper eſuriens publicane; imò ibi ſta vbi ſtas: Publicanus enim de longinquo ſtabat, ſed Dominus humili appropinquabat; quò oculos non leuabat, cor ibi habebat, &c. Idem ſ. 44.

3. *Dico vobis,* [1] *Deſcendit hic iuſtificatus in domum* [2] *ſuam ab illo: quia omnis qui ſe* [4] *exaltat humiliabitur, & qui ſe* [5] *humiliat exaltabitur.* Bernardus," Magna & rara virtus eſt, vt magna licèt operantem, magnum te neſcias, & manifeſtam omnibus tuam te ſolum latere ſanctitatem; mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare: hoc ego ipſis Bern. ſ. 13. in Cant.

virtutibus mirabilius iudico: fidelis reuera famulus si ex multa gloria Domini sui, etsi non exeunte ex te, tamen transeunte per te, nihil tuis manibus adhærere contingat.)

4. *Afferebant autem ad illum infantes vt eos tangeret; quod cùm viderent discipuli, increpabant illos;* IESVS *autem conuocans illos dixit, Sinite* [1] *pueros venire ad me; & nolite vetare eos;* [2] *talium est enim regnum Dei. Amen dico vobis, quicunque non receperit regnum Dei* [3] *sicut puer, non intrabit in illud.*" Vt ostenderet non ætatem regnare, sed mores; & his qui similem haberent innocentiam & simplicitatem præmium repromitti.)

Hieron. Matth. 9.

LV.

Adolescenti Diuiti suadetur Perfectio. Matth. 19. Marc. 10. Luc. 18.

1. *ET cùm egressus esset in viam* [1] *procurrens quidam* [2] *princeps* [3] *genuflexo ante eum, rogabat eum: Magister bone, quid faciam vt vitam* [4] *æternam percipiam?* IESVS *autem dixit ei,* [5] *Quid me dici-*

cis

cius bonum? Nemo bonus nisi solus Deus: si vis ad vitam ingredi, serua [6] *mandata: dicit illi, quæ?* IESVS *autem dixit, Non occides, non mœchaberis, non furtum*, &c. Hilarius, "Is cui necesse est impia & iniqua punire, bonitatis nomine abstinuit; soli hoc nomen patri reseruans, qui se, iudicem dando, officio seueritatis exuerit, non quod bonus & ipse non esset.) Alij verò; vt doceat cùm laudamur, laudes in diuinam retorquere: vel etiam probare volebat, an se Deum agnosceret, quem genuflexo rogabat. Hilar. hîc.

2. *Dicit illi Adolescens:* [1] *Omnia hæc custodiui à* [2] *iuuentute mea, quid adhuc mihi deest? Ait illi* IESVS, *Si* [3] *vis perfectus esse, vade vende quæ habes, & da* [4] *pauperibus, & habebis* [5] *thesaurum in Cœlo, & veni* [6] *sequere me.* Augustus." Qui dicebat, quid boni faciam? vitam æternam desiderabat, sed plus amabat quod tenebat: vnde *cùm audisset Adolescens verbum abijt tristis; erat enim habens multas possessiones.* Vidit Dominus occupatas manus: dare vult, & non habet vbi ponat; occupatæ sunt manus accipientium, dicit tibi Dominus, *vade & vende, &* Aug. s. 33. de temp.

da, &c. & pone illa in cœlo, quia in terra impediunt: quid times? non perdes ea, sed seruantur tibi in cœlo; times ne argentum perdas, & non times ne tu ipse totus pereas?)

3. *Et* [1] *circumspiciens* IESVS *ait discipulis suis:* [2] *quàm difficile qui pecunias habent in regnum Dei introibunt! Discipuli autem* [3] *obstupescebant in verbis eius: At* IESVS *rursus respondens, ait illis, Filioli quàm difficile est* [4] *confidentes in pecuniis in regnum Dei introire!* [5] *facilius est Camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei: qui magis* [6] *admirabantur dicentes ad semetipsos, & quis potest saluus fieri? & intuens eos* IESVS *ait, Apud homines* [7] *impossibile est, apud Deum autem omnia* [8] *possibilia sunt.* Ambrosius, "Quisquis honoribus inflatus
Ambr. f. 10. fuerit, & auri thesauris dilatatus tanquam onustum & impeditum animal per angustum regni iter transire non poterit.)" Quicunque verò de paupertate
Aug. f. 205. de temp. gloriamini, cauete superbiam, ne vincant vos humiles diuites; cauete impietatem, ne vincant vos pij diuites; cauete ebrietatem, ne vincant vos sobrij diuites.

tes. Nolite de paupertate gloriari, si non debent illi de diuitiis gloriari: quid tibi prodest paupertas si non sequeris Christum?)

LVI.

Præmium eorum qui relictis omnibus sequuntur Christum. Ibid.

In Conuers. S. Pauli, & in communi SS. Abbatum, &c.

1. TVnc respondens Petrus dixit ei, *Ecce* [1] *nos reliquimus* [2] *omnia, & secuti sumus* [3] *te; quid ergo erit nobis?* Augustinus," Non ei dixit Dominus, oblitus es paupertatem tuam: quid dimisisti vt totum mundum acciperes? Multum dimisit, qui non solùm dimisit quidquid habebat, sed quidquid habere cupiebat: quis enim pauper non turgescit in spe sæculi huius? quis non quotidie cupit augere quod habet? Ista cupiditas præcisa est.) Aug. in ps. 103. con. 3.

2. IESVS *autem dixit illis, Amen dico vobis, quòd vos qui* [1] *secuti estis me; in* [2] *regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede Maiestatis suæ, sedebitis &* [3] *vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.* Bernardus," Quid glorioſius? Iudicent nunc & præiudicent superbiæ Bern. in declamat.

filij:

filij,: cum rege suo sedeant qui sibi latera Aquilonis elegit: exaltenter, & eleuentur sicut Cedri Libani; transibimus, & ecce non erunt.)

3. *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet in tempore hoc, cum persecutionibus, & in sæculo futuro vitam æternam.* Bernardus, "An non superuacuè penitus agit iniqua, qui non modò fructuosiùs, sed & iucundiùs Deo poterat seruire, quàm mundo? Et attende, quod Petro quidem tantùm de futuro respondit, omnibus verò *in tempore hoc*; & addit signanter, *cum persecutionibus*, ne de temporalibus aliquis coniectaretur: Interim tamen vndecunque sint centuplum accepturi, dum sit centuplum, dummodo valeat centupliciter, centupliciter placeat, consoletur, delectet, ametur: quid insaniæ est quod cunctantur homines relinquere simpla pro centuplis? vbi est cupidus? vbi ambitiosus? vbi conquisitor sæculi? &c.)

Bern. sup.

LVII.

LVII.

Operarij missi in vineam. Matth. 20.

1. *SImile est regnum Cœlorum homini patrifamilias qui exijt* [1] *primo manè,* [2] *conducere operarios in vineam suam.* [3] *Conuentione autem facta cum operariis ex denario diurno misit eos in vineã suam: Et egressus circa* [4] *horam tertiam vidit alios stantes in* [5] *foro otiosos, & dixit illis, ite & vos in vineam meam, & quod* [6] *iustum fuerit dabo vobis:* [7] *Iterum autem exijt circa sextam & nonam, & fecit similiter. Circa* [8] *undecimam verò exijt, & inuenit alios stantes, & dicit illis, quid hîc statis* [9] *tota die otiosi? dicunt ei, quia* [10] *nemo nos conduxit; dicit illis, ite & vos in vineam meam.* Vinea est Ecclesia & anima; forum, mundus; operarij Apostoli, & quisque animæ suæ & proximi: cum primis conuenitur de denario; secundis promittitur quod iustum est: vltimis nihil promittitur; sed Deus liberalis integrum vitæ æternæ denarium omnibus retribuit: dicere se non conductum, otiosorum est excusatio.) Vide Corn. *Domin. Septuagesimæ.*

2. Cùm

2. *Cùm serò autem factum esset dicit Dominus vineæ procuratori suo,* [2] *Voca operios, & redde* [3] *illis mercedem, incipiens à* [4] *nouissimis vsque ad primos. Cùm venissent ergo qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt* [5] *singulos denarios: venientes autem primi arbitrati sunt quòd plus essent accepturi: Acceperunt autem & ipsi* [6] *singulos denarios, & accipientes* [7] *murmurabant aduersus patremfamilias dicentes, Hi nouissimi vna hora fecerunt, &* [8] *pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei, & æstus.* Ambrosius, " Certè his iniusta videbatur hæc largitas : & quid eruditionis retulerunt ? quid rationis acceperunt ! Non est eis dispensationis reuelata iustitia, nec ad inspectionem secreti latentis admissi sunt, sed vt à discutiendis Dei iudiciis abstinerent, oppositа est eis bonitas miserantis, & volentis potestas, quasi illis & ab Apostolo diceretur , *Tu quis es qui respondeas Deo?*)

Ambr. l. 1. de vocat. gent. c. 5.

3. *At ille respondens vni eorum, dixit,* [1] *Amice, non facio tibi iniuriam, nonne ex denario conueniſti mecum ? Tolle* [2] *quod tuum est, & vade: volo* [3] *autem & huic nouissi-*

uissimo dare sicut & tibi: an non [4] *licèt mihi quod volo facere ? An oculus tuus nequam est* [5] *quia ego bonus sum ? Sic* [6] *erunt nouissimi primi, & primi nouissimi:* [7] *multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* Augustinus, " Attendite ne ideo quisquam differat venire ad veniam, quia securus est, quoniam quandocunque venerit, denarium accepturus est: Omnibus daturus est tantumdem, quare nos amplius fatigamur? Quid ille daturus sit, & quid facturus sit, penes ipsum consilium est: Tu quando vocaris, veni: Merces enim cunctis æqualis promittitur, sed de ipsa hora operandi magna quæstio est: dicerent iuuenes, hora vndecima veniemus; sed vtrùm viues vsque ad septimam nemo tibi promisit: vide ne quod tibi daturus est ille promittendo, tu tibi auferas differendo.)

Aug. s. 20. de v. Dom.

LVIII.

De Lazari Resuscitatione.

Ioan. II. *Pars* I.

1. ERat quidam [1] *languens Lazarus à Bethania de Castello Maria & Martha.*

Feria 6. post 4. Quadr.

tha sororis eius. Miserunt ergo sorores ad IESVM, *dicentes*; *Domine, ecce quem* [2] *amas, infirmatur. Audiens autem* IESVS *dixit eis, Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam.* [4] *Diligebat autem* IESVS *Martham, & sororem eius Mariam & Lazarum: vt ergo audiuit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.*

Ambr. ep. ad Philipp.

Ambrosius, " Probationes diuersæ sunt credentium: Alius enim per ægritudinem, alius amissione carorum, alius per damnum pecuniæ, alius per tribulationes probatur.) & lib. 1. de Pœnit. " Vtinam videam infirmari carnem meam; vtinàm non in carne viuam, sed in fide Christi; & ideo maior in infirmitate corporis, gratia, quàm in salute.)

2. *Deinde post hæc dixit Discipulis suis,* [1] *Eamus in Iudæam iterum: dicunt ei Discipuli, Rabbi,* [2] *nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc? Respondit* IESVS. *Nonne* [3] *duodecim sunt horæ diei? si quis ambulauerit in* [4] *die non offendit, quia lucem huius mundi videt; si autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.* q. d. Me sequimini, sicut duodecim horæ

horæ ſolem, ſi non vultis offendere, aut offendi; nam neque à Iudæis vobis metuendum erit quamdiu mecum eſtis: Cùm vitæ meæ occaſus venerit, tunc vos perſequentur. vide Cornel.

3. *Poſt hæc dicit eis, Lazarus* [1] *amicus noſter* [2] *dormit, ſed vado vt à ſomno* [3] *excitem eum: dixerunt ergo diſcipuli eius, Domine, ſi dormit,* [4] *ſaluus eſt: dixerat autem* IESVS *de morte eius. Tunc ergo dixit eis* IESVS *manifeſtè, Lazarus mortuus eſt; &* [5] *gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi; ſed eamus ad eum: dixit ergo Thomas ad Condiſcipulos, Eamus &* [6] *nos & moriamur cum eo.* Chryſoſtomus, "Primus parens mortem intulit, ſuperueniens Chriſtus etiam nomẽ ſuſtulit.) & Ambroſius, "Bonus ſomnus, quoniam quies eſt, &c.)

Chryſoſt. ho. 27. in Gen.

Ambr. de bono mortis c. 8.

LIX.

De Lazari Reſuſcitatione. Pars 2.

1. VEnit itaque IESVS, & [1] *inuenit eum quatuor dies iam in monumẽto habentem: Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham & Mariam, vt conſolarentur*

tur eas[2] de fratre tuo. Martha ergo vt audiuit quia IESVS *venit,[3] occurrit illi, Maria autem domi sedebat.* Augustinus, " Ex voluntate peruersa facta est libido; & dum seruitur libidini facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur facta est necessitas, quibus quasi anulis quibusdam sibi iunctis tenebat me obstrictum dura seruitus) Vel dic cum quibusdam quòd dies primus est cùm nascimur in originali; secundus, cùm ad annos discretionis venientes transgredimur legem naturalem; tertius, quo legem prouecti contemnimus; quartus, quo Christi gratiam aspernamur.

Augustin. 8. Conf. c. 5.

In die obitus.

2. *Dixit ergo Martha ad* IESVM, *Domine si[1] fuisses hîc frater meus non fuisset mortuus; sed & nunc scio quia[2] quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus: dixit illi* IESVS, *resurget frater tuus; dicit ei Martha, scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die; dicit ei* IESVS, *Ego[3] sum resurrectio, & vita, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit viuet, & omnis qui viuit & credit in me non morietur in æternum: Credis hoc? ait illi, Vtique Domine, ego credidi quia tu es Christus filius Dei viui-*

viui qui in hunc mundum veniſti. Chryſoſtomus, " Quoniam illa, *quæcunque à Deo petis* dicebat, volens eam ab hac remouere ſententia, docereque quòd omnium bonorum fons ſit, *Ego ſum*, inquit, *reſurrectio*, &c.) Chryſoſt. ho. 27. in Matth.

3. *Et cùm hæc dixiſſet abiit & [1] vocauit Mariam ſororem ſuam ſilentio, dicens, Magiſter adeſt, & [2] vocat te: Illa vt audiuit, ſurgit [3] citò, & venit ad eum. Iudæi ergo cùm vidiſſent quia citò ſurrexit, & exiit, ſecuti ſunt eam dicentes quia vadit ad monumentum vt ploret ibi. Maria ergo cùm veniſſet vbi* IESVS *erat, videns eum, [4] cecidit ad pedes eius, & dicit ei, Domine, ſi fuiſſes hîc non eſſet mortuus frater meus.* Bernardus, " O ſanctæ mulieres, Chriſti familiares, ſi fratrem amatis, cur eius miſericordiam non flagitatis, de cuius potentia dubitare, pietate diffidere non poteſtis? Reſpondent: Sic melius non orantes oramus, &c.) Bern. de gradib. hum. gr. 12.

LX.

LX.

De Lazari Resuscitatione. Pars 3.

1. IESVS *ergo vt* [1] *vidit eam plorantem, & Iudæos qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, &* [2] *turbauit seipsum, & dixit, Vbi* [1] *posuistis eum? dicunt ei, Domine,* [2] *veni & vide, &* [3] *lachrymatus est* IESVS; *dixerunt ergo Iudæi, Ecce quomodo* [4] *amabat eum. Quidam* [5] *autem ex ipsis dixerunt, non poterat hic qui aperuit oculos cæci nati facere vt hic non moreretur?* Ambrosius," Præueni accusatorem; si te detuleris ipse, etsi mortuus fueris reuiuisces. Veniet ad monumentum Christus, mouebitur misericordia cùm viderit in tuo obitu lachrymas plurimorũ, & dicet, Vbi posuistis eum? hoc est, in quo reorum statu est? in quo pœnitentium ordine? Videam quem fletis, vt lachrymis suis ipse me moueat; videam si iam peccato ei, cuius venia poscitur, defunctus est.)

Ambr. 2. de pœnit. c. 7.

2. IESVS *ergo rursum* [1] *fremens in semetipso venit ad monumentum: Erat autem spelunca &* [2] *lapis superpositus erat ei.*

Ait

Ait IESVS, [3] *tollite lapidem. Dicit ei Martha, Domine, iam fœtet,* [4] *quatriduanus enim est. Dicit ei* IESVS, *nonne dixi tibi,* [5] *quoniam si credideris, videbis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem.* Ambr. " Potuit remouere lapidem imperio sermonis, sed hominibus iussit, vt increduli crederent. In typo autem, quòd nobis donaret vt leuaremus delictorum onera; Nostrum est onera remouere, illius est resuscitare.) Ambr. ibid

3. IESVS *autem* [1] *eleuatis sursum oculis dixit, Pater,* [2] *gratias ago tibi quoniam audisti me; ego autem sciebam quia* [3] *semper me audis, sed propter populum qui circumstat dixi, vt credant quia tu me misisti. Hæc cùm dixisset, voce* [4] *magna clamauit, Lazare veni foras; & statim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus* [5] *pedes & manus institis, & facies eius* [6] *sudario erat ligata. Dixit eis* IESVS, *Soluite eum & sinite abire. Multi ergo ex Iudæis crediderunt in eum: Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis quæ fecit Iesus.* Gregorius, " Omnis peccator culpam suam intra conscientiam abscondit, introrsum latet; venit foras, cùm nequitias Greg. 22. mor. c. 13.

tias suas sponte confitetur.)& Ambro-
Ambr.sup. sius," Quid iaces in tenebris Conscientiæ, & delictorum tuorum sordibus velut quodam reorum carcere? Exi foras, delictum proprium prode vt iustificeris.)

LXI.

Concilium primum Iudæorum de perdendo IESV. Ioan.11.47.

Feria 6. post Dom. Pass. 1. COllegerunt [1] ergo Pontifices & Pharisæi concilium, & dicebant, quid [2] facimus? quia hic homo [3] multa signa facit; si dimittimus eum sic, [4] omnes credent in eum; & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem. Augustin. "O stultitia! timuisti perdere terram, & perdidisti Cœlum; timuisti ne venirent Romani, &c.& perdidisti locum, & gentem, & Christum.)
August.in ps.52.

2. *Vnus autem ex ipsis, Caiphas nomine, cùm esset [1] Pontifex anni illius, dixit eis, Vos [2] nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit [3] vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat: hoc autem à semetipso non dixit; sed cùm esset Pontifex anni*

anni illius prophetauit quòd IESVS *moriturus esset pro gente, & non tantùm pro gente, sed vt filios Dei qui erant dispersi congregaret in vnum. Ab illo ergo die cogitauerunt vt interficerent eum* Gregor. "Iustus & misericors Deus mortalium acta disponens, alia concedit propitius, alia permittit iratus; atque ea quæ permittit sic tolerat, vt hæc in consilij sui vsum vertat. Vnde miro modo fit, vt & quod sine voluntate Dei agitur, voluntati Dei contrarium non sit, quia dum in bonum vsum mala facta vertuntur, eius consilio militant etiam quæ eius consilio repugnant.)" Non autem quod dignus esset vaticinatus est Caiphas, sed quod Pontifex esset. (Euthym. Greg. 6. mor. Euthym.

3. IESVS *ergo iam non in* [1] *palam ambulabat apud Iudæos; sed abijt in regionem iuxta* [2] *desertum in ciuitatem quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis. Proximum autem erat Pascha Iudæorum, & ascenderunt multi Hierosolymam de regione ante Pascha vt* [3] *sanctificarent seipsos. Quærebant ergo* IESVM, *& colloquebantur ad inuicem in templo stantes, Quid putatis* [4] *quia non venit ad diem festum?*

ſtum? dederant[5] autem Pontifices, & Phariſæi mandatum, vt ſi quis cognouerit vbi ſit, indicent vt apprehendant eum." Nunquam inueni aliquem tam religioſum aut deuotum qui non habuerit interdum gratiæ ſubſtractionem, &c.)

Thom. à Kemp. l. 2. c. 9. n. 7.

LXII.

Chriſtus prædicit Paſsionem ſuam. Matth. 20. Marc. 10. Luc. 18.

1. *ERant autem in via aſcendentes[1] Hieroſolymam, &[2] præcedebat illos, &[3] ſtupebant, & ſequentes[4] timebãt. & aſſumens iterum duodecim diſcipulos ſuos[5] ſecretò cœpit illis dicere quæ eſſent ei euentura.* Chryſologus," Qui futura prædicere potuit, potuit & cauere; pati voluit qui ſponte locum vbi pateretur aſcendit; quod volens moritur, non caſus eſt, ſed poteſtas) Timebant autem quia ſciebant Hieroſolymis ſacerdotes mortem Chriſto machinari, ſtupebantque propterea promptitudinem, alacritatemque Chriſti aſcendentis quaſi ad optabile aliquid)vide Corn. ex Beda.

Chryſol. l. 5. de Paſſ.

2. *Et*

2. *Et ait illis,* [1] *Ecce* [2] *ascendimus* [3] *Hierosolymam & filius hominis* [4] *tradetur principibus sacerdotum & Scribis & senioribus, &* [5] *condemnabunt eum morte, &* [6] *tradent gentibus ad illudendum, &* [7] *flagellandum, &* [8] *Crucifigendum, &* [9] *tertia die resurget.* Chrysologus, " Non sufficit passio communis, non mors secreta, non mors simplex, non mors morti similis, nisi vt quanta esset patientia singularitatis, tanta esset & singularitas passionis. Actum est vt Auctor sæculi sæculo teste moreretur, & mundo mundi Dominus ante per pœnam quàm per gloriam nosceretur.) Domin. 5. Quadrag. & fer. 4 post 2. Quadrag. Idem s. 6.

3. *Et ipsi* [1] *nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud* [2] *absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur* Affectu scilicet impediente intellectum; vel etiam fide de eius diuinitate; aut quod experti fuissent eum sæpiùs se subduxisse, ventis & mari, & mortuis imperasse, &c " Durus multis videtur hîc sermo: Abnega temetipsum, & tolle crucem tuam, &c.) Thom. à Kemp. l. 2. c. 12.

LXIII.

Filij Zebedæi petunt primas sedes. Matth. 20. Marc. 10.

Feria 4. post Quadrages. & In festo S. Iacobi, & S. Ioan. ante portam Lat.

1. *TVnc*[1] *accessit ad*[2] *eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis*[2] *adorans & petens*[3] *aliquid ab eo; qui dixit ei,*[4] *quid vis? ait illi, dic vt*[5] *sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.* Huiusmodi enim promotiones temporales *aliquid* illa esse existimabat errore communi.

2. *Respondens autem* IESVS *dixit,*[1] *Nescitis quid petatis: potestis*[2] *bibere calicem, quem ego*[3] *bibiturus sum? dicunt ei,*[4] *possumus. Ait illis,*[5] *Calicem quidem meum bibetis; sedere autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare*[6] *vobis, sed quibus*[7] *paratum est à Patre meo.* Basil. Seleu. " Si dignitatem amas, accede ad Passionis societatem. Ostende te cum Christo Crucifixum; imis mercare summa, quid tandem filij? *Possumus.* desiderata res pertrahit ad patiendum.) & Ambrosius," Meritò reprehēditur mulier,

Basil. Seleu. or. 24.

Ambr. l 1. de fide c. 3.

lier, quæ & impossibilia, & priuilegio singulari ab eo domino postulauit, qui ea quæ sanctis iudicauit esse donanda, non duobus Apostolis, sed omnibus discipulis, voluntaria largitate contulerit.)

3. *Et audientes decem* [1] *indignati sunt de duobus fratribus.* IESVS *autem vocauit* [2] *eos ad se & ait, scitis quia principes gentium* [3] *dominantur eorum, & qui maiores sunt* [4] *potestatem exercent in illos.* [5] *Non ita erit inter vos, sed* [6] *quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister; & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Sicut* [7] *filius hominis non venit ministrari sed ministrare; &* [8] *dare animam suam redemptionem pro multis.*

[9] Frustra igitur, aut illi immoderata quæsierunt, aut illi dolent super maiorum desiderio, cùm ad summitatem virtutum, non potentiâ, sed humilitate veniatur.) Hieron. hîc.

LXIV.

Cæcus iuxta Iericho. Luc. 18. 35.

1. [1] *Factum est autem cùm appropinquaret Iericho,* [1] *Cæcus quidam sedebat* Dom. Quinquagesimæ.

secus [2] *viam* [3] *mendicans, & cùm audiret turbam prætereuntem,* [4] *interrogabat quid hoc esset; dixerunt autem ei quod* IESVS *Nazarænus* [5] *transiret.* Gregorius," Qui æternæ lucis claritatem nescit cæcus est; sed si iam in Redemptorem credit, iuxta viam sedet; si autem credit, sed vt æternam lucem recipiat rogare dissimulat, atque à precibus cessat, iuxta viam quidē sedet, sed minimè mendicat, &c.

Greg. ho. 2. in Euāg.

2. *Et* [1] *clamauit dicens,* IESV *fili* [2] *Dauid miserere mei: & qui præibant* [3] *increpabant eum vt taceret; Ipse verò multò* [4] *magis clamabat, fili Dauid miserere mei.*

Idem. Greg." Quid autem designant isti qui IESVM venientem præcedunt, nisi desideriorum carnalium turbas, tumultusque vitiorum? sed necesse est vt vox cordis nostri quò durius repellitur, eò valentius insistat.)

3. [1] *Stans autem* IESVS *iussit illum adduci ad se; & cùm appropinquasset, interrogauit* [2] *illum dicens, quid vis vt tibi faciam? At ille dixit, Domine* [3] *vt videam; &* IESVS *dixit ei,* [4] *Respice, fides* [5] *tua te saluum fecit, & confestim vidit, &* [6] *sequebatur illum magnificans Deum; & omnis*

[7] *plebs*

[7] *plebs vt vidit dedit laudem Deo.* Augustin.

" Transitus Christi intentos nos faciat ad clamandũ. Quid est transitus Chrsti? quidquid pro nobis temporaliter pertulit trãsitus eius est; Natus est? transiit, &c. Sedit ad dexteram Patris? stetit. nam eo ipso quod verbum erat apud Deum, vtique stabat, &c.) & Bernardus, " *Quid vis*, ait Dominus ad Cæcum illum, *vt faciam tibi*? quanta miseratio, quanta dignatio! Siccine Dominus serui quærit, vt faciat voluntatem? verè Cæcus ille quia non considerauit, non expauit, non exclamauit, Absit hoc Domine; Tu magis dic, quid me facere velis; sic enim decet, sic omnino dignum est, &c.)

Aug. s. 52. de Pass.

Ber. s. 1. de Conuers. S. Pauli.

LXV.

Zachæus domo suscipit Christum.

Luc. 19.

1. ET *ingressus* [1] *perambulabat Iericho;* & *ecce* [2] *vir nomine Zachæus, &* [3] *hic* [4] *Princeps erat Publicanorum, & ipse* [5] *diues, &* [6] *quærebat videre* IESVM *quis esset, &* [7] *non poterat* [8] *præ turba, quia statu-*

In dedicatione tẽpli.

ra [7] *pusillus erat; &* [8] *præcurrens ascendit in arborẽ* [9] *sycomorũ vt videret eum, quia inde erat trãsiturus.* Chrysologus, "Quia Christus venit saluare quod perierat ingreditur Iericho, vt quod lex terribili vociferatione deiecerat, IESVS clamore piæ prædicationis attollat. Ex loco, persona, officio, reatus magnitudo monstratur, vt ex magnitudine criminis, remittentis luceat magnitudo) & Augustinus." Noli mœstus esse; Ascende lignum vbi pro te pependit IESVS, & videbis IESVM. Turba superba, turba glorians & exultans quando se potuerit vindicare, impedit ne videatur ille qui pendens ait, *Pater ignosce illis*, &c.

Chrys. s. 54.

Aug ser. 8 de v. Apost.

2. *Et cùm venisset ad locum* [1] *suspiciens* IESVS *vidit illum, & dixit ad eum, Zachæe,* [2] *festinans* [3] *descende, quia* [4] *hodie in domo* [5] *tua oportet me* [6] *manere; & festinans* [7] *descendit, & excepit illum* [8] *gaudens; & cùm viderent* [9] *omnes murmurabant dicentes, quod ad* [10] *hominem peccatorem diuertisset.* Augustin." Vt videremus, visi sumus: vt diligeremus, dilecti sumus: magnum beneficium putabat transeuntem videre: subitò meruit in domo

Idem.

domo habere, &c.) "Ipse autem sibi veniam negat, qui Deum quod ad peccatores ingrediatur accusat.) Chrysol. Chrys. sup.

3. [1] *Stans autem Zacheus dixit ad Dominum: Ecce* [2] *dimidium bonorum meorum Domine, do* [3] *pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo* [4] *quadruplum.* *Ait* IESVS *ad eum, quia hodie* [5] *salus domui huic facta est, eò quòd & ipse sit filius* [6] *Abrahæ: venit enim filius hominis* [7] *quærere, & saluum facere quod perierat.* Chrysologus, "Vides quomodo erectus est qui iacebat: iacemus in vitiis: stamus cùm bonis operibus erigimur ad profectum: Ipse post mortem se credit esse victurum, qui dimidium bonorum iam futuram transmittit ad vitam, &c.) Chrys. sup.

LXVI.

Parabola decem Mnarum. Luc. 19. 11.

1. [1] *EO quòd esset propè Hierusalem, & quia existimarent quòd confestim regnum Dei manifestaretur, dixit: Homo quidam* [1] *nobilis abiit in regionem* [2] *longinquam, accipere* [3] *sibi regnum, &* [4] *reuerti;* Pro Confessore non Pontifice.

vocatis autem [5] *decem seruis suis dedit eis decem mnas ; & ait ad illos,* [6] *negotiamini dum venio. Ciues* [7] *autem eius oderant eum, & miserunt legationem post illum, dicentes,* [8] *nolumus hunc regnare super nos.*

Aug. l. 2. qq. Eu. 46. August " Homo nobilis, ipse Dominus IESVS intelligitur, regio longinqua, Ecclesia gentium: Abijt enim vt plenitudo gentium intraret: reuertitur vt omnis Israël saluus fiat: per decem mnas, legem significat, &c.) vel regio longinqua secundùm eumdem lib. 1. de doctrina Christ. Cœlum est, ciues Iudæi, &c.)

2. *Et factum est vt rediret accepto* [1] *regno: & iussit* [2] *vocari seruos quibus dedit pecuniam, vt sciret quantum quisque negotiatus esset: venit autem primus dicens, Domine, mna* [3] *tua decem mnas acquisiuit ; & ait illi, Euge, bone serue, quia in* [4] *modico fuisti fidelis eris* [5] *potestatem habens super decem ciuitates ; & alter venit dicens, Domine, mna tua fecit quinque mnas, & huic ait, & tu esto super quinque ciuitates.* Greg. " Ponamus ante oculos nostros vltimæ districtionis diem. Ibi Petrus cum Iudæa conuersa apparebit;

Greg. ho. 17. in Eu.

Ibi

Ibi Paulus conuersum (vt ita dicam) mundum ducens: Ibi Andreas post se Achaiam, &c. Nos miseri quid dicturi sumus qui ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus, &c.

3. *Et alter venit dicens, Domine, ecce* [2] *mna tua quam habui repositam in sudario:* [4] *timui enim te, quia homo austerus es, tollis quod* [5] *non posuisti, & metis quod non seminasti: dicit ei, de* [6] *ore tuo te iudico, serue nequam,* [7] *sciebas, &c & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum vsuris vtique exegissem illam: & astantibus dixit,* [9] *Auferte ab illo mnam, & date illi* [10] *qui decem mnas habet: & dixerunt ei, Domine, habet decem mnas: dico autem vobis, quia* [11] *omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non* [12] *habet, & quod habet auferetur ab eo.* Beda,[3] Pecuniam in sudario ligare est percepta dona sub otio lenti torporis abscondere) & Augustinus, [8] Mensa quo danda erat pecunia, professionem religionis accipimus: quæ tanquam publicè proponitur ad vsum necessarium saluti.) Beda. Aug. sup.

4. *Verumtamen inimicos* [1] *meos illos*

qui [2] *noluerunt* [3] *me* [4] *regnare ſuper* [5] *ſe, adducite* [6] *huc, & interficite ante* [7] *me.*

LXVII.

Maria vngit IESVM *in Bethania.* Matth. 26. Marc. 14. Ioan. 12.

Feria 2. Hebdom. maioris.

1. IEsvs *ergo ante ſex dies Paſcha venit* [1] *Bethaniam vbi Lazarus fuerat mortuus* [2] *quem ſuſcitauit* IESVS. *Fecerunt autem ei cœnam* [3] *ibi, & Martha* [4] *miniſtrabat: Lazarus verò vnus erat* [5] *ex diſcumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram* [6] *vnguenti, nardi, piſtici,* [7] *pretioſi: &* [8] *fracto alabaſtro* [9] *effudit ſuper* [10] *caput ipſius recumbentis, & vnxit* [11] *pedes Ieſu, & exterſit pedes eius* [12] *capillis ſuis, & domus* [13] *impleta eſt odore vnguenti.* Bernardus,

Bern. ſ. 56. in paruis.

"Duo pedes Dei, Miſericordia & iudicium: Hos primo vngit anima peccatrix vnguento compunctionis: Caput deinde vnguento deuotionis ex memoria beneficiorum diuinorum confecto.)

2. *Dixit ergo vnus ex diſcipulis eius (Iudas Iſcariotes qui erat eum traditurus)* [1] *quare*

[1] *quare hoc vnguentum non venijt trecentis denarijs, & datum est egenis? dixit autem hoc, non* [2] *quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat,* [3] *& loculos habens ea quæ mittebantur portabat.* Bernardus, "Sed & nunc quoque cùm fortè videtur quispiam vacare Deo, tantoque deuotionis esse vt meritò credatur vngere caput Christi, non desunt qui hoc perditionem dicant, & iusto vt sibi videtur, murmure conqueruntur, quòd is qui pluribus prodesse poterat, quiescat sibi; non quòd sanctitati inuideant, sed prouideant Charitati.) Cæterùm ipsa Charitas Deus, &c.) Bern. sup.

3. *Sciens autem* IESVS *ait, Sinite illam: quid illi* [1] *molesti estis? opus enim* [2] *bonum operata est in me: nam* [3] *semper pauperes habetis vobiscum: me autem non* [4] *semper habetis: quod* [5] *habuit hæc, fecit:* [6] *prævenit vngere corpus meum in sepulturam. Amen dico vobis,* [7] *vbicunque prædicatum fuerit hoc euangelium in toto mundo, dicetur quod hæc fecit in memoriam* [8] *eius.* Gaudentius, "Quamuis Dominus IESVS conscientiæ iudex esset, noluit tamen Iudam de occultis eius acrius increpare.) Gaudent. ser. 13.

Bern. sup. re.) & Bernardus suprà, "Quid molesti estis huic mulieri? nam & si quod fatendum est) melius est ad quod illam trahere tentatis, bonum tamen opus est quod operata est in me. Sinite eam interim operari bonum quod potest: Noui enim ego quòd adhuc mulier sit; cùm autem mutatione dexteræ excelsi de muliere factus fuerit vir, tunc melior erit iniquitas viri, quàm nunc benefaciens mulier: nec reputo perditionem, vnguenti huius effusionem, in quo & mulieris deuotio designatur. & mea præfiguratur sepultura.)

LXVIII.

Eiiciuntur è Templo negotiantes.
Matth. 21. Luc. 19.

Feria 3. post 1. Quadrag.

1. ET *intrauit* IESVS *in templũ* [1] *Dei, & eiciebat* [2] *omnes vendentes, & ementes in templo, & mensam nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit, & dicit eis, scriptum est, domus mea,* [3] *domus orationis vocabitur: vos autem fecistis eam* [4] *spelunca latronum: & accesse-*

cesserunt ad eum cæci & claudi in templo, & sanauit eos. Gregorius," Qui narrauit mala ventura, & protinus templum ingressus est vt de illo vendentes, & ementes ejiceret, profectò innotuit, quia ruina populi maximè ex culpa sacerdotum fuit.) & Hieronymus," Non sit in domo pectoris nostri negotiatio, non ementium vendentiumque commercia, non domorum cupiditas, ne ingrediatur IESVS iratus & rigidus, & non aliter mundet templum suum nisi flagello adhibito.)

Greg. hom. 39. in Euāg.

Hieron. híc.

2. *Videntes autem Principes sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, Hosanna filio Dauid, indignati sunt & dixerunt ei, Audis quid isti dicunt?* IESVS *autem dixit eis vtique: nunquam legistis quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?* Hieronymus, "Plerique arbitrantur maximum esse signorum quod Lazarus suscitatus est, quòd Cæcus ex vtero lumen acceperit, &c. Mihi inter omnia signa hoc videtur mirabilius quòd vnus homo, illo tempore contemptibilis, Scribis & Pharisæis contra se sæuienti

Idem.

bus

bus potuerit ad vnius flagelli verbera tantam eijcere multitudinem, &c.)

3. *Et erat docens* [1] *quotidie in templo.* [2] *Principes autem sacerdotum & Scribæ, &* [3] *Principes plebis quærebant illum perdere, & non inueniebant quid facerent illi:* [4] *omnis enim populus suspensus erat audiens illum: &* [5] *circumspectis omnibus, cùm iam vespera esset hora,* [6] *relictis illis abijt foras extra ciuitatem cum duodecim, in Bethaniam, ibiq; mansit.* Hieron." Reliquit incredulos, , & vrbem egressus contradicentium, iuit Bethaniam, quod interpretatur domus obedientiæ, iam tunc vocationem gentium præfigurans, ibique mansit, quoniam in Israël permanere non potuit. Hoc quoque intelligendum est, quòd tantæ fuerit paupertatis, & ita nulli adulatus est, vt in vrbe maxima nullum hospitem, nullam inuenerit mansionem.)

Idem.

LXIX.

Ficus arefacta. Matth. 21. Marc. 11.

1. M. *Anè autem reuersus in ciuitatem* [1] *esuriit: cumq; vidisset à longè secus viam*

viam ficum[2] *habentem folia, venit, si quid fortè inueniret in ea, & nihil inuenit nisi folia tantùm; non enim erat tempus ficorum: & ait illi, iam non amplius in*[3] *æternum ex te fructum quisquam manducet, & arefacta*[4] *est continuò ficulnea, &*[5] *audiebant discipuli eius.* Hieronymus, "Arborem intelligimus synagogam; iuxta viam, habebat enim legem, sed non credebat in viam: Venit ad eam, stantem scilicet, & immobilem, nihilque inuenit nisi folia, strepitum promissionum, traditiones pharisaicas, iactationem legis, ornamenta verborum: Nondum erat tempus; siue quod tempus nondum venerat saluationis Israël; siue quod præterijsset tempus fidei, quia ad illam primùm veniens, & spretus transisset ad nationes.) Hieron.

2. *Et cùm manè transirent viderunt ficum aridam factam à radicibus, & recordatus Petrus dixit ei, Rabbi ecce ficus, cui maledixisti, aruit: & respondens* IESVS *ait illis, Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicunque dixerit huic monti, tollere, & mittere in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia quodcunque* *In festo S. Greg. Thaumaturgi.*

Idem. *cunque dixerit, fiat, fiat ei.* Hieron.'' Potuit ergo Saluator eâdem virtute etiam inimicos siccare suos, nisi eorum per pœnitentiam expectasset salutem.)

3. *Propterea dico vobis, Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis Et cùm stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem, vt & Pater vester qui in cœlis est dimittat vobis peccata vestra; quòd si vos non dimiseritis, nec Pater vester qui in cœlis est dimittet vobis peccata vestra.*

Bern. ser. 5. in Quadr. Bernardus, 'Nemo vestrùm fratres paruipendat orationem suam: dico enim vobis quia ipse ad quem oramus non paruipendit eam: priusquam egressa sit ab ore nostro, ipse scribi iubet eam in libro suo; & vnum indubitanter de duobus sperare possumus, quoniam aut dabit quod petimus, aut quod nobis nouerit esse vtilius: Ita sanè si fecerimus quod monemur in psalmo, si delectemur in Domino, &c.)

LXX.

Gentiles cupiunt videre Christum.

Ioan. 12. 20.

1. ERant autem quidam gentiles ex his qui ascenderant vt orarent in die festo. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat à Bethsaida Galilææ, & rogabant eum dicentes, Domine, volumus IESVM videre. Venit Philippus & dicit Andreæ: Andreas rursus & Philippus dixerunt Iesu: Iesus autem respondit eis dicens, Venit hora vt clarificetur filius hominis. Sed antequam intret plenitudo gentium granum quod de Cœlo in terram descendit mori debet, & qui mortis eius volunt esse participes, & ipsi sibi mori debent & mundo; non tamen sine præmio, ideo sequitur,

2. *Amen, amen dico vobis, Nisi granum frumenti, cadens in terram, mortuum fuerit ipsum solùm manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam: si quis mihi ministrat, me*

In festo S. Laurentij.

me sequatur, & vbi ego sum, illic & minister meus erit; si quis mihi ministrauerit, honorificabit illum Pater meus. Bern.

Bern. s. 15. in Cant.

"Moriatur igitur granum, surgat gentium seges; quatenus ab vno nomine quod est Christus, millia millium credentium Christiani dicantur, & dicant, Oleum effusum nomen tuum.

3. *Nunc turbata est anima mea: & quid dicam? Pater saluifica me ex hac hora: sed propterea veni in horam hanc Pater, clarifica nomen tuum Venit ergo vox de cœlo, dicens, Et clarifiraui & iterum clarificabo Turba ergo quæ stabat, & audierat, dicebat, quia Tonitruum factum est: Alij dicebant, Angelus ei locutus est; Respondit* IESVS, *Non propter me hæc vox venit, sed propter vos.* Augustinus & Beda, "Sequi iubes animam meam; sed

August.

turbari video animam tuam: quale fundamentum quæram si petra succumbit? Agnosco misericordiam tuam Domine, nam qui Charitatis voluntate turbaris, infirmos ne desperando pereant consolaris. Audisti ad te vocem fortitudinis meæ, audisti in me vocem infirmitatis tuæ; vires suggero vt curras, nec repri-

reprimo quod acceleras, sed transfero in me quod trepidas, & substerno quo transeas.)

LXXI.

De Christi Exaltatione in Cruce. Ioan. 12. 31.

In festo Exaltationis.

1. NVnc [1] *iudicium est mundi; nunc Princeps huius mundi eijcietur* [2] *foras: & ego si exaltatus fuero à terra, omnia* [3] *traham ad meipsum: hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus. Respondit ei turba, Nos audiuimus ex lege quia Christus manet in aternum, & quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis? quis est iste filius hominis?* Augustin. "Vnde missus est foras? Extra corda credentium misso inuasore habitat Redemptor: Iam forinsecus oppugnat, sed ille non consentit cui Deus intus loquitur.)" O Admirabilis potentia Crucis! ô ineffabilis gloria passionis! in qua & tribunal Domini, & iudicium mundi, & potestas est crucifixi, &c.)

Aug. tr. 4. in ep. Ioan.

Leo s. 8. de Pass.

2. *Dicit ergo eis* IESVS: *Adhuc* [1] *modicum, lumen est in vobis: Ambulate dum lucem*

lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant: Et qui ambulat in tenebris nescit quò vadit; dum lucem habetis, credite in lucem vt filij lucis sitis. Bern. " Ambulare, proficere est; Ambulabat Apostolus qui dicebat. Non arbitror me comprehendisse: & addidit, vnum autem, quæ retrò sunt obliuiscens, ad ea quæ antè sunt me extendo: Quid est, vnum autem? Vnum autem, inquit, quasi remansit mihi ad remedium, ad spem, ad consolationem, &c.) & infrà, Ergo non ambulantem, sed sedentem, à mortis tenebris comprehendi periculum est: & quis est sedens, nisi qui non curat proficere, &c.)

Bern. s. 49. in Cant.

3. *Hæc locutus est* IESVS *& abijt & [1] abscondit se ab eis: Cùm autem tanta signa fecisset coram eis, non [2] credebant in eum, vt sermo Esaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis [3] credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur & sanem eos: Hæc dixit Esaias*

Esaias quando vidit gloriam eius & locutus est de eo. Verumtamen & ex principibus multi crediderunt in eum; sed propter Pharisæos non confitebantur vt è synagoga non ejcerentur: dilexerunt enim gloriam hominũ magis quàm gloriam Dei Chrysostomus, "Vbique videri potest vita praua ac corrupta ad perfectionem dogmatum afferre impedimentum.) Chrysost. in ps. 4.

LXXII.

Christus non se solùm hominem, sed Deum credi vult & coli.

Ioan. 12. 44.

1. IESVS *autem clamauit & dixit, Qui credit in me, nõ credit in me* (id est, in hoc quod videt. Aug.) *sed in eum qui me misit; & qui videt me, videt eum qui misit me. Ego lux in mundum veni, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.* Ambros" Quid est, *non credit in me?* non in id quod corporaliter cernitis, non in hominem tantummodo quem videtis.) Quod idem de SS. Eucharistia dicas licèt. Ora pro iis qui in tenebris manent, Augustin. Ambr. 5. de fide c. 5.

&

& videntes non vident neque intelligunt, vt hæc in illos lux veniat.)

2. *Et si quis audierit verba mea, & non custodierit. Ego non iudico illum* (modo scilicet, vel non sum causa perditionis eius) *non enim veni vt iudicem mundum, sed vt saluificem mundum.*" Audi fili verba mea, verba suauissima, omnem Philosophorum, & Sapientium huius mundi scientiam excellentia: Verba mea, spiritus & vita sunt, nec humano sensu pensanda, &c.)

Thom. à Kemp. l. 3. c. 3.

3. *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum. Sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die: quia ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam & quid loquar; & scio quia mandatum eius vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater sic loquor.* Rupertus, "Ille sermo quem audierunt, quem verum esse nescire non possunt, ille iudicabit eos, ille arguet, ille conuincet: vbinam talis Iudex sedebit? Propè aderit; intus sedebit, in Conscientia cuiusque iustas sententias terribiliter personabit.)

Rup. apud Cornel.

LXXIII.

De Ioannis Baptismate & duobus filiis. Matth. 21. 23.

1. *ET cùm venisset in templum accesserunt ad eum docentem Principes sacerdotum & seniores populi dicentes, In qua* [1] *potestate hæc facis, & quis tibi dedit* [2] *hanc potestatem? Respondens* IESVS *dixit eis,* [3] *Interrogabo vos & ego vnum sermonem, quem si dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua potestate hæc facio. Baptismus Ioannis vnde erat? è Cœlo, an ex hominibus? At illi* [4] *cogitabant inter se dicentes, si dixerimus è cœlo, dicet nobis, quare ergo non credidistis illi? si autem dixerimus ex hominibus, timemus turbam, omnes enim habebant Ioannem sicut Prophetam. Et respondentes* IESV, *dixerunt,* [5] *Nescimus, Ait illis & ipse, Nec ego dico* [6] *vobis in qua potestate hæc facio.* Euthym. "Quia Baptista multa de eius magnitudine testatus fuerat, inde eos è diuerso interrogat, & in perplexitatem includit, ita vt etiam ipsi agnoscentes turbati sint. O miseram hominibus placendi captiuita- Euthym.

uitatem? Deum contemnunt, homines verò timent, & ad eorum gratiam omnia operantur.)

2. *Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios; & accedens ad primum dixit, fili vade hodie operare in vinea mea: ille autem respondens, ait, Nolo; postea autẽ pœnitentia motus, abyt: Accedens autem ad alterum dixit similiter, At ille respondens ait, eo Domine, & non iuit. Quis ex duobus fecit voluntatem Patris? dicunt ei, Primus. Dixit illis* IESVS: *Amen dico vobis, quia Publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei. Venit enim ad vos Ioannes in via iustitiæ, & non credidistis ei: Publicani autem & meretrices crediderunt ei: Vos autem videntes, nec pœnitentiam habuistis postea vt crederetis ei.* "O quanta fragilitas humana, quæ semper prona est ad vitia, &c.) Thom. à Kemp. l. 1. c. 22. n. 6.

LXXIV.

LXXIV.

Parabola vineæ elocatæ. Matth. 21. Marc. 12. Luc. 20.

1. *ALiam parabolam* [1] *audite: Homo erat paterfamilias qui plantauit* [2] *vineam &* [3] *sepem circumdedit ei, &* [2] *fodit in ea torcular, & ædificauit* [4] *turrim, & locauit eam* [6] *Agricolis, & peregrè* [7] *profectus est: Cùm autem tempus* [8] *fructuum appropinquasset, misit* [9] *seruos suos ad Agricolas vt acciperent fructus.* Chrysost." Qui sunt Agricolæ quibus vineam locat Dominus excolendã nisi Sacerdotes? Ad gloriam quidem, si diligenter vineam Dei, id est, populum eius tractauerint; ad periculum autem, si negligenter.) *Feriâ 6. post 2. Quadrag.* Chrysost. ho. 40 in Matth.

2. *Et Agricolæ apprehensis seruis eius, alium* [1] *ceciderunt, alium* [2] *occiderunt, alium verò* [3] *lapidauerunt.* [4] *Iterum misit alios seruos* [5] *plures prioribus; & fecerunt illis similiter. Nouissimè autem misit ad eos* [6] *filium suum dicens,* [7] *verebuntur filium meum. Agricolæ autem videntes filium dixerunt intra se, Hic est hæres, venite occidamus eum, &* [8] *habebimus hæreditatem*

eius: & apprehensum eum eiecerunt [9] *extra vineam, & occiderunt. Cùm ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet Agricolis illis? Aiunt illi, Malos* [10] *malè perdet, & vineam suam locabit* [11] *aliis Agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.*" Fructum cordis, oris, operis: fructus cordis, Contritio, diuinæ legis meditatio, beneficiorum Dei recordatio, mortis memoratio, proximi compassio, fructus oris & operis Prædicatio, consilium, &c.) Hoc autem dicit (vt obseruat alibi Chrysostomus) non quod cupiat punire, sed vt formidinem injciat, venturæ condemnationis commemoratione.

Hugo Cardin. hîc.

Chrysost. hom. 2. de Dauid & Saule.

3. *Dicit illis* IESVS, *Nunquam legistis in scripturis, lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris? Ideo dico vobis, Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius: Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem verò ceciderit, conteret eum: Et cùm audissent Principes sacerdotum & Pharisæi parabolas eius, cognouerunt quod de ipsis diceret, & quærentes eum tenere, timuerunt*

runt turbas, quoniam sicut prophetam eum habebant. Aug." Cadunt super eum qui modò contemnunt; Cadet super eos cùm veniet in Iudicium perditurus.) Aug. 1. qq. Euāg. c. 30.

LXXV.

De rege qui fecit nuptias filio. Matth. 22.

1. ET *respondens* IESVS, *dixit iterum in parabolis eis; Simile factum est regnum cœlorum homini* [1] *regi qui fecit* [2] *nuptias* [3] *filio suo; & misit seruos suos* [4] *vocare inuitatos ad nuptias, &* [5] *nolebant venire.* [6] *Iterum misit alios seruos dicens, dicite inuitatis, Ecce prandium meum parauí tauri mei, & altilia occisa sunt, &* [7] *omnia parata venite ad nuptias Illi autem* [8] *neglexerunt, & abierunt alius in villam* [9] *suam; alius verò ad* [10] *negotiationem suam; reliqui verò* [11] *tenuerunt seruos eius, &* [12] *contumeliis affectos occiderunt. Rex autem cùm audisset* [13] *iratus est, &* [14] *missus exercitibus perdidit homicidas illos, &* [15] *ciuitatem illorum succendit.* Chrysost." Quis in nuptias venire non optaret, & eas re- Domin. 19. post Pentec. Chrysost. ho 70. in

gis, quas amantissimo filio facit? & cur nuptiæ appellatæ? vt & Dei erga nos Charitatem cognoscas, & rerum splendorem, vbi nihil triste, sed omnia spiritalis gaudij plena sunt, &c.)

2. *Tunc ait seruis suis, Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erant, non*[1] *fuerunt digni: ?te ergo ad exitus viarum, &*[3] *quoscunque inueneritis vocate ad nuptias, & egressi serui eius in vias congregauerunt omnes* [4] *quos inuenerunt, malos & bonos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium.* Euthym." Malos nominat malis assuetos, aut intemperantes in affectionibus; bonos verò, simplices ac temperantes.) vel vt Gregor." Designatur præsens Ecclesia in qua cum bonis & malis conueniunt.)

Euthym. Greg. ho. 38. in Eu.

3. *Intrauit autem Rex vt*[1] *videret discumbentes, & vidit ibi*[2] *hominem non*[3] *vestitum veste*[4] *nuptiali; & ait illi,*[5] *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille*[6] *obmutuit.*[7] *Tunc dixit Rex ministris, ligatis manibus & pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.*[8] *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* Hieron.

"Si

" Si quis in tempore iudicij inuentus fuerit sub nomine Christiano non habere vestem supercœlestis hominis, sed veteris hominis exuuias, hic statim corripitur, nec in tempore illo erit locus pœnitentiæ, aut negandi facultas.) Hieron.

LXXVI.

Quæstio de Tributo Cæsari pendendo. Matth. 22 Marc. 12. Luc. 20. *Domin. 22. post Pentec.*

1. *TVnc abeuntes Pharisæi consilium inierunt vt caperent eum in sermone; & traderent eum principatui & potestati Præsidis, & mittunt ei discipulos suos cum Herodianis insidiatores, qui se iustos simularent, & interrogauerunt eum dicentes, Magister, scimus quia* [1] *verax es, &* [2] *viam Dei in veritate doces, & non est tibi* [3] *cura de aliquo, non enim respicis personam hominum: dic ergo nobis, quid tibi videtur? licèt censum dare Cæsari, an non?* Chrysost." *Tunc* istud quando significat? quando illos maximè oportuit compungi; quando clementiam ipsius admirari debuerant, quando futurorum euentus erant expauescendi; Magna Chrysost. ho. 71. in Matth.

enim voce ipsæ res clamabant quando Publicani & meretrices crederent, &c.) Interim ex ore impiorum vide quas virtutes Magistrum veritatis habere deceat.

2. *Cognita autem* IESVS *nequitia eorum, ait, quid me tentatis, Hypocritæ? ostendite mihi numisma cẽsus: At illi obtulerunt ei denarium: & ait illis, Cuius est hæc imago & superscriptio? dicunt ei, Cæsaris.* Chrysostomus: Idem. "Pharisæi blandiebantur vt perderent; IESVS increpabat vt saluaret; Melior est homini Deus iratus, quàm homo propitius. Numisma Cæsaris, aurum est, numisma Dei, homo. In solidis, Cæsar videtur; in hominibus Deus agnoscitur: Cæsaris imaginem manus artificis sculpsit, Dei imaginem in hominibus Deus annotauit.)

3. *Tunc ait illis, Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. Et audientes mirati sunt, & relicto eo abierunt.* Auctor Imperf. hom. 42. "Sicut qui suam Cæsari adulterinam imaginẽ reddit, atrocibus subijcitur pœnis; sic Deus corruptores imaginis suæ, morti tradit perpetuæ.)

LXXVII.

LXXVII.

Mandatum magnum. Matth. 22. Marc. 12.

1. ET *accessit vnus de Scribis legis-doctor* Domin. 17. post Pentec.
[1] *tentans eum, & interrogauit eum, Magister, quod est mandatum* [2] *magnum in lege? Ait illi* IESVS. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, & in tota virtute tua. Hoc est maximum & primum mandatum: secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum; in his duobus mandatis* [3] *vniuersa lex pendet & propheta.* Basilius, "Quantum dilectionis in hæc inferiora insumpseris, tantum necesse est vt ei adimas quod totum est; eoque pauci ex omnibus amici Dei appellati sunt) Basil. in ps. 44.

2. *Et ait illi Scriba, Benè Magister in veritate dixisti; quia vnus est Deus, & non est alius præter eum, & vt diligatur ex toto corde, &c. & diligere proximum tanquam seipsum, maius est omnibus holocaustomatibus & sacrificiis.* IESVS *autem videns quod sapienter respondisset, dixit illi,*

Non es longè à regno Dei : & nemo iam audebat eum interrogare. Auguſt." Quo ordine verum amorem habere poſſimus ipſe Dominus in Euangelio demonſtrans dicit, Diliges Dominum Deum tuum, &c. Primùm ergo diliges Deum, deinde teipſum, poſt hæc dilige proximum ſicut teipſum: ſi teipſum non noſti amare quomodo proximum poteris in veritate diligere.)

Auguſt. hom. 37.

3. *Congregatis autem Phariſæis interrogauit eos* IESVS *dicens, quid vobis videtur de Chriſto? Cuius filius eſt? dicũt ei, Dauid: Ait illis, Quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum Dominum dicens, Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec, &c. Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius eſt? Et nemo poterat ei reſpondere verbum.* Leo," Si teneres, ô Iſraël, nominis tui dignitatem & propheticas denuntiationes non obcæcato corde percurreres, Eſaias tibi Euangelicam panderet veritatem, & non ſurdus audires diuina inſpiratione dicentem, Ecce Virgo concipiet in vtero, & pariet filium, & vocabitur nomen

Leoſ. 9. de Natiuit.

men eius Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus, &c.)

LXXVIII.

Scribæ audiendi & cauendi. Matth. 23. Marc. 12. Luc. 20. *Feria 3. post 2. Quadrag.*

1. TVNC IESVS *locutus est ad turbas, & ad discipulos suos dicens: Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite, secundùm opera verò eorum nolite facere; dicunt enim & non faciunt.* Augustin. "Agebant sua in vita sua; docere autem sua, Cathedra illos non permittebat aliena. Multis itaque prosunt dicendo quæ non faciunt, sed longè pluribus prodessent faciendo quæ dicunt.) Aug. 4. de doct. Chr. c. 29.

2. *Alligant enim onera grauia, & importabilia & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere: Omnia verò opera sua faciunt vt videantur ab hominibus: dilatant enim philacteria sua, & magnificant fimbrias: Amant primos accubitus in Cœnis, & primas Ca-*

thedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Chrysost. " Hæc etsi minima esse videantur, magnorum tamen causa sunt malorum: Tu autem considera ibi maximè illos inanis fomenta gloriæ quęsiuisse vbi iubebantur humiliores esse)

Chrysost. ho 73 in Metth.

3. *Vos autẽ nolite vocari Rabbi, vnus est enim Magister vester, omnes autẽ vos fratres estis; & patrẽ nolite vobis vocare super terrã, vnus est enim Pater vester qui in cœlis est: Nec vocemini Magistri, quia Magister vester vnus est, Christus.* Theophyl. "Non prohibet Christus vocari quempiam Magistrum, sed tanta affectione velle vocari, & omnibus modis curare vt ita vocetur.)

Theophyl.

4. *Va autem vobis Scribæ, & Pharisæi Hypocritæ, quia clauditis regnum Cœlorum ante homines, vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. Comeditis domos viduarum, orationes longas orantes; propter hoc amplius accipietis iudicium.* Euthym. "Si nulli prodesse sufficit ad condemnationem, qui etiam nocet, nequaquam veniam percipiet, cùm sit hominum pestis.)

Euthym.

LXXIX.

LXXIX.

Vidua pauper. Marc. 12 Luc. 21.

1. *ET sedens* IESVS *contra Gazophylacium* [1] *aspiciebat* [2] *quomodo* [3] *turba iactaret* [4] *æs in Gazophylacium, & multi diuites* [5] *iactabant multa. Cùm veniſſet autem vidua vna pauper, miſit duo* [6] *minuta, quod eſt quadrans, &* [7] *conuocans diſcipulos ſuos, ait illis: Amen dico vobis quoniam vidua hæc pauper plus* [8] *omnibus miſit; omnes enim ex eo quod* [9] *abundabat illis miſerunt, hæc verò de penuria* [10] *ſua, omnia quæ habuit miſit,* [12] *totum victum ſuum.* Chryſoſt. "Dominus non quanta dentur conſueuit attendere, ſed voluntatis largitatem. Ab hac, quæ parua ſunt, magna redduntur, & magna ſæpè vilia efficiuntur.) & Ambroſius, "Vberior eſt nummus à paruo, quam theſaurus à maximo, quia non quantum detur, ſed quantum reſideat expenditur; Nemo plus tribuit, quàm qui ſibi nihil relinquit)

Chryſoſt. ho. 42. in Gen.

Ambr. l. de viduis.

2. *Et egreſſus de templo ibat; & acceſſerunt diſcipuli eius vt oſtenderent ei ædifi-*

cationes templi; & ait illi vnus, Magister, aspice quales lapides & quales structura! Ipse autem respondens dixit illis, Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruatur. Theophyl. Theophyl" Abducit eos ne adhæreant terrenis, & ad supernam Hierusalem transmittit.) & Chrysost. "Ædificium quidem stabat quod erexerunt homines, sanctitas verò quam constituerat Deus, &c.)" O supernæ ciuitatis mansio beatissima! &c.)

Chrys. ho. 47. in Matt.

Th. K. l. 3. c. 48.

LXXX.

De signis Aduentus, &c. Pars I. Matth. 24. Marc. 13. Luc. 21.

In communi Martyrum.

1. *SEdente autem illo super montem Olieti accesserunt ad eum discipuli* [2] *secretò dicentes, Dic nobis quando* [2] *hæc erunt, & quod* [3] *signum Aduentus tui, & consummationis sæculi Et respondens* IESVS *dixit eis,* [1] *Videte ne quis vos seducat:* [2] *Multi enim venient in nomine meo, dicentes, Ego sum Christus, &* [3] *multos seducent; Audituri enim estis prælia, & opiniones prælio-*

praliorum, videte [4] *ne turbemini;* [5] *oportet enim hæc fieri, sed nondum statim finis. Surget enim gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt pestilentiæ & fames, & terræ motus per loca, hæc autem omnia* [6] *initia sunt dolorum.* Augustᵒ. "Signa dicit quæ ad ista tria pertinent, Ad excidium illius ciuitatis; Ad Aduentum eius in corpore suo, quod est Ecclesia; Ad Aduentum eius in Capite Ecclesiæ, quod est ipse." Aug. ep 80

2. *Videte* [1] *autem vosmetipsos: Ante hæc omnia injicient* [2] *vobis manus suas, & persequentur tradentes in synagogas & custodias, trahentes ad reges & præsides, propter nomen meum: continget autem vobis in* [3] *testimonium: Ponite ergo* [4] *in cordibus vestris non præmeditari quemadmodum respondeatis; Ego* [5] *enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri. Trademini autem à* [6] *parentibus & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte* [7] *afficient ex vobis, & eritis* [8] *odio omnibus hominibus propter nomen meum. Et* [9] *capillus de capite vestro non peribit: in* [10] *patientia vestra possidebitis animas vestras,* Greg." Per patien Greg. hom. 35. in Ev.

tientiam possidemus animas, quia dum nobisipsi dominari discimus, hoc ipsum incipimus possidere quod sumus.)

3. *Et quoniam abundabit iniquitas,* [1] *refrigescet Charitas multorum; qui autem* [2] *perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit: Et* [3] *prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.* Euthym. " Hinc demonstrauit quòd nulla pericula prædicationem superabunt, & ita magnam prædicatoribus iniecit cõsolationem.) "Non ambigo(inquit Hieronymus hîc) & hæc quidem iuxta literam futura quæ scripta sunt; sed mihi videtur regnum contra regnum & pestilentia eorum, quorum sermo serpit vt cancer, & fames, & commotio, & à fide separatio, in hæreticis magis intelligi, &c. qui contra se inuicem dimicantes, Ecclesiæ victoriam faciunt.)

Euthym.

Hieron. in Matth. 24

LXXXI.

De signis Aduentus, &c. Pars 2.

Dom. 24. post Pentec.

1. *CVm ergo videritis* [1] *abominationem desolationis (quæ dicta est à Daniele Prophe-*

Propheta) ſtantem in loco [2] *ſancto (qui legit,* [3] *intelligat) tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes, & qui in tecto, non deſcendat tollere aliquid de domo ſua, & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam ſuam.* Hieron. " Abominatio deſolationis intelligi poteſt omne dogma peruerſum, &c.) & Peluſiota, " Tunc qui in Iudæa ſunt, id eſt, in pietate fixi in ſublime oculos conijciunt, & qui omnem huius vitæ ſcenam pedibus contriuit, nihil ex ipſa appetat, & qui veterem hominem exuit, nouum geſtet, &c.)

Hieron.

Iſidor. l. 1. ep. 210.

2. *Væ autem* [1] *prægnantibus & nutrientibus* [2] *in illis diebus: Orate autem ne fiat fuga veſtra* [3] *in hyeme vel* [4] *ſabbatho: erit enim tunc tribulatio* [5] *magna, qualis non fuit ab initio mundi vſquemodo, neque fiet; & niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro: ſed propter* [6] *electos breuiabuntur dies illi.* Iſidorus, " Prægnantes animas ait Dominus quæ diuinum amorem velut vtero adhuc gerunt, nec Dei confeſſionem, acremque pro eo contentionem ac dimicationem parere audẽt, &c.) " Orate autẽ dixit ne fiat fuga veſtra, &c, Ac ſi apertè dicat, videte ne tunc

Idem.

Greg. ho. 12. in Eu.

tunc quæratis peccata vestra fugere, quando iam non licèt ambulare.)

3. *Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic, nolite* [1] *credere; sicut enim* [2] *fulgur exit ab Oriente, & paret vsque ad Occidentem, ita erit & Aduentus filij hominis; vbicunque fuerit corpus, illic* [3] *congregabuntur & aquilæ.* Hieronymus, "Nolite exire, nolite credere quod filius in deserto gentium sit, vel in penetralibus Hæreticorum, sed quod ab Oriente vsque in Occidentem fides eius in Catholicis Ecclesiis fulgeat. Possumus autem per corpus, Passionẽ Christi intelligere, ad quam prouocamur, & vbicunque in scripturis legitur congregamur.)

Hier. sup.

LXXXII.

De signis Aduentus, &c. Pars 3.

Dom. 1. Aduentus. Luc. 21.

1. [1] *STatim autem post* [2] *tribulationem dierum illorum* [3] *sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de Cœlo, & virtutes Cœlorum commouebuntur. Et erit in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris, & fluctuum,* [4] *arescen-*

[4] *arescentibus hominibus præ timore, & expectatione quæ superuenient [5] vniuerso orbi.* Chrysost. "Et cur Angeli trement? nunquid & illi iudicio tenebũtur? Non inquam; sed sicut qui vehementem Iudicem cognoscunt, non tantùm rei, nec solùm conscij, sed & circumstantes innoxij terrentur, sic & tu time, &c.) Chrysost. ho. de Cruce & Latr.

2. *Tunc parebit [1] signum filij hominis in Cælo, & tunc plangent [2] omnes tribus terræ; & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli, cum [3] virtute multa & maiestate. Et mittet Angelos suos cum [4] tuba, & voce magna, & congregabunt Electos à quatuor ventis, à summo terræ vsque ad summum Cæli.* Euthym. "Signum dicit Crucem, quæ tunc longè clarius sole fulgebit. Et sicut Imperatorem regalis pompa præcedit, & militaris ordo præeundo vexilla portare consueuerunt, sic Domino de cœlo veniente Angelorum cœtus, &c.) Euthym.

3. *Ab arbore autem fici discite parabolam: cùm ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis quia propè est æstas, ita etiam vos cùm videritis hæc omnia scitote quia propè est in Ianuis. Amen, amen dico vobis,* Luc. 21 *His autem fieri incipiẽtibus respicite, & leuate capi-*

non ta vestra

non præteribit generatio hæc donec omnia hæc fiant. Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Hieron. "Verum est quod librorum pelliculæ cum ipsis literis abolendæ sunt, sed procul dubio quod eisdem apicibus pollicetur Dominus, erit æternum.)

Hieron. in Iob 37.18.

LXXXIII.

De præparatione ad Iudicium. Matth. 24. Marc. 13. Luc. 21.

1. DE *die autem illa, & hora,* [1] *nemo scit, neque* [2] *Angeli cœlorum, neque* [3] *filius, nisi* [4] *Pater. Attendite autem vobis, ne fortè* [5] *grauentur corda vestra in crapula & ebrietate, &* [6] *curis huius vitæ, & superueniat in vos* [7] *repentè dies; tamquam* [8] *laqueus enim superueniet in omnes qui* [9] *sedent super faciem omnis terræ. Sicut enim in diebus Noë, ita erit & Aduentus filij hominis. Tunc duo erunt in agro, vnus* [10] *assumetur, & alter relinquetur; duæ molentes in mola, vna assumetur & vna relinquetur.* Victor, "Cùm Angelos hoc mysterium latere dicit, discipulos tacitè admo-

Victor.

admonet ne id ipsi curiosè discere aueant; cùm verò addit, neque filius, vetat ne vltra inquirant.)" Tamquam laqueus autem apprehendet eos qui non attendunt, & qui in otio sedentes absque solicitudine vitam agunt, siue diuites, siue pauperes sint.) Theophyl. Theophyl.

2. *Vigilate ergo quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit: Illud autem scitote quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique; & non sineret perfodi domum suam: ideo & vos estote parati, quia qua hora nescitis filius hominis venturus est.* *Pro Confessore Pontif.*

3. *Quis [1]putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in [2]tempore? Beatus ille seruus quem cum venerit Dominus, inuenerit sic facientem. Amen dico vobis quoniam super [3]omnia bona sua constituet eum: si autem dixerit malus seruus in corde suo, moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere conseruos, manducet autem & bibat cum ebriosis, veniet Dominus serui illius, in die qua [4]non sperat, & hora qua [5]ignorat, & diuidet eum, partemq; [6]eius ponet cum [7]hypocritis:*

crisis: Ibi erit fletus & stridor dentium.

Theophyl. Theophyl.) "Duo requiruntur in omni dispensatore, fides vt nil furetur, prudentia ne in vanum dispergat opes.)

Euthym. "Omnes autem constituit Deus dispensatores eorum quæ possident, volens vt omnes fideliter & prudenter cuncta diuidant.) Euthym.

LXXXIV.

De decem Virginibus. Matth. 25.

Pro Virgine & Martyre.

1. *TVnc simile erit regnum Cœlorum decem virginibus, quæ accipientes* [1] *lampades suas exierunt* [2] *obuiam sponso & sponsæ; quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes; sed quinque fatuæ acceptis lampadibus, non sumpserunt* [3] *oleum secum; prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Moram autem faciente sponso,* [4] *dormitauerunt omnes & dormierunt.*

Greg. ho. 12. in Eu. Greg.) "Prudentes oleum in vasis habent, quia nitorem gloriæ intra conscientiam retinent: fatuæ oleum secum non sumunt quia gloriam ab ore proximorum quærunt.

runt. Notandum verò quod omnes lampades habent, sed omnes oleum non habent; quia bona in se opera cum electis reprobi ostendunt, sed soli ad sponsum veniunt, qui de his quæ foris egerint, intus gloriam requirunt. Dormire autem, mori est: Ante somnum dormitare, est ante mortem in salute langueſcere.)

2. *Media* [1] *autem nocte* [2] *clamor factus est, Ecce* [3] *sponsus venit, exite obuiam ei. Tunc surrexerunt* [4] *omnes virgines illæ, &* [5] *ornauerunt lampades suas; fatuæ autem sapientibus dixerunt, Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ* [6] *extinguuntur. Respondérunt prudentes dicentes, ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis.* Gregorius, "Quasi dicant, quæ testimonium foris quærunt; vos quia nos quasi sine opere repelli conspicitis, dicite de nostris operibus quid vidistis.) Idem.

3. *Dum autem irent emere venit sponsus, & quæ* [1] *paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias, &* [2] *clausa est ianua; Nouissimè verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes, Domine,* [3] *Domine, aperi nobis. At*

ille

ille respondens ait, Amen dico vobis, [4] *nescio vos.* [5] *Vigilate itaque quia nescitis diem neque horam.* Greg.) O si sapere in cordis palato possit quid admirationis habet quod dicitur, *Venit sponsus*? quid dulcedinis, *intrauerunt cum eo ad nuptias*? quid amaritudinis, *& clausa est ianua*? sed ibi à Deo non potest mereri quod petit, qui hic noluit audire quod iussit. Preces offerunt, sed nesciuntur; quia tunc velut incognitos Dominus deserit, quos modò tuos per vitæ meritum non agnoscit.)

Idem.

LXXXV.

De Talentis. Matth. 25.

Pro Confessore Pontif.) 1. *SIcut enim homo peregrè proficiscens vocauit seruos suos, & tradidit illis bona* [1] *sua. & vni dedit* [2] *quinque talẽta, alij autem duo, alij verò vnum, vnicuique secundùm* [3] *propriam virtutem, & profectus est statim. Abijt autẽ qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque: similiter qui duo acceperat, lucratus est alia duo: qui autem vnum acceperat, abiens fodit in* [5] *terram, & abscondit*

ſcondit [4] *pecuniam Domini ſui.* Baſilius, "Exiſtimo parabolam hanc prolatam eſſe ad ſignificanda quælibet Dei dona, ſiquidem nemo eſt expers benignitatis Dei.)" Duplicant autem qui proficiunt ad ſalutem diſcipulorum, facientes eos rurſus præceptores aliorum.) Basil. reg. br. int. 253. Euthym.

2. *Poſt* [1] *multum verò temporis venit Dominus ſeruorum illorum & poſuit rationem cum eis; & accedens qui quinque talenta acceperat obtulit alia quinque talenta dicens Domine quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum. Ait illi Dominus eius, Euge ſerue* [3] *bone & fidelis, quia ſuper* [4] *pauca fuiſti fidelis, ſuper* [5] *multa te conſtituam,* [6] *intra in gaudium Domini tui. Acceſſit autem & qui duo talenta acceperat*, &c. Euthym. "Quamquam diuerſæ fuerunt gratiæ, æqualis tamen eſt honor quia & æquale in eis ſtudium: vel etiam dici poteſt quod æqualiter quidam laudantur, & æqualiter introducuntur, ſed diuerſimodè remunerantur iuxta proportionẽ ucrorum.) "Notãdum verò quod omnia quæ in præſenti habemus licèt magna videantur & plurima, comparatio- Euthym. Hieron.

ne futurorum parua & pauca sunt) & Augustinus, "Quale est intus illud vnde non exitur foras? Magnum penetrale, & dulce secretum! O secretum sine tædio; sine amaritudine malarum cogitationum; sine interpellatione tentationum & dolorum!)

Aug. tr. 25. in Io.

3. [1] *Accedens autem & qui vnum acceperat, ait, Domine,* [2] *scio quia homo* [3] *austerus es, metis vbi* [4] *non seminasti, & congregas vbi non sparsisti, &* [5] *timens abij, & abscondi talentum tuum in terra: Ecce habes* [6] *quod tuum est. Respondens autem Dominus eius dixit ei, Serue male, &* [7] *piger, sciebas, &c. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet* [8] *decem talenta, &c.*

Euthym. Euthym." Non quasi ille vera dixerit, hæc ait Dominus; nihil enim rectè fit sine ipso, sed suppositio sermone procedit.)"

Greg. ho. 9. in Eu. Pensate ergo, fratres Charissimi, quia de accepta hac verbi pecunia vsuras soluetis: & curate vt ex eo quod audistis, etiam alia studeatis intelligere quæ non auditis; quatenus alia ex aliis colligentes, etiam illa discatis ex vobismetipsis agere quæ necdum ex prædicatoris ore didicistis.)

LXXXVI.

LXXXVI.

Iudicij Extremi descriptio.

Matth. 25.

1. CVm autem venerit filius [1] hominis in Maiestate [2] sua, & [3] omnes Angeli cum eo, tunc [4] sedebit super sedem Maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum [5] omnes gentes, & [6] separabit eas ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis, & statuet oues [7] quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris. Theophyl." Quoniam primus Aduentus Domini in ignominia fuit & opprobriis; in secundo cum gloria aderit Angelorum, &c.) Feria 2. post 1. Quadrag. Theophyl.

2. Tunc dicet [1] Rex his qui à dextris eius erunt, [2] Venite [3] benedicti Patris mei, [4] possidete [5] paratum vobis [6] regnum, à constitutione mundi: [7] Esuriui enim, & dedistis mihi manducare; Sitiui, & dedistis mihi bibere; Hospes eram & collegistis me; Nudus, & cooperuistis me; Infirmus, & visitastis me; in carcere eram & venistis ad me. Tunc respondebunt ei iusti, Domine, [8] quando te vidimus esurientem & pauimus te? sitientem, &c. Et respondens rex

dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu feciſtis [9] *vni ex his* [10] *fratribus meis* [11] *minimis mihi feciſtis.* Euthym. "O vocem optatibilem! ô honorem ineffabilem! *Benedicti*, &c. Nec dicit, accipite, ſed *poſſidete* tanquam paternum, tanquam debitum, tanquam præparatum, &c.) Ambroſius," Vide quos tibi gratia det debitores; facit tibi Patrē debitorem Deum; qui pro munere quo pauper adiutus eſt fœnus exoluet, quaſi boni debitor creditoris: facit tibi debitorem filium Dei, qui ait, *Eſuriui & dediſti*, &c.)

Euthym.

Ambroſ. de Nabut. c. 4.

3. *Tunc dicet his qui à ſiniſtris eius erunt,* [1] *diſcedite à* [2] *me maledicti in* [4] *ignem* [5] *æternum, qui paratus eſt* [6] *diabolo & angelis eius. Eſuriui enim & non dediſtis* [7] *mihi manducare; ſitiui & non dediſtis mihi potum*, &c. *Tunc reſpondebunt ei & ipſi dicentes, Domine,* [8] *quando te vidimus*, &c. *Tunc reſpõdebit illis dicens, quamdiu* [9] *non feciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis: Et ibunt hi in ſupplicium* [10] *æternum; Iuſti autem in vitam æternam.* Theoph. "Vide quod Deus ignem non præparauit hominibus; ſupplicium enim non fecit propter nos, ſed propter diabolum;

Theophyl.

Ego

Ego autem meipsum supplicio facio obnoxium: Horresce igitur, ô homo, cùm cogitaueris hoc, &c. Et profectò, si bene consideras, raptor est qui multa habet & non miseretur, &c.) & Euthym. "Iustissima merces vt Inhumanis, Inhumanitas, & misericordibus Misericordia rependatur.) Euthym.

FINIS.

Ad maiorem Dei Gloriam.

INDEX
EVANGELICARVM
LECTIONVM,

Quæ per totum annum leguntur in ſacro Miſſæ officio : quo, qui eam methodum ſequi volet, iuuari poterit.

Dominica prima Aduentus.

Erunt ſigna in ſole, &c. — Capitis 4. parte 2. Myſt. 82.

Dom. 2. Aduentus.

Cùm audiſſet Ioannes. — Cap. 4. p. 1. Myſt. 53.

Dom. 3. Aduentus.

Miſerunt Iudæi Hieroſol. — Cap. 4. p. 1. Myſt. 12.

Feria 4. Quat. Temp.

Miſſus eſt Angelus Gabriel. — Cap primi, Myſt. 3. & 4.

Feria 6. Quat. Temp.

Exurgens Maria. — Cap. 1. Myſt. 5.

Sabba-

INDEX.

Sabbatho & Dom. 4.

Anno quintodecimo Tiberij. Cap. 4. p. 1. Myst. 7.

Vigilia Natiuitatis.

Cùm esset desponsata Cap. 1. Myst. 6.

In nocte Natiuitatis.

Exijt edictum à Cæsare. Cap. 1. Myst. 11. 12. 13. 14.

In aurora Natiuitatis.

Pastores loquebantur ad inu. Cap. 1. Myst. 15.

In die Natiuitatis.

In principio erat Verbum. Cap. 1. Myst. 1. 8. 9. 10.

In festo S. Stephani.

Ecce ego mitto ad vos prophetas.

In festo S. Ioannis.

Dixit IESVS Petro Sequere me. Cap. 3. Myst. 17.

In festo SS. Innocentium.

Angelus Domini apparuit in. Cap. 1. Myst. 28.

Dominica infra Oct. Natiuitatis.

Erant Ioseph, & Maria Mater. Cap. 1. Myst. 26.

INDEX.

In festo Circumcisionis.

Postquam consummati sunt. Cap. 1. Myst. 16.

In Vigilia Epiphaniæ.

Defuncto Herode. Cap. 1. Myst. 30.

In festo Epiphaniæ.

Cùm natus esset IESVS. Cap. 1. Myst. 18. 19 20 21.

Dominica infra Oct. Epiphan.

Cùm factus esset. Cap. 1. M. 31. 32. 33.

In Oct. Epiphan.

Vidit Ioannes IESVM. Cap. 4. p. 1. Myst. 13. & 9.

Dom. 2. post. Epiphan.

Nuptiæ factæ sunt. Cap. 4. p. 1. Myst. 16.

Dominica tertia.

Cùm descendisset. Cap. 4. p. 1. My. 51.

Dominica quarta.

Ascendente IESV *in nauim* Cap. 4. p. 1. Myst. 29.

Domica quinta.

Simile factũ est, &c. Cap. 4 p. 1. My 59.

Dominica sexta.

Simile est reg. Cœl Cap, 4 p 1 My. 60.

Dominica in Septuagesima.

Simile est regnum. Cap. 4. p. 2. Myst 57.

Domi-

INDEX.

Dominica in Sexagesima.

Cùm turba plurima. Cap. 4. p. 1. Myst. 58.

Dominica in Quinquag.

Assumpsit IESVS 12. Cap. 4. p. 2 Myst. 62 & 64.

Feria 4. Cinerum.

Cùm ieiunatis. Cap. 4. p. 1 M. 47. punct. 3

Feria 5.

Cùm introisset. Cap. 4. p. 1. M. 51. punct. 2.

Feria 6.

Audistis quia dictũ. Cap. 4. p. 1. Myst. 46. puncto 5.

Sabbatho.

Cùm serò esset factũ Cap. 4. p. 1, Myst. 71.

Dominica prima Quadrag.

Ductus est IESVS *in de,* C. 4. p. 1 M. 10 & 11

Feria 2.

Cùm venerit filius hom. Cap. 4. p. 2. M. 86.

Feria 3.

Cùm intrasset. Cap. 4 p. 2. Myst. 68.

Feria 4.

Accesserunt ad IESVM. Cap. 4 p. 1. M. 56. & 57.

Feria 5.

Egressus IESVS. Cap 4. p. 1. Myst. 72.

Feria 6.

Erat dies festus Iudæorũ Cap. 4. p. 1. M. 36

INDEX.

Sabbatho & Dominica 2.

Assumpsit IESVS *Petrum.* C.4.p.1,M.78.

Feria 2.

Ego vado & quaretis. Cap.4.p.2.My.22.

Feria 3.

Super Cathedram Moysi. C.4.p.2.M.78.

Feria 4.

Ascendens IESVS *Hierosolymã.* Cap.4.p.2. Myst.62.punct.2.& Myst.63.

Feria 5.

Homo quidam erat dives. C.4.p.2.M.51.

Feria 6.

Homo erat paterfam. Cap.4.p 2.My.74.

Sabbatho.

Homo quidam habuit duos. C.4.p.2.Myst. 47.& 48.

Dominica tertia.

Erat IESVS *ejiciens dam.* Cap.4.p.1.M.55.

Feria 2.

Vtique dicetis mihi hanc. Cap.4.p.1.My. 62.puncto 3.

Feria 3.

Si peccauerit in te.

Feria 4.

Accesserunt ad IESVM.

Feria 5.

Surgens IESVS *de synag.* C.4.p.1.M.27.

Fe-

Feria 6.

Venit IESVS *in ciuitatem Sa.* Cap 4.p.1. Myst.21.22.23.

Sabbatho.

Perrexit IESVS *in montem.* Cap.4.p.1. Myst 86.

Dominica quarta.

Abijt IESVS *trans mare.* C.4.p.1.M.70.

Feria 2.

Propè erat Pascha. Cap.4.p.1.Myst.17.

Feria 3.

Iam die festo mediante. Cap 4.p.1.M.84.

Feria 4.

Prateriens IESVS *vidit homin.* Cap.4.p.2. Myst.24.25.26.

Feria 5.

Ibat IESVS *in ciuitatẽ.* Cap.4.p.1.M.52.

Feria 6.

Erat quidam languens. Cap.4.p.2.Myst. 58.59.60.

Sabbatho.

Ego sum lux mundi. Cap.4.p.2.Myst.21.

Dominica Passionis.

Quis ex vobis arguet. Cap.4.p.2.M.23.

Feria 2.

Miserunt Principes. Cap.4.p.1.Myst.85.

INDEX.

Feria 3.

Ambulabat IESVS *in.* Cap. 4. p. 1 M 82.

Feria 4.

Facta sunt Encœnia Cap. 4 p 2 Myst 45.

Feria 5.

Rogabat IESVM *quidã.* Cap. 4 p. 1. M. 54.

Feria 6

Collegerunt Pontifices Cap. 4 p 2. M. 61.

Sabbatho.

Cogitauerunt Principes.

Dominica Palmarum.

Cùm appropinquasset Cap. 2. Myst 41.

Scitis quia post bid. Passio Domini nostri IESV Christi. Cap. 2. Myst. 1. &c.

Feria 2.

Ante 6. dies Paschæ Cap. 4. p. 2 Myst. 67.

Feria 3.

Erat Pascha & Az. Passio Domini nostri IESV Christi.

Feria 4.

Appropinquabat dies. Passio Domini nostri IESV Christi

Feria 5.

Ante diem festum Paschæ. Cap. 2 Myst. 4.

Feria 6.

Egressus est IESVS. Passio Domini nostri IESV Christi.

Sab-

INDEX.

Sabbatho sancto.

Vesperè autem sabbathi. Cap. 3. Myst. 3.

Dominica Resurrectionis.

Maria Magdalena. Cap. 3. Myst. 2. 3. 4.

Feria 2.

Duo ex discipulis. Cap. 3. Myst. 8. & 9.

Feria 3.

Stetit IESVS *in medio.* Cap. 3. Myst. 13.

Feria 4.

Manifestauit se ite. Cap. 3 Myst. 14. & 15.

Feria 5.

Maria stabat ad Cap. 3 Myst. 6. 6.

Feria 6.

Vndecim discipuli. Cap. 3 Myst. 18.

Sabbatho.

Vna sabbathi Mar. Mvgd Cap. 3. Myst. 5.

Dominica in Albis.

Cùm esset serò. Cap 3. Myst. 10. & 11.

Dominica 2.

Ego sum Pastor bo. Cap. 4. p. 2. Myst. 27. puncto 3.

Dominica 3.

Modicum & iam non. Cap. 2. Myst. 14. puncto 2.

Dominica 4.

Vado ad eum, &c. Cap. 2 Myst. 14.

INDEX.

Dominica 5.

Amen, amen dico vobis. Ibid. puncto 3.

In Rogationibus.

Quis vestrum. Cap 4 p 2. M 33. punct. 2.

In vigilia Ascensionis.

Subleuatis IESVS. Cap. 2. Myst. 15.

In Ascensione.

Recumbẽtibus vndecim. Cap. 3. Myst. 19.

Dominica infra Ascensionem.

Cùm venerit.

Vigil. Pentecost.

Si diligitis me. Cap. 2. Myst. 12. & Cap. 3. Myst. 24.

Dominica Pentecostes.

Si quis diligit.

Feria 2.

Sic Deus dilexit mund. Cap. 4. p. 1. M. 19.

Feria 3.

Amen, amen dico vobis. Cap. 4. p. 2. M. 27.

Feria 4.

Nemo pot. venire ad me. Cap. 4. p. 1. M. 3.

Feria 5.

Conuocatis IESVS 12. Cap. 4. p. 1. Myst. 64.

Feria 6.

Factum est in vna dier. Cap. 4. p. 1. M. 31.

Sabbatho.

Surgens IESVS *de synag.* Cap. 1. p. 1. M. 27.

In

INDEX.

In festo SS. Trinitatis.

Data est mihi. Cap. 3. Myst. 18.

Dominica 1. post Pentecost.

Estote misericordes. Cap. 4. p. 1. Myst. 49.

In festo Corporis Christi.

Caro mea verè. Cap. 4. p. 1. M. 3. punct. 3.

Dominica 2.

Homo quidem fecit cœnam. Cap. 4. p. 1. Myst 5. & 6.

Dominica 3.

Erant appropinquantes. Cap. 4. p. 2. M. 46.

Dominica 4.

Cùm turba irrueret. Cap. 4. p. 1. Myst. 25.

Dominica 5.

Nisi abundauerit. Cap. 4. p. 1. Myst. 46.

Dominica 6.

Cùm turba multa esset. Cap. 4. p. 1. M. 74.

Dominica 7.

Attendite à falsis proph. Cap. 4. p. 1. M. 50.

Dominica 8.

Homo quidã erat diues. Cap. 4. p. 2. M. 49.

Dominica 9.

Cùm appropinquaret IESVS. Cap. 2. Myst. 41. puncto 4.

Dominica 10.

Dixit IESVS *ad quosdam.* Cap. 4. p. 2. Myst. 54.

Do-

Dominica 11.

Exijt IESVS *de finib.* Cap. 4. p. 1. Myst. 73.

Dominica 12.

Beati oculi qui. Cap. 4. p. 2. Myst. 30. puncto 3. & Myst 31.

Dominica 13.

Dum iret IESVS *in Hieruſ.* C. 4. p. 1. M. 83.

Dominica 14.

Nemo poteſt duob. Dom. Cap. 4. p. 1. M. 48. puncto 3.

Dominica 15.

Ibat IESVS *in ciuitatem* Cap. 4. p 1. M. 52.

Dominica 16.

Cùm intraret IESVS *in do.* C. 4. p. 2. M. 43.

Dominica 17.

Acceſſerunt ad IESVM *Ph* C. 4. p. 2. M. 77.

Feria 4. Quat. Temporum Sept.

Reſpondens. Cap. 4. p. 1. Myst. 79.

Feria 6.

Rogabat IESVM *quidam.* Cap. 4. p. 2 M. 54.

Sabbatho.

Arborem fici habebat. Cap. 4. p. 1. M. 39. puncto 2.

Dominica 18.

Aſcendens IESVS *in na.* Cap. 4. p. 1. M. 31.

Dominica 19.

Simile factum eſt regnũ. Cap. 4. p. 2 M. 75.

Domi-

INDEX.

Dominica 20.

Erat quidem regulus. Cap. 4. p. 1. M 24.

Dominica 21.

Simile est regn. Cœl. Cap. 4 p. 1. Myst. 81.

Dominica 22.

Abeuntes Pharisæi. Cap. 4. p. 2. Myst. 76.

Dominica 23.

Loquente Iesv *ad turbas.* Cap. 4. p. 1. Myst. 33. & 34.

Dominica 24.

Cùm videritis abomin Cap. 4. p. 2. M. 81.

In vigilia S. Andreæ.

Stabat Ioannes. Cap. 4. p. 1. Myst. 14.

In festo S. Andreæ.

Ambulans Iesvs. Cap. 4. p. 1. Myst. 14.

In festo S. Thomæ.

Thomas unus. Cap. 3. Myst. 11.

In festo S. Pauli primi Eremitæ.

Confiteor. Cap. 4. p. 1. Myst 68.

In festo Cathedræ S. Petri.

Venit Iesvs. Cap. 4 p. 1. Myst. 76.

In Conuersione S. Pauli.

Dixit Simon Petrus Cap. 4 p. 2. Myst 56.

In festo Purificationis.

Postquam impleti. Cap. 1. Myst. 22.

In festo S. Matthiæ.

Confiteor. Cap. 4. p. 1. Myst. 68.

In

INDEX.

In festo S. Iosephi.
Cùm esset desponsata. Cap 1. Myst. 6.
In festo Annuntiationis.
Missus est Angelus. Cap. 1. Myst. 3.
In festo S. Marci.
Designauit Dom. Cap. 4. p. 2. Myst. 29.
SS. Philippi & Iacobi.
Non turbetur cor. Cap. 2. Myst. 11.
Inuentionis S. Crucis.
Erat homo ex. Cap. 3. p. 1. Myst. 18.
Apparitione S. Michaëlis.
Accesserunt.
S. Barnabæ.
Ecce ego mitto vos. Cap. 4. p. 1 Myst. 65.
Vigilia S. Ioannis.
Fuit in diebus Herod. Cap. 1. Myst. 2.
Natiuitas S. Ioannis.
Elizabeth impl. Cap. 1. Myst. 7.
Vigilia Apostolorum.
Dixit Iesvs *Sim. Petro.* Cap. 3. Myst. 16.
Festum Apostolorum.
Venit Iesvs *in partes.* Cap. 4. p. 1. M. 76.
Commemoratio S. Pauli.
Ecce ego mitto. Cap. 4. p. 1. Myst 65.
Visitatio B. Mariæ.
Exurgens Maria. Cap. 1. Myst. 5.

In

INDEX.

Infra Octauam Apostolorum.

Dixit Simon Petrus. Cap. 4. p. 2. Myst. 56.

In Oct. Apostolorum.

Iussit IESVS *discip.* Cap. 4. p. 1. Myst. 71.

In festo septem fratrum.

Loquente IESV *ad.*

In festo Mariæ Magd.

Rogabat IESVM. Cap. 4. p. 1. Myst. 54.

S. Apollinaris.

Facta est contentio. Cap. 2. Myst. 8.

S. Iacobi.

Accessit ad IESVM *Mater.* C. 4. p. 2. M. 63.

Transfigurationis.

Assumpsit IESVS. Cap. 4. p. 1. Myst. 78.

S. Laurentij.

Nisi granum. Cap. 4 p. 2. M. 70. punct. 2.

In Assumptione.

Intrauit IESVS *in.* Cap. 4. p. 2. Myst. 32.

S. Bartholomæi.

Exijt IESVS *in.* Cap. 4. p. 1. Myst. 41.

In Decollatione S. Ioannis.

Misit Herodes. Cap. 4. p. 1 Myst. 69.

Exaltationis S. Crucis.

Nunc Iudicium est. Cap. 4. p. 2. Myst. 71.

In festo S. Matthæi.

Vidit IESVS *hom.* Cap. 4. p. 1. Myst. 32.

S. Mi-

S. Michaëlis.

Accesserunt discipuli. Cap. 4 p. 1. Myst. 80 puncto 2.

S. Lucæ.

Designauit Dom Cap. 4 p. 2. Myst. 29.

Vigilia SS. Simonis & Iudæ.

Ego sum vitis Cap 2. Myst. 13.

In festo eorum.

Hæc mando vobis. Ibid.

In festo omnium Sanctorum.

Videns IESVS *turbas.* Cap. 4. p. 1. Myst. 42. 43. 44.

S. Martini.

Nemo accendit. Cap. 4. p. 2. Myst. 34.

Greg. Thaumaturgi.

Habete fidem. Cap. 4. p. 2 Myst. 69. puncto 2.

DE COMMVNI.

In Vigilia Apostoli.

Hoc est præceptum meum. Cap. 2. Myst. 13. puncto 2.

In communi Martyrum.

Si quis venit ad me. Cap. 4. p. 2. Myst 44.

Si quis vult venire post me. Cap. 4. p. 1. Myst 77. puncto 2.

Nolite arbitrari quia venerim pacem Cap. 4 p. 1. Myst. 67.

Nihil

INDEX.

Nihil opertum, &c. Cap. 4 p. 1. Myst. 66.
Nisi granum, &c. Cap. 4 p. 2. Myst. 70. puncto 2.
Ego sum vitis vera Cap. 2. Myst. 13.
Ego sum vitis, vos palmites.
Amen dico quia plorabitis. Cap. 2. Myst. 14
Cùm audieritis prælia.
Descendens IESVS *de monte.*
Sedente IESV *super montem oli.* Cap. 4. p. 2. Myst. 80.
Videns IESVS *turbas.*
Respondens IESVS *dixit, Confiteor.* Cap. 4. p. 1. Myst. 68.
Væ vobis qui ædificatis.
Qui vos audit me audit. Cap. 4. p. 2. Myst. 30.
Attendite à fermento Phariſæorum.
Commune Confeſſorum.
Homo quidam peregrè proficiſcens. Cap. 4 p. 2. Myst. 85.
Vigilate quia neſcitis qua hora. Cap. 4. p. 2. Myst. 83. puncto 2.
Nemo accendit lucernam. Cap. 4. p. 2. Myst. 34.
Videte, vigilate, & orate.
Vos eſtis ſal terræ. Cap. 4. p. 1. Myst. 45.
Sint lumbi veſtri præcincti. C. 4. p. 2. M 36.

Nolite

INDEX.

Nolite timere pusillus grex. Cap. 4. p. 2. Myst. 35. puncto 4.
Homo quidã nobilis. Cap. 4 p. 2. Myst. 66.
Dixit Simon Petrus ad IESVM. Cap. 4. p. 2. Myst. 56.

Commune Virginum.

Simile est regnum cœlorum 10. *virginibus.* Cap. 4. p. 2. Myst. 84.
Simile est thesauro abscondito. Cap. 4. p. 1. Myst. 61.

In Dedicatione.

Ingressus IESVS *perambulabat.* Cap. 4. p. 2. Myst. 65.

De Angelis.

Vidit IESVS *Nathanaël.* Cap. 4. p. 1. Myst. 15. puncto 4.

De Passione Domini.

Sciens IESVS *quia iam omnia.*

De S. Maria tempore Paschali.

Stabant iuxta Crucem IESV. Cap. 2. Myst. 35.

Svstis Jesv Paderbornæ 1632.

FINIS.

Facultas R.P. Prouincialis Soc. Iesv Angliæ.

CVm tres Societat. nostræ Theologi legerint, & vtiliter edi posse cēsuerint libium, cui titulus est, *Ad Vitam & Doctrinam Christi Domini, per Capita distributam iuxta quatuor partes anni Ecclesiastici Notationes*, &c. per R. P. Henricum Morum Societatis Iesv Sacerdotem. Ego Henricus Silisdonius eiusdem Societatis in Anglicanâ Præpositus Prouincialis, potestate ad id mihi ab Adm. R P. N. Vincentio Carrafa Præposito Generali factâ, concedo vt is liber typis excudatur. In cuius rei fidem has litteras manu nostrâ signatas, & officij nostri sigillo munitas dedimus Gandaui 19. Aprilis, 1649.

Henricus Silisdonius.

APPROBATIO CENSORIS.

VIta & doctrina Christi Domini Notationibus, quæ quotidianam diuina meditantibus materiam suggerere possunt, explicata, nihil cōtinet fidei aut bonis moribus contrarium, sed piam, conuenientemq; quotidianæ meditationi doctrinam. Actum 10. *Aprilis*, 1649.

Guil. Bolognino S. Th. L.
Can. & Lib. Censor Ant.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPI IV. Hiſpaniarum & Indiarum Regis Catholici, Potentiſſimi Belgarum Principis, &c. priuilegio cautum eſt, ne quis librum, cui titulus, *Vita & Doctrina Chriſti Domini, &c. Auctore Henrico Moro Societatis* IESV, præter Iacobi Meurſij Bibliopolæ Antuerpienſis voluntatem, intra ſexennium imprimat, aut alibi impreſſum in has Prouincias importet, venalémve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vt latiùs patet ex litteris datis Bruxellæ die 27. Aprilis, Anno M. DC. XLIX.

Signat

LOYENS.

Th
4456